



Jakobi martini



JACOBI MARTINI
Professoris Academici

EXERCITATIONUM METAPHYSICARUM

LIBRI DUO.

Cum

Indice rerum & verborum locupletißimo.

Lector

Perlege; ubi intellexeris, Judica; & errori, si quis humanitus contigit, humanitus ignosce.



Sumptibus.

Zachariæ Schureri Bibliopolæ.

Anno M. DC. IIX.



Illuſtriſs. Sereniſsimoq; Principi

CHRISTIANO II.

S. R. I. ELECTORI

ET

ARCHIMARESCALLO:

LANDGRAVIO

THURINGIÆ,

MARCHIONI

MISNIÆ,

ET

BURGRAVIO

MAGDEBURGI:

DOMINO SUO

CLEMENTISS.

JACOBUS MARTINI

HUMILITER DEDICAT CONSECRATQ.

Ummus ille & unico propè Philoſophus Ariſtoteles, quum oculis quaſi ipſis ſubjicere vellet Ideam Boni civis, Græcorum producit gentem, in quâ honeſtæ & laudabilis vitæ, ad politicam ſocietatem cumprimis neceſſariæ, fundamenta ſive principia ponit, ANIMOSITATEM & INGENIUM, Ἑλλήνων γένος ἔνθυμον καὶ διανοητικὸν eſſe affirmans: Vitam eorum porrò ipſam ita depingit, dum illos triplici potiſſimùm nomine commendat: quòd in libertate vivant, quòd optimam diſciplinam Reipubl. capeſſant, quòd deniq; unius Reipubl. conſtitutionem ſortiti imperare omnibus poſſint. En ſummum Philoſophi judicium & acumen, quo non in cortice & ſuperficie rei hærere; ſed ad interiorem ipſam medullam penetrare animadvertitur. Etenim qui in cive ingenium requirit, idem pruden-

tium

tiam poſtulat, quæ omnium rectarum & cum officio ac virtute conjunctarum actionum moderatrix & perfectrix eſt, quippe quâ quid in unaquâq; re, & quomodo faciendum ſit, cognoſcitur, cognitumq; pro re natâ eligitur. Quemadmodum enim ij, qui jaculum mittunt, non in vanum dirigunt, ſed ſcopum præſpeculantur, ad quem collineent: Ita quoq; qui in ſocietate humanâ & vitâ hâc civili vivunt, ijs ſcopus quidam, ceu finis certus eſt proponendus, quem votis unicè expetant, ad quē omnia conſilia, omnes actiones & univerſos deniq; conatꝰ dirigant, qui primum ſit in inventione, ultimum in executione. Vt id verò conſequamur, Animus requiritur virtute informatus, qui id agat: ut, quod honeſtum & intelligitur & eligitur, conſtanter exequamur. Tantùm enim is, qui virtute præditus eſt, nullâ re ſive adversâ ſive proſperâ, à viri boni officio diſcedit: illâ enim non frangi, hâc verò non inſoleſcere ſolet. Vnde virum bonum Latini in ſeipſo teretem & rotundum, id eſt, æqualem, ex ſeſe

aptum nexumq; esse dixerunt: Græci verò illustri & venustâ metaphorâ τετράγωνον appellarunt, hoc est, hominem ex sese firmum, pollentemq; suis viribus, & undiquaq; adeo virtutis præsidio fultum, & quasi fundamento adeò firmo & inconcusso statu innitentem, ut vix, ac ne vix quidem, loco cedat; & ea, quæ vel reprehensionem vel odium incurrant, peragat. Quâ ratione eundem similiter ὀρθὸν, quasi Rectum dicas, nuncuparunt: Vnde Stoicorum κατόρθωμα, quod omnes perfectionis partes ac numeros complectitur, frequentatur. Quemadmodum enim in lineâ rectâ; ita etiam in viro bono omnia sunt æqualia. Quibus ita tanquam nervis ac spiritib9 quibusdam datis, corpus politicum, lege præside, quæ civitatum anima est, cum vires acquirendo, & conservando sibi ad statum suum sufficit: tum alijs rebus publicis exemplo esse potest, cujus ductum secutæ, bonorum ac malorum discrimine animadverso, ad vitam beatam & ipsæ perveniant. Quòd si hæc omnia & paulo altius re-

petan-

petantur, & accuratius penſitentur, luce meridianâ clarius liquebit, quæ politiæ Philoſophicæ eſſe debeat ratio; & qui civium illius mores. Ecquid enim magis ingenium requirit, quàm Philoſophia? quippe quæ rerum divinarum & humanarum cognitio ſit, quæ omnium artium mater; quæ ſola animi cultura & medicina, qua mundum, & omnia, quæ mundo inſunt, diſpicimus, ipſamq; animæ contemplationem in divina ipſa dirigimus. Hinc rectè Damaſcenus: φιλοσοφία ἐστὶ γνῶσις τῶν ὄντων, ᾗ ὄντα ἐστί: τουτέστι γνῶσις τῆς τῶν ὄντων φύσεως. Et iterum cum Platone: φιλοσοφία ἐστὶ γνῶσις θείων τὲ καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων, τουτέστιν ὁρατῶν τὲ καὶ ἀοράτων. Et mox: φιλοσοφία ἐστὶν ὁμοιοῦσθαι θεῷ, quod fit cum ſapientiâ, tum verâ bòni cognitione, tum juſtitiâ, quæ æqualiter, quod ſuum eſt, cuiq; tribuit, neq; reſpectu perſonarum judicat. Iterum: *Philoſophia eſt ars artium, ſcientia ſcientiarum: mater enim cujusq; artis eſt Philoſophia. &c.* Quid verò de *Animoſitate* dicemus? Profectò nullibi ea eſt, ſi hîc non eſt. Philoſophia

Cap. 3. Dialect.

 enim

enim inanes ſollicitudines detrahit, à cupiditatibus liberat, timores tollit. Hæc, juxta Ciceronem, meritò vitæ dux celebratur, virtutis indagatrix, vitiorum expultrix. Hæc urbes peperit, hæc diſſipatos homines in societatem vitæ convocavit, eosque primò inter ſe domicilijs, deinde conjugijs, tum literarum & vocum communione conjunxit: hæc inventrix legum: hæc magiſtra morum & diſciplinæ fuit. Quomodo hæc ſine Animoſitate? Ne cogitari quidem poſſunt. Quare hâc comite non tam approbare, quæ vera; aut quæ bona, eligere; quàm cõſtanter tueri, hîcq; libertatem ſuam, tanquam jus publicum, ſartam tectamq; conſervare ſummo ſtudio Philoſophus contendit. Quia enim ſub pedibus lubricam ſortem quaſi captivam tenet, nunquam illi ſubjicitur, adeoq; nec ad dextram, nec ad ſiniſtram ejus afflatu vel proſpero, vel adverſo à veritate vel bonitate dimovetur: ſed conſtanter id, quod ſanæ rationi & principijs communibus adverſari videt, averſatur: amplectitur verò id, quod

cum

cum ijsdem optimè conſentit. In hoc enim cōſiſtit vera libertas Philoſophica, ut ſit amicus Plato, amicus Ariſtoteles, amica omnis humana authoritas, ſed magis amica veritas. Etenim non illam judico veram Philoſophiam, quæ libris fortè Chaldæorum, aut Ægyptiorum, aut ipſorum etiam Græcorum, ut Pythagoræ, Platonis, Ariſtotelis & aliorum comprehenſa extat: Sed illa vera Philoſophia eſt, quæ non hominis, ſed ipſius DEI manu in naturâ quaſi conſcripta, omnibus contemplanda propoſita eſt. Quocirca non ſcripta Ariſtotelis nobis ſunt regula veræ Philoſophiæ, ſed ipſa natura, ut à DEO, conditore ſuo creata & formata eſt: Ideoq; Ariſtotelici non Ariſtoteli credimus, quia Ariſtoteles dixit: Sed quia, quod Ariſtoteles dixit, dicit ipſa Natura, in quam illud dicēdo ipſe Deus impreſſit: Aliàs ubi Ariſtoteles à naturâ diſcedit ac deficit, ibi nos etiam ab Ariſtotele ſeceſſionem facimus, & Ariſtotelicos eſſe negamus. Hæc illa Philoſophia eſt, quæ nihil

falsi continet, quæ neq; DEO, neq; veræ Theologiæ adversari potest. Ut enim in DEUM non cadunt contrariæ & oppositæ voluntates, ita etiam ea, quæ in naturâ nobis repræsentãtur, non possunt per se esse opposita mysterijs Theologiæ. Ut enim hæc à Voluntate DEI sunt, ita & illa ab eâdem proficiscuntur: adeo quidem, ut voluntas ipsa tanti conditoris conditæ cujusq; rei natura sit, quemadmodum testatur Augustinus *lib. 21. de Civit. DEI, cap. 8.* Ut igitur in rebus divinitus in sacrâ scripturâ revelatis à solâ authoritate divinâ dependere debemus: ita etiam libertas Philosophica requirit, ut posthabitis hominum authoritatibus, illud in solidum apprehẽdamus, quod DEUS verùm dixit, & dicendo creandove in ipsam naturam & rectam rationem impressit, impressumq; nobis contemplandum exhibuit. Hoc unico, veluti Ariadnes filo & minimè authoritatibus aliorumq; opinionibus ducti, Philosophorum scripta & controversiarum labyrinthos & ingredi

felici-

feliciter, & emetiri felicius valemus. Jam verò hanc libertatem, quādo hoc modo aſſerimus & commēdamus, haud-quaquam approbamus perverſam, vagam & illicitam, quâ nonnullos delectari non ſine indignatione experimur, licentiam texendi retexendiq; quidvis, prout depravata opinio & judicij perverſitas ſuaſerit. Hoc vitiū potiſſimùm in cauſſa eſt, quòd adeò pauci in ſtudio Philoſophico felices faciāt progreſſus. Haud facile enim dictu eſt, quàm Juventus incautior hîc decipiatur: quando pro libertate Philoſophicâ, certis legibus aſtrictâ, neſcio quam infinitam licentiam diſputandi, ſtatuendi, contradicendi, opinionis errore ſibi fingit: quâ comite quùm tantùm præceptores flagellare, & præter neſcio quos ſine nucleo cortices, nihil deguſtare diſcant; ejuſmodi audaciâ ſublimes, turgidiq; philautiâ ſibi pallium, licet è trivij ferulâ adhuc lividi, injiciunt, & repentè præceptoribus & publicis doctoribus doctiores prodeunt Philoſophi, magno Philoſo-

phiæ,

phiæ, juventutis verò majore malo. Libertas hæc est Philosophorum, quorum judicium multis exercitationibus, multâq; experientiâ confirmatum est, non Juvenum, qui ob judicij vel eruditionis defectum, & quòd experientiâ careant, sine discrimine falsum pro vero approbãt, & malum pro bono eligunt. In hoc igitur genere duo sunt præcipitia, quæ maximopere declinari volumus: Unum illorum est, qui ἐν ἐλλείψει peccant, nempe qui vel depravatâ multorum consuetudine seducti, vel privatâ alicujus doctoris opinione (lubrica forsan, si non planè falsa) capti, sententiæ semel arreptæ, tanquam scopulis quibusdam marinis ita adhærent, ut ex solâ authoritate veritatem æstiment, ac pro rationum pondere, authorum multitudinẽ substituunt. Hi profecto à libertate Philosophicâ, quam asserimus, longissimè absunt, nihilque aliud, quàm vilissima sunt mancipia. Quemadmodum enim mancipia dicuntur eò, quòd ab hostibus manu capiantur, & arbitrio deinde priven-

priventur: ita miserrimus hic Philosophantium grex calumnijs & obtrectationibus purioris philosophiȩ hostium seductus, circumventus, captus, planeq́; arbitrio suo judicioq́; spoliatus, non amplius propriâ voluntate, sed alienâ libidine & nutu tenetur, ducitur, tegitur: ideoque cum tot pateant artes, abjectissima, absurdissimaq; eligit, tanquam præciosissimum thesaurum custodit, & summâ pertinaciâ, ne dicam vecordiâ, defendere conatur, nullâq; solidâ ratione à pravâ suâ, quam penitus induit, opinione dimovetur.

Alterum illorum est, qui ἐν ὑπερβολῇ peccando libertate hâc abutuntur, & Academicam quandam ἐποχὴν postliminio introducunt: semper disputant, nunquam concludunt: adeoq; de ijs etiam quæ exactè ad veritatis trutinam sunt pensiculata, assensionem cohibent, satis esse rati, si inania mentis suȩ somnia & φαντάσματα, vero interim plane neglecto, deosculentur, vel genuinâ veterum & cum primis Peripateticorum Philosophiâ à pristino digni-

tatis

tatis ſolio deturbatâ, nihil niſi quod novum, quod inſolens, quod compendioſum, &, ut verbo dicam, quod Ramiſticum eſt, probant, & ſeipſis freti, alienâ nominis ruinâ gradum ſibi ad ſuam gloriam faciunt. Hinc totos ſe in convitia & obſtrigilationes effundunt, & naturæ illud miraculum Ariſtotelem cum eruditiſſimis interpretibus (quos nullos viderunt, nullos legerunt) peſsimis ubique modis traducunt, inſtitutionis corruptorem, inertem ſophiſtã, patrum inimicum, quiq; ſit (ut illi quidem loquuntur) magis gratus ingenijs rixarum, quàm ſimplicioris veritatis ſtudioſioribus præceptor, in quo ipſa rixandi libido dominetur, obſcuritas præſideat, inconſtantia dogmatum perpetua cõtradicendi occaſionem præbeat. Et hos quoq; à verâ Libertatis noſtræ ſemitâ turpiſsimè aberrare, nec verorum atq; libertate donatorum civium nomen tueri quis eſt, qui non intelligit? Pravis enim doctoribus, vel opinionibus proprijs illiberalem ſervitutem ſerviũt, mancipiaq;

ſe

se paucæ lectionis esse palàm declarant. Certè divus Augustinus Aristotelem non tantùm excellentē ingenij virū, mirandâ diligentiâ Philosophum, de omnibus disserendi cupidū prædicat, & plerisq; Philosophis præfert: sed insuper se Aristotelicū esse profitetur, qui sub Themistij Aristotelis Interpretis institutione & magisterio, jugi (ut ait) labore Aristotelicam Philosophiam didicerit. Librum quoque κατηγοριῶν de Græco in Latinum se convertisse, dicit, quem & discipulo suo Adeodato vehementer commendat. Hieronymus Aristotelem sapientum principem nominare non dubitat. Etsi, inquit, fueris absque dubitatione prodigium, grandeq́; miraculum in totâ naturâ, cui penè videtur infusum, cujuscūq́; naturaliter capax est humanum ingeniū &c. Cyrillus quoq; sapientiā hujus mundi ex disciplinis Aristotelis derivat, quando inquit: Miramur, quod etsi à sapientia hujus mundi profecti Aristotelicas disciplinas sequātur, & eas nobis incutiant, indocti tamen etiam secundum

3. Part. Epist. ad Eustoch. Epist. 14. cap. 11.

cundum

cundum ipſas inveniuntur &c. Interdum quidem pij patres Ariſtotelem rejiciunt : ſed non aliter, quam ſapientiæ humanæ quendam Coriphæum, quam illi ſapientiam cum Ariſtotele non quidem ex ſcholis, ſed ex ſacris ſcripturis abire jubent. Eâdem ratione & agnoſcit & rejicit Ariſtotelem divus pater Lutherus, ut Philippus quoq;, quem alias pro ſe facere ſine fronte & pudore jactare non dubitant. Quid? Tot (ut cujuſdam hîc verbis & ſententiâ utar) nunc centenos, imò millenos annos, veteris Philoſophiæ adminiculo, quæ per excellens, ac à DEO ſingulariter ad hoc formatum & excitatum ingenium ac organum, Ariſtotelem, aliosq; ſapientes ac celebres artifices, non ex ipſorum libidine vel arbitratu; ſed ductu rectæ & à DEO inſitæ rationis, & multiplicis experientiæ, ſummo ſtudio & judicio congeſta, & in ordinem legitimum digeſta eſt, apud Ethnicos pariter & Chriſtianos, doctiſſimi, in omni bonarum artium & facultatum genere pręſtantiſsimi, cla-

riſsimi,

rissimi,&de humano genere optimè meriti viri evaserunt, & quicquid adhuc doctorum superest, id ex veteri Academia prodijt. Non igitur ad cujꝰquam nomen vel authoritatem, sed ad ipsam rem oculos referamus: & apparebit, Aristotelem, Themistium,Aphrodisæum,Ammonium,Porphyrium,Eustratium, Philoponum,Simplicium,Ciceronem, Quinctilianum, aliosq; veterum eruditorum,vel minimo digitulo, secundùm vulgare dictum,majore rerum cognitione, quàm istos reformatores omnibus delirijs & fastu turgentibus capitibus, valuisse; & quâ viâ hactenꝰ viri docti sunt instituti &educti,eâdem alios etiamnum & porrò informandos & erudiendos esse. Haud inviti quidem & suum locum relinqueremus,& laudem adeò tribueremus illis,si qua recens ingeniose excogitata atq; inventa repertis veterum adjecta monstrarentur: nunc, quum præclaram illam & omnibus verè eruditis receptam atq; approbatam, & unanimi tot seculorum consensu confirmatamReipubl.

literariæ constitutionem violent, & sincerum veteris Philosophiæ usum in perpetuum exilium relegent, ac crassissimæ sæpius ruditati fores aperiant, id verò nullo modo ferri debet. Quod ipsum, sicut in alijs Aristoteleæ Philosophiæ partibus factitatum est; ita prima Philosophia, quam Metaphysicam vocare solemus, crudelissimos insultus experiri cogitur: quippe quam multi otio, supinitate & flagitiosâ licentiâ marcentes (liceat mihi Scaligeri verbis uti) cognitione suâ humi serpentes & cum rustico Luciani ligone Philosophantes, tum difficultatis, tum odiosæ & curiosæ subtilitatis nomine suspectam reddere conantur; imò alij ἰδιογνώμονες illi planè jugulum nõ modò jejunis insulsisq; criminationibꝰ, sed firmissimis (uti sibi quidem persuasum habent) telis, petunt, inter alia hoc quoq; judiciũ in specie de Metaphysicâ Aristotelis eructantes, quòd quatuordecim Aristotelis libri Metaphysici sint quatuordecim Logicarum tautologicarum cumuli, & quidem rerum, non solùm in Aristotelis libris alijs, sed in præsentibus etiam,

Vide Præfat. Schol. Metaph. Rami.

sæpius

sæpius ſcriptarum & reſcriptarum; Theologiam autem (quæ ita appellatur) impietatem omnium impietatum maximè deteſtabilem eſſe & exſecrabilem. Verùm longe aliud noſtrum eſt judicium. Nos Philoſophos illos dicimus Philoſophorum nomine indignos, quippe qui illam negant ſcientiam, ex quâ omnium aliarum ſcientiarũ certitudo & principia unicè dependent: nec homines illos ſtatuimus homines, proprio nempe humanitatis, quod eſt variarum, earumq; abſtruſiſſimarum rerum cognitionem deſiderare, exutos, & ſolo quæſtu utilitatem ſcientiarum metientes, ſenſibus de illarum dignitate judicantes, ideoq; nihil niſi quod ad machinarum farinariarum confectionem faciat, magnifacientes. Nos tantùm abeſt, ut, ob difficultatem & ſubtilitatem, Metaphyſicam contemnamus; &, propter cognationem, quam cum Logicâ & reliquis diſciplinis Philoſophicis habet, negemus, falſisque convitijs in Ariſtotelem, credamus; ut potius hiſce ipſis, ceu calcaribus,

ad eam excolendam instigemur: à Logica & alijs disciplinis accuratè distinguamus, & obstreperam illorum θρασυφωνίαν contemnamus. Si enim Logodædali isti vel limen solidæ Philosophiæ unquam salutassent, tantum suum stuporem, & in nobilissimum Dei donum audaciam, vel medio mari obruere debebant, ne quisquam mortaliũ ejus fieret conscius. Quandoquidem præter necessitatem Metaphysices, dignitatem quoq; ejus nobis maximopere commendat summa subjecti, quod tractat, nobilitas: quod triplex faciunt Metaphysici, secundùm tres, quos in rebus deprehendunt, primatꝰ, nempe perfectionis: quale est Deus & Intelligentiæ cælestes: attributionis, quale est substantia, & adæquationis, videlicet Ens, prout in latissima & communissima significatione consideratur. Quantò igitur increatum creato, infinitũ finito, incorporeum corporeo, summum infimo, æternũ caduco, constans fragili præstantius est dignius q;: tantò hæc scientia reliquis præstat omnibus: quinimo ut supe-

ſuperat Domina famulas dignitate,
& fons rivulos: ita Metaphyſica cæ-
terarum diſciplinarum luminibus
officit. Adſtruit eandem dignitatis
Generis Metaphyſices eminentia.
Non enim de vulgari aliqua arte agi-
mus, quæ in rebus corporeorum in-
ſtrumentorum ope producendis oc-
cupata ſit: nec prudentiam deſcribi-
mus rerum agendarum: quamvis il-
lum titulum certò reſpectu non re-
formidemus: non etiam intellectum
nudum, hoc eſt, principiorum noti-
tiam, ex qua concluſionum ſciētiam
adipiſcimur, proponimus: ſed ipſiſſi-
mam & ſummam ſapientiam, quæ &
circa omnia verſatur, & difficilima
pertractat: & certiſſima eſt, maxi-
meq; ad docendum apta, quæq; ad
prima usq; rerum omnium princi-
pia atq; cauſſas excurrit: quæ Sol qui-
dam eſt, reliquis ſtellis, inſtar ducis
alicujus, præpoſitus, ad cujus nutum
& regimen omnes inferiores diſci-
plinæ ſe conformant, & à quo omnē
ſuam lucem precariò nanciſcuntur.
Adſtipulatur his Finis, ad quem hæc
ſcientia tēdit. Ille enim ſummus eſt,

ac planè divinus, ipsa nempe veritas, ad quam omnes Metaphysicæ partes unanimi consensu contendunt. Sed lucem Soli addere videar, si pluribus nūquam satis laudatam laudare pergam. Hæc enim illa est, quæ nos ab ignorantiæ morbo liberat, quæ nos à plebeâ sapientiâ ad abstrusissima quæq; promovet, quæ titubantibus in constantissimas scientiæ certissimæ rupes deducit, & (ut paucis multa dicam) quæ & ut scire quid possimus, & bene scire, facit. O ergò Philosophiæ ducem Metaphysicam! ô scientiarum indagatricem, ignorantiæ expultricem! Nihil est tam obscurum; quod tu luce tuâ non collustres: nihil tam abstrusum aut abditum, quod accuratissimâ tuâ διασκέψει non pervestigare possis! Etenim quod de Logicâ perperam creditum fuit, esse illam scientiam scientiarū, artem artiū, in Metaphysicam omni jure quadrat; quippe quæ omnium humanarum disciplinarū & artium asylum est, ad quam illarum principia, si ad incitas redigantur, tanquam ad Clypeum se recipiunt, indeq; suppetias

petias

petias repoſcunt. Quodque non de diſciplinis tantùm Philoſophicis intelligatur: ſed de facultatibus quoque reliquis, ſuo modo, verum eſt. Imò in ipſa Theologiâ quantus hujus ſcientiæ uſus ſit, nemo intelligit, niſi qui in certaminibus Theologicis paulo accuratius verſatus & exercitatus eſt. Quandoquidem contra adverſarios vel parum vel omninò nihil efficies ſine terminorum Metaphyſicorum cognitione & intellectu: quibus quidem in templo & pro concione ad vulgus non indiges, in ſcholis verò & diſputationibus cum adverſarijs minimè illis carere poteris. Quod graviter & ingenuè teſtatur Eruditiſſimus noſtri ſeculi Theologus, Salomon Geſnerus, p. m. in præfatione, quam Metaphyſicæ Iohan. Verſoris præmiſit. Vbi poſtquam multis nominibus Studioſis Theologiæ Metaphyſicam commendavit, tandem in hæc verba deſinit: *Si nihil aliud eſſet in hoc libro Metaphyſico, quàm vocum illa & rerum ambiguè varieq; ſumptarum*

 expo-

,,*expositio, ambabus, quod dicitur, manibus*
,,*acceptandus foret. Quàm turpiter enim*
,,*multi labantur aut hæreant, quoties* περὶ
,, ἀρχῶν, *de principiis,* περὶ αἰτίων, *de caussis,*
,, περὶ στοιχείων, *de elementis,* περὶ φύσεως, *de*
,, *naturâ,* περὶ ἑνὸς, *de uno & unitate,* περὶ ὄν-
,, τος *de Ente & Essentiâ,* περὶ ταὐτοῦ καὶ ἑ-
,, τέρου, *de eodem & diverso,* περὶ ἀντικειμένων
,, *de oppositis,* περὶ προτέρων καὶ ὑστέρων, *de*
,,*prioribus & posterioribus,* περὶ δυνάμεως
,, *de facultate & potentiâ,* περὶ τελείου, *de per-*
,,*fecto,* περὶ μέρους, *de parte,* περὶ ψεύδους, *de*
,, *mendacio,* περὶ συμβεβηκότος *de acciden-*
,, *te, deq; similibus, vel in* THEOLOGIA, *vel*
,, *in aliis scientiis & artibus disserendum est,*
,, *quotidie cum dolore experimur.* Et quid
vir hic maximi & judicij & eruditionis de nostris studijs philosophicis partim in universum, partim in specie de Metaphysica statuerit, quantiq; illa fecerit, ex hisce verbis, quæ in eadem præfatione leguntur,
,, liquidò apparet: *Deploranda profectò,*
,, inquit, *Academiarum nonnullarum infe-*
,, *lix conditio, quòd quidam superioribus an-*
,, *nis, dum Scholasticorũ Theologiã, seu potius*
,, *matæologiam, extirpare ex hominũ animis*
,, *conati sunt: simul etiam omnem veram Phi-*
loso-

losophandi rationem è scholis publicis & A- “
cademiis profligarunt, quasi abusus rei tol- “
li non posset, nisi res ipsa è medio remove- “
retur, quasi infantem abluere mater ne- “
quiret, nisi eundem in flumen prorsus abij- “
ceret. Inde evenit, ut non modo Aristote- “
lis interpretes, Græci juxta ac Latini, è “
manibus studiosæ Iuventutis excußi, sed “
ipse quoq; Aristoteles, cum Platone & toto “
antiquorum Philosophorum cœtu è subsel- “
lijs discentium & auditorijs publicis ad “
privatas bibliothecas, vel potius in perpe- “
tuum exilium proscripti & exclusi, inq; eo- “
rum locum, nescio, quæ compendia, epitomæ “
ac initia partium Philosophiæ, quæ in scho- “
lis, ut vocantur, trivialibus proponi, & pri- “
vatâ cujusq; industriâ legi poterant, pro “
corpore solido Philosophiæ subintroducta, “
hoc est, pro fontibus rivuli & lacunæ ado- “
lescentibus propinatæ sunt. Hinc adeo ru- “
ditas illa & inscitia rerum Physicarum, E- “
thicarum, Politicarum, & METAPHYSI- “
CARUM, ut oracula & incantatorum præ- “
stigiæ nonnullis videantur, quæcunq; è pe- “
nitioribus Philosophiæ receßibus depro- “
muntur. Sed de hâc calamitate, quàm la- “
tè illa NON MODO IN PHILOSOPHIA: “
SED ETIAM IN SUPERIORIBUS “

,,*Disciplinis Grassetur*, *alius*
,, *aliquando conquerendi locus erit*. En judicium Theologi,& quidem Theologi non vulgaris; sed ipsius *Gesneri* (heu quondam nostri!) cujus judicij dexteritatem, ingenij acritatem, eruditionis omnigenæ ubertatem, summam deniq; disputandi, concionandi, docendi facultatem, noti ignotiq;, & inimici juxta atq; amici, nolentes volentes agnoscunt & prædicant. Hic, hic vir, una cum D. Ægydio Hunio, D. Davide Rungio, & ipsis ἐν ἁγίοις, & D. Polycarpo Lysero, (uno adhuc superstite, idque in multos, quod opto precorque annos) Theologis incomparabilibus, præceptoribus æternùm colendis, mihi autores extiterunt, ut sepositis in posterum compendijs, ad ipsos fontes, & quidem Aristotelicos & accederem ipse, & auditores meos adducerem. Horum consilium quia & ex studiosæ juventutis usu esse, & cum legibus Academiæ consentire animadvertebã, Logicen ex Organo Aristotelis interpretari cœpi, progressusq;

à li-

à libro ad librum, à capite ad caput, à paragrapho ad paragraphum, veram Aristotelis mentem auditoribus, & quidem attentis & frequentibus, aperui, eosq; ad usum genuinum quasi manu duxi. Verumenimvero utut hæc pertractabantur, utut etiam percipiebantur & ad usum applicabantur, inchoata tamen erant omnia & imperfecta: idque ob solius Metaphysices defectum, sine cujus cognitione & usu nemo in perfectum vel Logicum, vel Philosophum evadet. Ut enim de Philosophiâ impræsentiarum nihil dicam amplius, æquè & notum & verum est, tam Logicam, quàm Metaphysicam esse disciplinas amplissimas, ideoque convenientiam quandam inter utramque intercedere: quandoquidem mirâ & arctâ quâdam necessitate cognatæ sunt, dum ambæ sui juris sunt, ambæ per omnia permeant, ambæ ad prima usque penetrant, deque veritate primorum principiorum disserunt, sibique operas mutuas tradunt: Logica quidem, ut

ut sciendi modus, Metaphysicam, ut scientiam, juvat: Metaphysica, ut generalis scientia, exactè de rebus pronuncians, Logicam, ut rem primis digitis attingentem, sublevat. Quibus accedit subjectorum æqualitas, quæ adeousque genuina & affinis apparet, ut sæpius Logicus primi Philosophi personam induisse videatur, ut utraq; Ens commune pro subjecto habeant, ideoq; in eodem genere versentur. Hæc mecum studiosè perpendens, cum Logica Metaphysicam conjungere cogitabam: & quia id horis ordinarijs & publicis prælectionibus præstare non poteram, privatim & quidem horis succisivis in hac parte laborare, legere, disputare, & ita scientiam illam accuratissimam explicare, & in publicum producere incipiebam: ut ipsa quatuordecim meis disputationibus methodicè disposita ac proposita nõ paucorum hodiè manibus teritur. Quod autem in omnibus humanis consultationibus & actionibus contingere solet, ut poste-

Arist. lib. 4. Metaph. c. 2. t. 5.

posteriores cogitationes meliores sint prioribus; idem & mihi usu venit. Exercitationes enim illas meas quando relegi, & accuratius, ut par erat, examinavi, ipse mihi in nonnullis displicere cæpi: neq; enim, quod speraram, suis partibus ac numeris absolutum inveni systema illud Metaphysicum, sed tantùm generalem quandam σκιὰν & delineationem, in qua multa adhuc essent corrigenda, multa limitanda, multa addenda. Manum igitur denuo ad opus admovi, corrigenda, quoad ejus fieri potuit, correxi; limitanda, restrinxi; addenda adjeci, & in ea forma facieq;, in qua nunc exhibetur, de sententia & consilio multorum bonorum ac doctorum, publici juris atq; usus facere volui. Nō autem, ut ad prima redeam, ductū in his & methodum, neque adeo mentem & opinionem Philosophi ubiq; secutus sum: sed, ut liberum civem in politia hac Philosophica decet, libertate, animositate, ingenio ac Marte, quod dicitur, proprio (ubi necessitas requirere videbatur)

tur) usus sum. Quæ itaq; in Aristotelis Philosophiam ex Ethnicismo & gentili cæcitate, non ex rectâ ratione & naturalibus principijs irrepserunt, ea ex rectâ ratione, eaq; verbo divinitus patefacto purgata à falsis opinionibus liberavi ac vindicavi. Jam in ipsâ Methodo & constitutione hujus scientiæ non authoritatem Philosophi, sed subjecti naturam intuitus, totum hunc tractatum in duos libros, tanquam duas partes, dispescui. Cum enim ipse Aristoteles lib. γ. Metaph. c. 1. & lib. έ. eor. cap. 1. fateatur, scientiæ hujus subjectum ENS esse: primum omnium (uti decet in scientijs) ratione generalis suæ naturæ, conditionum affectionumque id in considerationem, & quidem libro primo, vocare volui. Ubi primùm ago de Entis generali naturâ: deinde specialius, de Ente complexo & incomplexo, de Ente rationis & rei, de Ente per se & per accidens, de positivo & privativo, de eo quod est in potentiâ & in actu, de caussâ & caussato, de necessario & contingente:

gente: Tandem de affectionibus Entis unitis, ut loquuntur: ut de Uno; atque hîc quoq; de Toto, quod est vel perfectionale, vel essentiale, vel integrale, vel potestativum, vel universale, vel individuale; vel numerale: deinde de finito & infinito, perfecto & imperfecto, completo & incompleto, priore & posteriore: de eodem & diverso, & de hujus consequentibus, nempe de distinctione & oppositione: Item de æquali & inæquali, simili & dissimili: quæ omnia ex unitate & ejus oppositâ multitudine fluunt. Agitur hic porrò de alterâ affectione unitâ, nempe de Vero, quod est vel complexorum vel incomplexorū: Item de tertiâ, de Bono, cui Malum opponitur. Hanc generalem Entis θεωρίαν altera specialis excipit, de quâ libro secundo. Ubi ad specierum Entis contemplationē descenditur, quæ sunt, Substantia & Accidens. Substantia porrò dividitur in completam & incompletā: hæc in Materiam & Formam: Illa, in Corpoream & Incorpoream. Illa subdi-

viditur

viditur in Simplicem & Mixtam: Mixta, in perfectè & imperfectè mixtam. Perfectè mixta, in Inanimatam & Animatam: Hæc in Vegetantem & Sentientem: Sentiens deniq; in Irrationalem & Rationalem, qualis homo eſt; Incorpoream ſive Spiritualem itidem duplicem facio: vel enim eſt ad aliud, quod informat, determinata, qualis eſt Anima hominis: vel eſt abſoluta: quę ſubdividitur in Finitam, ut ſunt Angeli: & Infinitam, ut eſt *Deus*. Accidens dividitur in primarium & ſecundarium. Illud in Abſolutum, quod fluit vel ex materia, ut Quantitas; vel ex forma, ut Qualitas: & Reſpectivum, ut Relatio. Secundarium proinde vel oritur ex adjuncto Subſtantiæ accidente abſoluto, vel relato. Ex abſoluto, nempe vel ex Qualitate, vel ex Quantitate cum Subſtātiâ junctis. Ex Qualitate ſubſtantiæ junctâ eſt Actio & Paſsio: Ex Quantitate ſubſtantiæ junctâ originem trahunt, Quando & Ubi: Ex Relatione Subſtantiæ junctâ exiſtunt Situs & Habere.

Atque

Atq; hæ Entis ſpecies (ita tamen tantùm κατ' ἀναλογίαν dictæ) alteram Metaphyſices partem conſtituunt, ideoq; in ſecundo noſtro libro conſiderantur & explicantur: quæ ſi cum præcedentib9 libro primo propoſitis conjungantur, omnia continent, quæ de Ente univerſaliter & extra particulares diſciplinas, artes, ſcientias, ac facultates etiam dici poſſunt. Atq; hoc modo & hâc methodo totum Metaphyſices Syſtema abſolutum eſt.

Offero autem Illuſtriſsimæ Celſitudini Veſtræ, Elector ac Domine, Sereniſsime, hoc quicquid eſt ſive rei ſive ſpei: & quidem ita offero, non ut munus aliquod tanto Principe condignum; ſed tantùm ut ſubjectionis, devotionis, fidei ac induſtriæ meæ qualecunq; ſpecimen ſive monumentum. Aliquot enim jam anni ſunt, quibus ſub Celſitudinis Veſtræ tutelâ, poſt nonnullas vitæ jactationes, tanquam in placidiſsimo portu conquieſco, & ſerenitatis veſtræ aurâ clementiſsimè recreatus, exoptatâ, nec juventuti, ut ſpero, ve-

ræ Philoſophiæ cultui deditæ, infrugiferâ ſtudiorum commoditate perfruor. Accipe ergo, SERENISSIME PRINCEPS, benigniſsimo vultu hoc quale quale animi grati indicium, & Academiam tuam VVittebergenſem, unaq; priſtinam illam & germanam Philoſophiam, meque ambarum alumnum ac Profeſſorem (licet immeritum) ut cœpiſti, tege, fove, tuere. E Muſeo Calend. April. Anno 1608.



ARI-

ARISTOTELES.
PETRVS RAMVS.
JACOBVS MARTINI
SAXO:

Ἀναγραμματισθέντες,

SOL ERAT ISTE.
PARUM TERSUS.
NOXA TIBI RAMO CAUSIS:

ADAMO TH. ADAMI F. SIBERO INTERPRETE.

SOL velut obſcuro deterget nubila cœlo
Per purum nitidis aëra vectus equis,
Vt quæ nocturna fuerant caliginem erſa,
Jam liqueant claro conſpicienda die:
Sic quæ Muſarum fuerant veneranda reperta
Olim divinis prodita ab ingenijs,
In lentis tenebris,& longa in nocte jacebant,
Non ullamve dabat lucidus ordo viam.
At ſimul in lucis dias ut prodijt auras,
Quo Stagera uno patria cive tumet,
Magnus ARISTOTELES, parent in lumine claro
Partibus ac numeris condita quæque ſuis:
Vt quæ tergemino gremio natura coërcet,
Vno è Philoſopho promere cuncta queas.
Quid ni? SOL ERAT ISTE: absque illo, lucidus ipſe
Sol oculos poterat non habuiſſe ſuos.

Neſcio quis PETRUS tamen atro ſtipite RAMUS
Eſt auſus ſpinis acribus officere,
Atque ire extinctum pariter ſolemq́; ſophumq́;,
Et tenebris cuncta involvere barbaricis:
Ceu foret ipſe ingens rationis meta, theatrum
Naturæ, veri vis, ſapientiæ apex.
O os! ô frontem! nam quò hæc compendia ducant,
Ingenium foricis quàm temerare meris,
Et pro doctrina ſolida, pro dotibus artium
Exhibuiſſe apinas quisquiliasq́; leves?
Atque eſto: fuerit non expers indolis omnis,
Mercurijq; cluat quamlibet ore loquax:
Certè Philoſophi quà res (manifeſta fatendum)
Ipſe PARUM TERSUS cur vocitetur, habet.
Terſus? quin vulgi vix eſt à fæce remotus,
Si modò non aliter ſus olet atque canis.
NOXA TIBI CAUSIS RAMO, ô Rhamnuſia virgo,
Et rhamni, & rami ſtirps procul omnis eat!
En JACOBUS adeſt MARTINI SAXO: ſagacis
Qui liquida ingenij judicijq; face
Illuſtrat tenebras atras, & nubila differt,
Tollit & errores, affaniasq; tuas.
Ac pro Philoſopho (faſces ſubmittite docti
Nomen ad auditum) tela coruſca capit.
Et jam naturæ trans finem candida ſigna
Promovet, & cauſſis omnia plana facit.
Virgo patrima ſacro Jovis edita docta cerebro
Quò conſtet ſophiæ vis ratióq; piæ,
Dius Ariſtoteles, veri enthea visq; perennent:
At Falſum è diris pendeat arboribus.

ALIUD.

A L I U D.

QUÆ Sophiæ penitâ TRANSNATURALIS abysso
Eruis, & certâ lege, JACOBE, doces:
Non laudo. quî sic? quòd me laudâris. Ineptum est
Mutua pro mulis Philosophos scabere.
Hoc tamen ORACLUM tibi vaticinator in aurem
Desero, Cortinæ certius ante-fide:
ILLAUDATUS & hoc laudabit Livor ACUMEN;
Et dicet: PRIMI sit tua palma SOPHI.

Frid. Taubmanus.

A L I U D.

Εὖγε, Ἀριστοτέλους ἄλλων ἀντάξιε πολλῶν
Ἑρμηνεῦ, προυδῆς, ὦ ΙΆΚΩΒΕ, τεῆς.
Ἀγχίνοος ΛΟΓΙΚΗ͂Σ πρεῦσον ΤᾺ ΝΟΉΜΑΤ' ἀόκνως
Ἑρμηνευέμεναι, ΠΡΩ͂ΤΆ τε ΦΙΛΟΣΌΦΩΝ.
Οὕτω δὴ πολλοῖσι, σέθεν πάρα, ἔσσετ' ἀτειρὴς
ὠφελίη: ἥξει σοὶ κλέος ἀθάνατον.

M. Erasmus Schmidt, Græc. L. Prof.

ALIUD.

MAgnus Aristoteles, magnus Plato: Major at illi
Noticiam quisquis jungit utriq; DEI.
Hoc facis, hoc Jacobe doces Martine. Mereris
Esse Platone prior, major Aristotele.

Johannes VVankelius.
Histor. Prof. Publ.

JACOBO MARTINI Philosopho excellentissimo.

QUid heic lavernio, maliq; commatis
Philosophe, quid ferruminas? qui te putas
Tuosq; solùm habere nasum: cæteros
Nil esse: sed tardigradissimos Viros,
Bardosq; blennosq;: immò fungos, caudices;
Quid, inquio, facis? Coëgit optumum
In ordinem *primæ* locos *Philosophiæ*

(Quos

(Quos tu ſoles putare perplexabiles)
MARTINUS, *Albiacæ Sophus* præſtans
Scholæ.
Frons ecquid heic caperat tibi impetigine?
Et annè naſum contrahis: quod heic vides
Pubem doceri & optumâ formâ quidem;
Pubem videre, & optumâ formâ quidem,
Quod tu tuiq; negligunt: queîs arduum
eſt,
Privare mundum *ſole*, flumen *guttulis*,
Aquilâ volucres ceteros, Scholas *libris*.
O diſce ſis ſentire tandem *rectiùs*!
O diſce ſis *docere* tandem *doctiùs*!
MARTINE, certioris *artium Viæ*
Monſtrator expedite: cui vetus ſophos
Et *cognitum* eſt, & *traditum* eſt, & literis
Scriptum eſt; quod omnes hujus orbis angu-
los
Percurrit, & te clarat, & doctiſſimum
Proclamitat *Sophum*: ac Sophorum in or-
dine
Noſtratium tibi puncta defert ſplendida;
MARTINE gratias tibi debet, tuis
Debet libris, & huicce cum-primis Libro
Studioſa pubes: quòd jam utroq; contigit
Oculo intueri, plurimis quondam viris
Quod eſt negatum prorſus, aut quod plu-
rimi
Vidêre

Vidêre vix oculis ſiniſtris. *Pergito*
MARTINE de bonis mereri: *& ceteros,*
Quos & habent plutei tui, quos & queunt
Libros habere, ad publicum uſum *promito.*

M. Henricus Godekenius
Hildeſianus P. L.



IACOBI MARTINI PROFESSORIS Academici


EXERCITATIONUM METAPHYSICARUM.

LIBER PRIMUS.



EXERCITATIO PRIMA DE DEFINITIONE & divisione Philosophiæ.

Typus hujus exercitationis.



EXERCITATIONIS PRIMÆ.

Theorema Primum.

Philoſophia eſt habitus conſtans ſapientiâ & prudentiâ.



Etaphyſica *ſæpius à Philoſopho &* Philoſophia κατ' ἐξοχὴν,*&* Philoſophia prima (*uti videre eſt exercit.2. th.2. dicitur: quod præ omnibus reliquis Philoſophiæ partibus hoc nomine ſola digna videatur; tum propter excellentiam ſubjecti; tum ejus univerſalem naturam & uſum. Vt igitur manifeſtum ſit, quomodo excellens hoc nomen Metaphyſicæ rectè attribuatur, generalia quædam de* Philoſophiæ definitione & diviſione *præmittenda eſſe, ducimus.*

Rectè Plato l.5. de Republ. Cicero 2. Offic. l. 1. de leg. & l. 5. Tuſcul. quæſt. & Diogenes Laërtius in proæmio, *docent, Philoſophum eſſe ſapientiæ ſtudioſum: non hujus quidem, illius non; ſed omnis potius ſapientiæ. Quoniam enim duæ à Deo Opt. Max. intelligendi facultates* (Ariſtoteles lib. 3. de animâ c. 7.) *una ad contemplandum; ad agendum altera, nobis ſunt conceſſæ: neutri autem ſuarum rerum cognitio naturâ eſt inſita: ſed velut i ta ulæ nudæ doctrinâ & aſſuefactione inſcribenda* (Ariſtot. lib. 3. de anim. c.4.) *meritò utramq; perficere &* Intelligendi facultates duæ.

exornare summo est studio elaborandum (Ammon. in proœmio cõm. in quinq; voces Porphyr.): *Atq; hoc eo libentius, cum neutram absq; summo nostro commodo excolamus. In illius enim, ut præstantissimæ, operatione summam Philosophi beatitudinem collocant: siquidem eam definiunt* contemplationem rerum præstantissimarum & pulcherrimarum (Arist lib. 10. Eth. c. 7.) *Immeritò igitur à nonnullis injusti, inutiles, otiosi censentur ij, qui in rerum omnium indaganda subtilitate tempus & operam ponunt: cum hujus utilitas haud minor sit, quàm aliarum scientiarum & artium.* Plato 6. de Republ. pag. 471. Ficin. in 7. de Republ. Platon. pag. 806. *Vt enim nihil de veritatis cognitione* (Arist. lib. α. Metaph. maj. c. 1. & Cicero lib. 4. de finibus) *quam omnes alias expetere decet, dicam: referam nihil de usu, quem in communi vitâ rectè instituenda, seq; ipso noscendo habet: silentioq; prætercam Iurisprudentiam & cumprimis Medicinam, quæ sine hac non percipiũtur: tantum sufficiat id, quod Apostolus* (Rom. 1.) *& Ethnici etiam sapientiores affirmant* (vide Morn. de verita. Relig. Christ. c. 1. 2. 3.) *eâ ad summi boni agnitionem, quantum humani ingenij sagacitate licet, pervenire nos posse.* Et *certè quis creationem mundi, & prima omnium rerum principia considerat, nec Deum videt omnipotentem? Quis motus & rerum naturalium caussas investigat, nec primum motorem & Deum esse invenit?* Arist 8. Phys. *Quis Cœlum & sidera, quoad tum essentiam, tum motum, perpendit, nec Dei admiratur sapientiam? Quis Elementorum constitutionem, mutuam*

Philosophiæ utilitates.

tuam generationem intuetur, nec providentiam Dei agnoscit? Summa, quicunq; contemplatur ea, quæ facultati huic sunt subjecta, nolens volens fatebitur, Deum esse omnia in omnibus.

Vt autem hæc animi facultas summo studio & labore excolenda: sic altera pari quoq; industriâ perficienda est. Si enim secundum hanc animæ suæ partem homo non perficitur, ut aliàs omnium animalium τελεωθὲν *& optimum: ita omniũ erit* ἀγριώτατον *& pessimum.* Arist. lib. 1. de Republ. c. 2. lib. 7. Ethic. Nicom. c. 7. *Homo enim perperam educatus deterior feris: rectè verò institutus, divinus redditur.* Plato 6. de leg. Arist. 1. de Repub. c. 7. lib. 7. moral. Nicomach. c. 6.

Rectè igitur facimus, qui studia Philosophica, *studia sapientiæ sectamur; quæ ob summas hasce utilitates varijs encomijs celebrata sunt, modoq; dicta* mortis contemplatio (Plato in Theag. & in amator. sive de Philosoph. Ammon. in expos. Porph.) *quod illud* γνῶθι σεαυτὸν nosce teipsum, *non aliter atq; foribus templi Delphici Amphyctiones id inscripserunt* (Plato in Charmide: Erasm. in Adag. Chiliad. 1. cent. 6. adag. 95.) *cordibus nostris instillent* (Videatur Philo in lib. de mund. opific. Cælius Rhodig. lib. 16. antiq lect. c. 18.) *modò* similitudo DEI (Plato in Theag. & de Philosoph.) *quod, quemadmodum DEVS præditus* προγνώσει καὶ διοικήσει; *hominem quoq; ad rerum omnium contemplationem, earumq; gubernationem perfectam ducant: modò* rerum divinarum & humanarum, caus-

Variæ Philosophiæ descriptiones.

ſarumq; quibus hæ res continentur, ſcientia; (Plato in Phæd. & Theætet. Cicero lib. 2. de finib. lib. 4. Tuſc. qq. lib. 1. & 2. offic. *quam deſcriptionem alij in Zenonis porticu, alij in Platonis academiâ natam volunt:*) *modo* animi medicina, *ob ſimiles rationes: quod nimirum utramq; rationalis facultatis partem, nempe τὴν γνωστικὴν, veri cognitione; & τὴν ὀρεκτικὴν, boni cõſecutione, perficiant, ideoq; circa ſpeculabilia & agibilia occupata ſint, cognitionemq; & actionem hominis dirigant. Plura videantur apud.* Plutarchum lib. 1. de placit. Philoſ. c. 1. Ariſt. lib. α. Maj. Metaph. c 2. item lib. α. min. c. 1. lib. ε. eorum c. 1. In probl. ſect. 30. Platon. 5. & 6. de Repub. Cicer. lib. 3. offic. in initio. lib. 1. de leg. Senecam lib. 14. Epiſt. 95. Thomam 11. Metaph. l. 7. Scotum 6. quæſt. Metaph. 1. Albertum. 1. Metaph. c. 1. Toletum in proæm. comm. in lib. acro. Ariſt. c. 2. Perer. de comm. rer. nat. princ. & affect. lib. 1. c. 3. Acciai: in præfa. comm. ſuper. 10. lib. Eth. Nicom. Ariſt. Zabarel. l. 1. de nat. Log. c. 2. Curæum 1. de ſenſ. & ſens. c. 1.

Origo nominis Philoſophiæ.

Non leviter porro nobis Philoſophiam *hanc nomen* Sapientiæ, *quo antiquitus denominabatur* (Cicero l. 5. Thuſ. qq.) *commendat: quod poſtmodum* Pythagoras; *homo ſupra quam credi poteſt, inſignis, nempe qui (liceat mihi* Ovidij *verbis loqui* 15. Metamorph.)

——————licet cæli regione remotus,
Mente Deos adijt, & quæ natura negavit
Viſibus humanis, oculis ea pectoris hauſit,

muta-

mutavit. Cum enim videret, altum illud & inviden-dum nomen Sapientiæ *&* Sapientis, *hominem venerari potius quàm assequi posse* (Plato in extremo Phædro, Laërtius in proæm.) *maluit se coram* Leonte Sicyoniorũ *sive* Phliasiorum *Tyranno* φιλόσοφον, *hoc est, Platone & Laërtio interpretibus,* τῆς σοφίας ἐπιθυμητὴν καὶ ἀσπαζόμενον, *sapientiamq; studium sapientiæ, hoc est,* Philosophiã *nominari.* (Cic. 5. Tusc. qq. Laërt. in proæm. item lib. 8. in vita Pythag. Plato lib. 5. de Republ. Plutarch. l. 1. de placit. c. 3. Lactant. lib. 3. de fals. sap. c. 2. & lib. 4. de vera sap. c. 1. August. l. 8. de civit. Dei, c. 2.) *Hunc deinde cæteri secuti, modestiam nominis probarunt, seq;* Philosophos *profiteri voluerunt, licet non omnes ratione eâdem.*

Ex quibus porrò colligitur, quod, si idem nobis Philosophia, quod antiquis Sapientia *fuit, eádem etiam definitione sit describenda. Quæcunq; enim re conveniunt, conveniunt utiq; definitione. Definitur autem* Sapientia habitus ex intelligentiâ & scientiâ constans. lib. 6. Eth. Nicom. c. 7. *Verùm illa definitio non Philosophiæ essentiam integram exprimit. Talis enim requiritur, quæ unà cum parte contemplativâ etiam practicam includat. Nam licet nomen hoc,* Philosophia, *quemadmodum &* Sapientia, *secundum Etymologiam, solam speculativam partem respicere videatur: tamen æquè moralem, atq; illam, comprehendit: fit tantùm à potiori denominatio. Quare missis aliorum definitionibus, ut* Platonis in Theage & Amatoribus, item in Theæteto & Phædone;

Sapientia quid sit.

done; Aristotelis lib. ά. min. c. 1. Ciceronis lib. 2. de finib. lib. 4. item 5. Tusc. qq. l. 1. & 2. offic. item Amm. in proleg. Comm. in quinq; voces Porph. Tolet. in proœm. Comm. lib. ἀκρ. Arist. c. 2. *nos generaliter & paulò aliter, quam* Sapientiam, *definimus* Philosophiam, *quod sit*

Philosophia quid sit.

Habitus constans sapientiâ & prudentiâ.

Genus Philosophiæ probatur.

De genere, quod Habitum *facimus, vix aliquis dubitabit. Latissimo enim conceptu cognoscimus Philosophiam accidens esse, quia* Enti *in actu specifico existenti supervenit. Cum igitur accidentis esse sit inesse, ex modo inessendi, quale accidens sit, cognoscemus. Inest autem animæ, & quidem non repentinò, ut affectus; non à naturâ, ut potentia; sed per operationes acquiritur.* Habitus *igitur erit, quia præter hæc tria in animo nihil datur. Multi porrò Philosophiam scientiam finiunt, multi disciplinam, multi doctrinam esse contendunt: per doctrinam, actionem à docente proficiscentem; per disciplinam, actionem in discente exceptam; per scientiam, vel certam firmamq; rerum divinarum, humanarumq;, vel etiam qualemcunq; intelligentes cognitionem: ἀκριβῶς tamen loquendo, uti decet in definitionibus, nullum istorum verum genus Philosophiæ exprimit. Non enim Philosophia tantùm scientia est, neq; etiam qualicunq; omnium rerum cognitione contenta, neq; tandem pro essentiali agnoscit, quod vel doceatur, vel discatur. His itaq; ut ἀλλοτρίοις rejectis, οἰκεῖον & proprium genus esse dicimus* Habitum. *Ne autem remotum videamur sumpsisse*

sumpsisse genus, cum habitus duplex sit, alius animi, alius corporis: tenendum est, habitum duplici sumi modo; latè & propriè. Latè sumptus habitus, dicitur quidem de omni firmâ & permanente qualitate, sive corporis sit sive animi. Strictè verò & propriè sumptus tantùm dicitur de animi qualitate. Atq; ita tollitur dubium. Piccol. de mor. grad. 2. c. 5. Alex. refer. Simpl. in Præd. qualit. *Non igitur vel audiendi vel tolerandi sunt, (quicquid etiam nostri de lapide vel ramo empti cerdones struant vel moliantur) adæquatum Philosophiæ subjectum non mentem hominis, sed libros & chartas facientes. Constat enim tum per Aristotelem.* lib. περὶ ἑρμ. c. 1. *tùm per ipsam veritatem, scripturas non rerum sed conceptuum signa & imagines esse. Cùm igitur Philosophia non conceptus & νοήματα: sed πράγματα ipsa mediantibus conceptibus, quorum propria sedes est animus humanus, representare debeat; manifestum est, quàm egregiè isti Philosophi sentiant.*

Habitus duplici modo sumitur.

De differentiâ spetificâ pauca annotanda veniunt. Recensentur quinq; habitus Intellectus: νοῦς, ἐπιστήμη, σοφία, φρόνησις, τέχνη, intelligentia, scientia, sapientia, prudentia, ars: Arist. lib. 6. Eth. Nicom. c. 3. *qui ita propter diversos fines rerum distinguuntur. Diversarum enim rerum fines & naturæ diversis continentur habitibus: Res autem aliæ sunt necessariæ & æternæ, atq; non à nobis: aliæ contingentes & mutabiles, atq; à nobis dependent. Vt igitur res illæ duplicis sunt generis: ita etiam rectè duplex disciplinarum genus constituitur, illarumq; duplex finis & scopus.*

Differentia specifica Philosophiæ. Quinq; habitus Intellectus.

Disciplinarum duplex genus.

scopus. Vnde quæ circa necessarias res occupatæ sunt, scientiæ contemplantes *dicuntur: quod in cognitione & contemplatione rerum, ut fine ultimo, quiescant: quiescunt autem, quia tantùm à nobis cognoscuntur, & non fiunt. Atq; in hoc disciplinarum genere tres illi habitus,* intelligentia, scientia, & sapientia, *conspiciuntur. Res contingentes* Practicæ *dicuntur:* Averr. in Epit. in Metaph. tract. 1. c. 1. Algazel. l. 1. suæ Philosophiæ c. 1. *Non enim circa illas occupati in cognitione subsistimus: sed ad actionem & effectionem progredimur: illas enim, ut finem ultimum, respiciunt; propterea quod in nobis sint, fiant & peragantur.*

Actio & Effectio quid differant.

Cum vero πρᾶξις *actio &* ποίησις *effectio diversi & distincti sint fines,* Arist. lib. 6. Eth. Nicom. c. 4. lib. 1. Magn. moral. c. 35. lib. δ. Metaph. c. 1. *alia quoq; erit disciplina, quæ de rebus agendis, hoc est, de vitâ & moribus: & alia, quæ de efficiendis, doceat. Referuntur itaq; huc reliqui duo habitus, nempe* ars *&* prudentia: *& quidem hæc ad ea, quæ in actione: illa, quæ in præsentiâ nihil ad nos attinet, in effectione consistit.*

Prudentia quid sit.

Illâ itaq; remotâ vel prudentiæ subjectâ, hæc virtutibus moralibus prælucet: unde etiam Philosopho dicitur, habitus verâ cum ratione agens. 6. Ethic. c. 5. 7. & 8. Piccol. de mor. grad. 4. c. 5. grad. 5. c. 29. usq; ad 42.

Artes prudentiæ subijciuntur.

Subijciuntur autem artes Prudentiæ, ut famulæ atq; ministræ, quatenus omnibus illis metam, quousq; tolerari vel possint vel debeant, præscribit Prudentia: illæq; felicitati publicæ famulantur & inserviunt.

Scientia.

Scientia *in demonstrationibus est occupata,* lib. 6. Eth. c. 3. lib. 1 post. analyt. c. 2. 8. 27. lib. 1. Phys. c. 1. lib.

lib. α. major. Metaph. c. 3. Piccol. grad. 5. c. 24. usq; ad 29. Intelligentia *circa principia est, quæ absq; medio cognoscuntur.* lib. 6. Eth. c. 6. Piccol. grad. 5. c. 17. 18. & 19. Sapientia *tandem ex utrâq; nempe scientiâ & intelligentiâ componitur: concludit enim & cognoscit.* Arist. l. 6. Eth. c. 7. *Quocirca cum Prudentia agendi, Sapientia verò, quippe quæ composita, uti dictum est, cognoscendi finem perfectè possideat, rectè putamus differentiam specificam constitutam esse, nempe quod* Philosophia sit velut compositum quid ex Sapientiâ & prudentiâ.

Intelligentia.

Sapientia.

Theorema II.

Philosophia dividitur in Theoricam & Practicam.

Ab alijs porrò aliter dividitur Philosophia. Quidam enim, ut Stoici, *eam dividunt in* Naturalem, Moralem & Logicam sive rationalem. *Sub parte* naturalis Philosophiæ, *amplo significatu vocis, non solùm* Physicam, *propriè ita dictam; sed etiam* Metaphysicam *&* Mathematicam *comprehendunt.* Ethicam *verò sive moralem eam vocant, quæ mores & actiones hominum informat:* Logicam, *quæ viam ac modum disserendi ac veritatis inquirendæ tradit. Veritatem autem hujus divisionis ita probare conantur. Felicitas enim humana partim in actione virtutis consistit, partim in veritatis speculatione. Unde duæ Philosophiæ oriuntur partes: Una,*

Variæ divisiones Philosophiæ.

quæ

quæ in veritate inquirendâ, occultisq; naturæ mysteriis investigandis est occupata, quæ Physica dicitur: altera, quæ ad actiones virtuti conformes nos instruit, & Moralis dicitur. Quia verò in veritate erudiendâ mens facilè labi potest, tertia pars requiritur, quæ nobis disserendi viam commonstret, & Logica *appellatur.* Cicero in Acad. qq. lib. 4. de fin. Plutarchus lib. 1. de placit. Philosoph. c. 1. Dioge. Laërt. in vitâ Platonis. D. August. lib. 8. de Civit. Dei. c. 4. Euseb. l. 11. de præpar. Evang. c. 1. Alcinous in lib. de doct. Plat. c. 3. *Verumenimverò præter id, quod divisio ista minus propriè utitur vocabulo Physices, vel hanc ob caussam à plurimis, iisq; doctissimis Philosophis Peripateticis rejicitur, quod Logicam inter Philosophiæ partes numeret. Philosophi enim divisione Philosophiæ illas voluerunt includere disciplinas, quæ aliquod realis* Entis *genus, ob cujus cognitionem quis σοφὸς vel φιλόσοφος dici posit, subjectum habent, quale Logica non tractat. Nonnulli Philosophiam dividunt in* Ethicam, Physicam, Canonicam: *quidam aliter.* Videatur Toletus in proœm. comm. super lib. ἀκρ. c. 5. *His autem & similibus missis, dispescimus* Philosophiam in θεωρητικὴν & πρακτικήν. *Hæc enim ipsius* Aristotelis *est, ab eoq; variis in locis prolata* (lib. ά. Metaph. major. c. 2. l. ά. min. eor. c. 1. lib. 1 Topic. c. 9. ubi triplex problema habet: aliud ad fugam, hoc est, practicum; aliud ad veritatem, h. e. contemplativum; & aliud σύνεργον Logicum): *ab interpretibus ubiq; recepta.* (Amm. in præfa. in Categ. Alexand. in præf. in prior. Analyt.

Vera divisio Philosophiæ.

Analyt. Philopon. in Prior. & in Phyſ. Simplic. in præf. in Categ. & in Phyſ. Averr. in præf. in Phyſ. Piccol. de mor. grad. 5. c. 51. Perer. lib. 1. de comm. rer. nat. princ. & affect. c. 2.) *& denīq; ex poſitâ noſtrâ definitione immediatè derivata. Ita enim rectè & finis & ſubjecti ratione diſpeſcitur Philoſophia. Nam* θεωρητικὴ *intellectum perficit, & finem habet cognitionem: Omnia enim* ὄντα, *eorumq; principia & affectiones, ſolius ſcientiæ & veritatis cauſſa contemplatur.* Πρακτικὴ *appetitum regit, & veri boni conſecutione explet, ſive in* πράξει *quieſcit. Actiones enim humanas ſibi ſubjectas habet, easq; ad rectæ rationis & honeſtatis normam format; ideoq; non tantùm ſcire, ſed etiam agere docet. Tres igitur ſunt modi, quibus Theorica & Practica Philoſophia potiſſimum differunt.* 1. Finibus: *quod illa cognitionem; hæc actionem reſpiciat.* 2. Subjectis: *quod illa* τὸ γνωστικὸν; *hæc verò* τὸ ὀρεκτικὸν *hominis informet.* 3. Objectis: *quod illa res neceſſarias; hæc verò contingentes tractet. Ubi verò notandum eſt: Philoſophiam non eſſe genus univocum; ſed quod græcis* πρὸς ἓν *dicitur. Præcipuè enim & ἡγουμένως parti ſpeculativæ; conſequenter &* δευτέρως *etiam Practicæ competit. Nam plerunq;* Philoſophi *nominantur, qui ſcientiis incumbunt, qui gubernandæ vitæ ſe tradunt,* Prudentes, *vel* Politici.

Differentiæ Theoricæ & Practicæ Philoſophiæ.

Theorema III.

Philoſophia Theorica continet Meta-

Metaphysicam, Physicam & Mathematicam.

Θεωρητικῆς definitio & divisio.

Θεωρητικὴ igitur illa est Philosophiæ pars, quæ res necessarias sibi subjectas habet, easq; nos tantummodo contemplari docet. *Quæ pro triplici differentiâ rerum, quæ cognoscuntur; & modo cognoscendi, in tres præcipuas & primas partes dividitur.* Arist. lib. ε. Metaph. c. 1. tex. 2. & lib. κ, eorum c. 1.

Metaphys.

Vna est, quæ circa ὄντα ᾗ ὄντα sive ἁπλῶς ὄντα occupata, proprietates etiam rerum & affectiones sive separatas ab omni materiâ ejusq; affectionibus species (Arist. γ. Metaph. c. 1. item ε. eor. c. 1. tex. 1. & lib. κ. c. 7. Zabarella l. 1. post. c. 10.) *& cognitionis nostræ prima principia contemplans,* Theologia humana, *propter divinas substantias;* Philosophia prima, *quod reliquas Philosophiæ partes muniat & instar magistræ contineat; & tandem* Metaphysica, *quod Physicâ sublimior sit, dicitur: de quibus* Exerc. 2. *pluribus agetur.*

Physica.

Altera versatur circa ἐκ προσθέσεως ὄντα, hoc est, circa talia entia, quæ sine applicatione materiæ non percipiuntur ab intellectu. Sunt autem ista entia substantiæ corporeæ unà cum suis affectionibus & proprietatibus: dicitur autem Physica. Arist. lib. ε. Metaph. c. 1. lib. 1. & 3. de cæl. c. 1. Perer. de comm. rer. nat. princ. lib. 2. c. 3. Zabarella de nat. scient. constit. c. 2. Toletus in prole. in Phys. Arist. q. 2.

Mathematica.

Hisce duabus interjicitur Mathematica, *quæ neq; ἁπλῶς ὄντα, neq; ea quæ ἐκ προσθέσεως*

subje-

subjecti intelliguntur, considerat; sed abstractas à substantiâ species, quæ revera ita non subsistunt, seorsim intuetur & scrutatur, unde ἐξ ἀφαιρέσεως ὄντα dicuntur. Arist. l. ἑ. Metaph. c. 1. lib. μ. eorum c. 1. 2. 3. lib. 2. phys. c. 2. lib. 1. de an. c. 1. tex. 17. *Subdivisio hæc alio quoq; modo demonstrari potest. Ens duplici modo consideratur, aut universaliter, aut particulariter. Universalis contemplatio τοῦ ὄντος est; quâ simpliciter, ut Ens est, sive sit abstractum sive sit concretum, sive sit mobile, sive non, consideratur, quæ constituit* Metaphysicam. *Particularis contemplatio est, quæ non totùm Ens, sed partem ejus, nempe quatenus vel abstractum, vel mobile est, respicit. Cum autem hujus particularis contemplationis duæ sint partes, ex duplici particularis Entis naturâ ortæ; duæ quoq; oriuntur distinctæ scientiæ, nempe* Physica & Mathematica. Averr. in Epit. Metaph. tract. 1. c. 1. *Est itaq;* Physica *in iis rebus occupata, quæ non nisi in & cum materiâ considerari possunt, nempe versatur circa entia naturalia & mobilia.*

Entis duplex consideratio.

Mathematica *distribui potest in* simplicem & mixtam. Simplex est, *quæ considerat quasi νοητὰ, hoc est, simpliciter à materiâ separata, & intellectus vi sive auxilio aut concursu aliorum percipit. Cujus generis sunt* Geometria *&* Arithmetica. *Illa magnitudinis & quantitatis continuæ differentias & affectiones sub quacunq; figurâ & proportione contemplatur. Hæc numeri abstracti, sive numerantis species & proprietates considerat. Mixta exhibet subjecta αἰσθητὰ hoc est, materiam sensibus obviam.*

Mathematicæ subdivisio.

Geometria & Arithmetica.

Cujus

Cujus species ex Gemino Mathematico sex dari solent.
1. Astronomia. 1. *est* Astronomia, *quæ (latè sumptâ voce: alias enim secundum primi mobilis & secundorum mobilium distinctionem in Sphæricam & Theoriarum doctrinam dispescitur) orbium cœlestium, item siderum motus, seriem, magnitudinem, distantiam à terrâ & à se invicem: item congressus & varia* φαινόμενα *explicat.*
Astrologia. *Cui vicina est* Astrologia, *quæ ex consensu, dissensuq; corporum cœlestium cum sublunaribus, de futuris per naturales caussas divinando agit. Inserviunt his*
Gnomonica. Gnomonica, *quæ in horarum dimensione, gnomomũ positu exercetur: &*
Meteoroscopia. Meteoroscopia, *quæ elevationum differentias & alia themata Astrologica docet: atq;*
Dioptrica. Dioptrica, *quæ Planetarum & aliarum stellarum distantias scrutatur.*
2. Optica. 2. *Est* Optica, *proponens naturam radiorum visus cum aliis rebus collatorum, & exinde de rerum figurâ, situ, magnitudine &c. dijudicare docens. Cujus partes constituuntur:*
Optica propriè ita dicta. Optica propriè ita dicta, *quæ inquirit deceptionum visui propter longiorem distantiam accidentium caussas: Deinde*
Catoptrica. Catoptrica, *quæ exponit caussas deceptionum & apparentium ex radiorum inflexione & refractione ortorum: Tertiò*
Sciagraphia. Sciagraphia, *quæ docet rerum imagines delineare, ita ut conspici ac dijudicari queant, cum alias innumeræ, & propter nimiam distantiam sint informes.*
3. Geodæsia. 3. *Est* Geodæsia, *quæ perticis & perpendiculis metitur areas quascunq;: Partes hujus dari solent;* Cosmographia & Chorographia.
4. Canonica. 4. Canonica *vel* Musica practica, *quæ concentuum convenientiam & proprietates perpendit, & ad auditus judicium accommo-*

commodat. 5. Arithmetica practica, *numerum, ut appellatur, numeratum, hoc est, in sensibus positum, tractans. Quæ pro numeri sui triplici varietate in Arithmeticam vulgarem, in Logisticam sexagenarum, & Cossam seu Algebram dividitur*. 6. *Tandem datur* Mechanica, *quæ docet fabricare res corporeas: Estq; ὀργανοποιητικὴ, cui σφαιροποιητικὴν adjungimus: & θαυματοποιητική*. 5. Arithmetica practica. 6. Mechanica.

Problema IV.

Practica Philosophia dividitur in Ethicam & Politicam.

Practica Philosophia viam monstrat, quomodo in rebus agendis homo munus suum exsequatur, & enormis appetitus sit regendus, ut rectæ rationis præscripto obsequatur. Piccol. in introd. ad dec. grad. civ. Phil. c. 4. & 6. *Neglectâ tripartitâ istâ divisione, quæ vulgò circumfertur*, (Acciajol. in proœm. comm. in 10. lib. Eth. Nicom. Iavell. ibidem &c.) *dispescimus* Philosophiam civilem *in duas partes*: Ethicam & Politicam. Piccol. in intr. ad 10. grad. civ. Phil. c. 8. Practicæ Philosophiæ definitio & divisio.

Ethica est, quæ tradit præcepta, fundamenta & semina universæ Philosophiæ moralis sive civilis: Politica, quæ magis, quàm illa, practica est, descendit ad gradus, & proponit unicuiq; gradui & conditioni hominum. *Oritur itaq; hæc ex illâ. Quæ enim Ethica ponit generaliter; specialiter Politica, quomodo sint præcepta il-* Ethica. Politica.

la generaliter proposita, ad usum transferenda exponit, & quidem omnibus hominibus: singuli enim homines singulæq; familiæ Reipubl. partes sunt. Nititur autem divisio hæc tali fundamento: Omnis disciplina habet commune subjectum: commune subjectum habet communia principia, communes itidem affectiones, quæ fundamenta universæ disciplinæ prius declarant. Quare cum civilis disciplina una sit, necesse est, ut sit prædita communibus principiis, communi fine, communibusq; affectionibus primò declarandis, & falsum est, quod primo de uno distincto genere vitæ, unoq; proprio ejus bono agatur. Proinde ut omnes disciplinæ practicæ in duas partes, non plures, dividuntur, quarum una in rerum judicio & investigatione occupata est, & theorica; *altera in operatione, &* practica *dicitur: ita doctrinam civilem in duas partes distribuendam censemus.*

Funda-
mentum
divisionis.

Theorema V.

Neq; artes Mechanicæ, neq; Logica, neq; Grammatica, neq; Rhetorica Philosophiæ partes sunt.

Ex illis igitur meridianâ luce clarius est, Artes mechanicas *partem Philosophiæ non constituere.* (Averr. in Præf. in Phys.) *Hæc enim (præter rationes, quæ ex præcedentibus colligi possunt) liberali & ingenuo homine dignissima est: artes verò sordidæ eo indignæ. Quandoquidem non tàm in animi, quàm corporis confirmatione occupatæ, utilitatem potius, quàm honestatem sectantur. Ergo, inquam, ex*

Artes me-
chanicæ.

Philosophiâ rectè ejiciuntur, nisi forsan Homerum σκαπτῆρα καὶ ἀροτῆρα σοφοὺς, *&* Lucianum *Rusticum ligone philosophari dicentem, audire velimus. Notandum interim est, licet disciplinæ omnes in censum Philosophiæ referri nequeant: ipsam tamen dignitatem hanc peculiarem obtinere, ut omnes disciplinæ sint, vel ejus pars; vel fructus ex ea genitus; vel instrumentum ejus caußa paratum & constitutum. Neq;* Logica, *sive disserendi subtilitas Philosophiæ pars est.* Videatur Alexand. in præf. in prior. analyt. Philopon. in Præfat. in analyt. prior. Arist. lib. 1. Topic. c. 9. & 12. ubi problema Logicum nominat σύνεργον Amm. in præfat. super. Categ. Arist. Albertus in princip. post. & in 1. Metaph. tract. 1. c. 1. & in fin. 2. Metaph. Simplic. in præf. super Categ. Arist. Thom. Aquin. in Opusc. super Boët. de Trin. in quæst. de div. scient. speculat. art. 1. sub finem. Zabarel. de nat. Logices c. 5. sub finem. ibidem c. 10. 12. 13. Tolet. in procem. comm. in Ἀκρ. c. 2. *Logicæ enim natura tota tantùm in usu consistit. Quis enim vellet studere Logicæ, ut in ejus quiesceret cognitione; certe ridiculum se præberet studiosum Logices. Obmutescant igitur, quicunq; pro Peripateticis haberi volunt, & adversus Peripateticos absurdum hoc tutantur. Taceant Stoici cum Cicerone; audiatur Aristoteles & doctißima Peripateticorum Schola, quibus melius, quàm illis Logica fuit perspecta. Huic annumeratur* Grammatica *&* Rhetorica. *Quia enim mentis nostræ symbolum Intellectus; & mentis interpres est Oratio, ut aptum & idoneum utriusq; & a-*

Logica.

Grammatica & Rhetorica.

 pud

pud alios, & nobiscum sit instrumentum, inservit Grammatica. Zabarel. l. 1. de nat. Log. c. 10. & lib. 2. de nat. Log. c. 13. Rhetorica *deinde Logicæ quasi adnata, sed* ἀντίστροφος *est, discernitur ab illâ fine & officio sive modo tractandi.* Nam Rhetorica est instrumentum in rebus agendis, cujus facultate in benè dicendo consistente, voluntas hominis ad aliquid vel suscipiendum vel omittendum impellitur. Arist. lib. 1. Rhetor. c. 1. & 2. Zabar. lib. 2. de nat. Logic. c. 13. 14. 15.

Atq; hi sunt Habitus, *quibus in hâc naturæ imbecillitate homines perficimur, & quorum animi nullâ ex parte hisce instructi sunt, quibusvis brutis meritò deteriores censeantur.*

EXERCITATIO SECUNDA

De Definitione, subjecto & divisione generali Metaphysices.

Typus hujus exercitationis.

(A) Meta-

(A.) Metaphysica Theorica generalis consistit in quæstione

- An sit: cujus affirmativa probatur partim
  - Autoritate
    - Aristotelis.
    - Interpretū.
  - Rationibus varijs.
- Quid sit: quæ explicatur
  - Definitione, quæ constat
    - 1. Genere, quod est Sapientia.
    - 2. Subjecto, quod est Ens, prout Ens est.
  - Divisione: qua dividitur in partem
    - Generalem: quæ constituit librum primum (B)
    - Specialem: in quâ liber secundus est occupatus.
- Coronidis loco additur quæstio: quomodo cōveniant, quomodoq; discrepent Logica & Metaphysica.

Theorema I.

Est quædam disciplina, quæ dicitur Metaphysica.

Etsi quidem eruditis supervacanea hæc quæstio videri potest, quòd manifestum sit, solem è mundo tollere eum, qui Metaphysicam *omnium disciplinarum principem & aquilam sublatam velit: tamen propter osores nonnullos rudiores, qui soli sapere, soliq; Palladis arcem posidere sibi videntur, quando non tantùm* An sit Metaphysica.

res Metaphysicas inanes subtilitates & Scholasticorum nugas dictitant: sed quod magis in perversis illis ingenijs & terræ filijs mirandum est, Metaphysicam scientiam quandam esse, *planè negant & pernegant; quæstionem hanc statim in frontispicio tractatus hujus ponendam & probandam duximus.*

Authoritate probatur.

Esse *igitur* Metaphysicam *probamus partim authoritate, partim ratione. Authoritate summi Philosophi, maximi Aristotelis, qui lib, γ. Metaph. c. 1. in hæc verba loquitur:* ἔστιν ἐπιστήμη τις, ἣ θεωρεῖ τὸ ὂν ᾗ ὄν, καὶ τὰ τούτῳ ὑπάρχοντα καθ' αὑτό. αὕτη δέ ἐστιν οὐδεμιᾷ τῶν ἐν μέρει λεγομένων ἡ αὐτή. οὐδεμία γὰρ τῶν ἄλλων ἐπισκοπεῖ καθόλου περὶ τοῦ ὄντος ᾗ ὄν; ἀλλὰ μέρος αὐτοῦ τι ἀποτεμνόμεναι, θεωροῦσι περὶ τούτου τὸ συμβεβηκός, οἷον αἱ μαθηματικαὶ τῶν ἐπιστημῶν. Est quædam scientia, quæ speculatur Ens, prout Ens est, & quæ ei per se insunt. Hæc autem nulli earum, quæ in parte dicuntur, eadem est: nullæ namq; cæterarum universaliter de Ente, prout Ens est, considerant; sed aliquam partem abscindentes, quod ei accidit, speculantur, ut Mathematicæ scientiæ. *Vt autem Aristoteles hoc loco satis est perspicuus: ita omnium insuper interpretum communi suffragio id demõstrari potest. Idem enim supra citatum locum statuit* Thomas, Alexander Aphrodis. Albertus Alensis, Scotus, item Averroes ibidem & lib. 13. comm. 14. & lib. 12. comm 1. *Imò post primos Philosophiæ parentes* Thaletem & Pythagoram

à ne-

à nemine in dubium vocata fuit Metaphysica: Nisi quod hoc nostro seculo audacia P. Rami eo usq; pro- cessit, ut, postquam cæteras Philosophiæ partes satis contaminaverat, Metaphysicis quoq; dicam scripserit, & illorum principia funditus diruere magno conatu tentaverit. Verùm allegata Aristotelis ratio Metaphysicæ necessitatem per subjectum demonstrans, tam certa & immota est, ut nullis omninò arietibus vel à Ramo, vel ab ullo alio expugnari potuerit. Quemadmodum etiam illa ex generum & specierum serie sufficienter comprobatur. Quæritur enim; quid est Plato? esse hominem respondes. Quid verò homo? animal. quid animal? Corpus animatum. quid hoc? Corpus: quid corpus? substantiam: quid deniq; substantia? esse Ens. Cum igitur tractatio de homine, de animali, de corpore animato, tandemq; de corpore ad scientiam quandam pertineat: quis negabit substantiæ etiam & Entis esse considerationem & scientiam? Et cum homini quædam conveniant & accidant propterea quod sive quatenus homo est: animali, quatenus animal est: corpori animato, quatenus corpus animatum est: corpori, quatenus corpus est: quæ omnia Physicæ sunt considerationis, & ad Physicum pertinent: nemo utiq; negabit, substantiæ, quatenus substantia est, quædam convenire & attribuenda esse. Deinde negari non potest, quod ratio Philosophi inculcat, nempe reliquas particulares scientias considerare quidem Ens; sed cum restrictione, hoc est, Ens, quatenus est quantum, vel quatenus est in προσθέσει, adeoq; potius in parte Entis, quàm in ipso Ente exerceri. Physica enim in corporibus naturalibus occupatur: Arithmetica in

P. Rami audacia.

Rationibus probatur. 1.

2.

numeris: Musica in intervallis sonorum: Astronomia in motibus signorum cælestium: Geometria in magnitudinibus & potissimum in superficiebus: Ethica in animo hominis emendando, & in perturbationibus tollendis; Medicina in corpore à morbis liberando, quatenus sanari potest: Jurisprudentia in actionibus humanis, quoad in illis justum & injustum, æquum & iniquum est. Quæ disciplinæ omnes suos limites transgredi neq; possunt neq; debent. Quocirca cum adhuc aliæ sint notiones reales Enti, prout Ens est, competentes, illæq; multò latiores & generaliores, quàm quæ in specialibus illis disciplinis & scientiis collocentur: omninò & latior & genaralior disciplina sive scientia, utpote in quâ ejusmodi noëmata realia exponentur & tradantur, concedenda. Scientiam au-
8. tem illam Metaphysicam esse, certum est. Porrò principia generalia peculiarem requirunt habitum, ut docet Philosophus lib.2.post analyt.cap.ult. Ea enim à nobis cognoscenda, ideoq; alicubi tractanda sunt. Quandoquidem ita in re literariâ comparatum est, imò verò esse debet, ut quod humanâ industriâ acquiri, quod sciendo mens humana cognoscere potest; id mediante aliquo habitu, arte vel disciplinâ innotescat. Verissimè enim à Philosopho.7.Polit.c.17. dictũ est: πᾶσα γὰρ τέχνη καὶ παιδεία, τὸ προσλεῖπον βούλεται τῆς φύσεως ἀναπληροῦν. Vult omnis ars omnisq; doctrina id, quod naturæ deest, supplere. Redigantur itaq; illa principia vel ad generalem quandam scientiam, vel ad particulares. In particularibus quidẽ proponi haud possunt: nec enim

illud

illud sit in omnibus, nec in unâ: non in omnibus: pareret enim ista res mirabilem ταυτολογίαν & insignem induceret confusionem: neq; etiam in unâ aliquâ particulariter: Vniversalia enim ista generalitate suâ omnes particulares scientias excedunt, & universalia ad particularia eundem habent respectum; ideoq; non magis uni, quàm alteri aßignari poßunt. Ergo necessariò sequitur universalia principia universalem, communem, supremam & ab omnibus alijs distinctam, requirere scientiam; qualis est Metaphysica. Proinde si Metaphysica tollenda sit, dic sodes, 4.
quò pertineat tractatio de actu & potentia. Hic Ramistæ Medusæ caput (Logicam dico) promunt. Potentiam enim vim & facultatem esse, ajunt, caussarum, quæ illarum definitionibus exprimatur; unde & activa potentia dicatur, quæ est efficientis, à quo principium motus: & paßiva, quæ est materiæ idoneitas ad recipiendam formam. Alij addunt & hoc: quod res in suo fine dicatur potentia, quando finem nondum consecuta est: ideoq; caussæ finalis potestatem dicunt potentiam. At quid de Actu? Rem levem istum esse grunniunt, quoniam isto magna rerum varietas confundatur: modò enim per illum denotari id, quod in generalißimâ argumenti definitione τῷ Aliquid indicatur: modò caussas essentiam constituentes intelligi: Vnde Actus & Quiditas, ipsa vis & ἐνέργεια caussarum, & præcipuè formæ, vocari poßit. Quid verò est proprium conspurcare nidum, si hoc non est? Quæritur enim, si ista omnia vera esse judicent Adversarij, cur de illis extra conflictum cum adversarijs mentionem in phrontisterijs & libris suis nullam? utiq; rem hanc

scibilem esse & necessariam & philosophicam fatentur toties, quoties Logicâ eam comprehendi dicunt & scribunt: Cur ergo affectionum talium definitio exstat nulla, nulla distributio? Sed ajunt: Potentiam nihil aliud esse, quàm vim & facultatem caussarum. Si hoc verum est, cur non dicunt id & explicant, sive in Logicâ, sive in aliâ scientiâ. Proinde petitio principij est. Nam quæritur: quid sit illa vis. Vis enim sive potentia non est id, cujus est potentia. Materia enim & ejus potentia non sunt simpliciter idem: & potentia actusq; sine notione caussæ & esse & concipi potest. Vt purissimus Dei actus, in Deo, non est caussa: neq; omnipotentia Dei est caussa, sed omnipotentia creatrix caussa est. Sic vis & facultas sive potentia exstruendi ædes est in Architecto tum, quando caussa non est, hoc est, quando nondum ædificat: Et potentia passiva in frutice est hyberno tempore, quando nondum caussa est rosæ. Verùm si vel maximè potentia ad conceptum caussæ pertineret: explicandum omninò esset, quid sit illa potentia in efficiente, quid in formâ, quid in materiâ, quid in fine. Nam licet communem conceptum potentiæ hic abstrahere possim; nunquam tamen mihi imaginabor potentiam ubiq; eandem esse. Quod si vero adeò clara putant in suis Logicis esse omnia, & quid Actus, quid Potentia sit, ex respectibus caussarum ad invicem patere opinantur: cur non finis quoq; doctrinam & effectum omittunt? Finis quidem vix quenquam latere potest, sive res in fieri detur, sive in suo esse: Effectus verò ex caussarum collatione & quidem positione sufficientium, spontè emergit: eodem modo Adjuncti ratio facilè innotescet, si quid subjectum sit, & quæ

& quæ ejus conditio, animadvertatur. At ista omnia ἀκριβῶς, ut putatur, & perspicuè, & necessariò & Logicè proponuntur; quid ita? quoniam peculiaria argumenti sunt genera, vel (si cum ipsis loqui libeat) distinctæ species: & nomina ista ignorare est ignorare Logicam. Ehodum boni viri! quin sapitis! Idem enim de Entis affectionibus, & quidem magis affirmaverim. Mens enim nostra, imò ipsa rerum tractatio, quid Actus Entitativus & existentia: quid purus & mixtus: quid primus & secundus sit: Item, quid potentia activa; quid passiva; quid absoluta; quid ordinata; quid Physica; quid illa, quæ ex hypothesi esse dicitur, & sexcenta alia, exponi postulat. Eodem modo de Vno, de Bono quæritur, nullibi de affectionibus in nova Philosophiá agitur: quo tacitè conceditur Metaphysica. Sed objicis, adversarios vnitatem partim Logicæ, partim aliarum artium complexu contineri, adseverare: agnoscere etiam illius modos omnes: & quomodo res unæ sint genere, specie ac numero, scire se, gloriari. Vnde verò cognitionem istam hauserunt? E libellulis suis Logicis? At in illis ista non proponuntur: tantum abest, ut quis, quid unum sit, perfectè ex istis cognoscere possit, & quomodo illius species sese habeant, videlicet unum perfectionale, essentiale, integrale, potentiale, universale, numerale & individuale. Aenigmata hæc videntur, & incantatorum præstigiæ illis, qui Peripateticæ Philosophiæ sunt ignari. Quod si forsan aliquis arbitretur, satis esse, si dicamus & statuamus ista omnia in novitijs Logicis δυνάμει contineri. Somniabimus nos quoq; cognitis argumentis

(ut

(ut illorum linguâ loquar) consentaneis, cognosci simul eâdem δυνάμει reliqua omnia: vel intellectâ Inventionis doctrinâ, totam intelligi Logicam Rami, partemq; de Iudicio prorsus esse supervacaneam: & sic allatâ δυνάμεως voce in multis conflictibus excusati erimus & ab adversariorum insultibus tutißimi. Hoc verò est, ni fallor, κενολογεῖν καὶ μεταφορὰς λέγειν ποιητικὰς, ut Arist. ά. μείζ. c. 7. t. 32. Metaph. loquitur. Sed quid de bono fiet? Cui Capsulæ illud inclusum profitebuntur? Constat, plerosq; qui in alias Entis affectiones magno impetu debacchantur; de hac μακρὰν σιγὴν σιγᾶν, hoc est, altum agere silentium, nec puto Oedipo divinatore opus esse, qui caussam hujus rei hariolando assequatur: siquidem una Boni ἐργασία instar ἔρεδος μήλου multos hactenus disjunxit. Liceat autem nobis brevißimè ita philosophari: Boni διάσκεψις vel ad generalem vel ad specialem pertinet disciplinam. Quicquid dixerint adversarij, elabi non poterunt. Generali arti, qualem isti Logicam jactitant, si attribuant, monstrent nobis vel unum de bono in Logicis suis vestigium. Specialis verò disciplina quomodo dabitur, sub cujus complexum adæquatè & quidem generaliter cadat? Ethicam pleriq; nominant: sed ἀπερισκέπτως. Etenim si bonum invenitur Physicum, si Rhetoricum, si Grammaticum, si Mathematicum (quemadmodum Adversarij ipsimet loqui solent) deniq; si nulla res est, nulla disciplina, nulla superior facultas, quæ non habeat sibi Bonum aliquod propositum, quod Philosophus primis verbis Ethicæ Nicomachicæ doctè indicat; quomodo,

modo, quæso, tractationem illius generalem & abstractivam, qualem hic monstrari nobis volumus, Ethicæ referemus acceptam? mirum in progressu temporis Ethica circa Ens & non-Ens versari communiter, & benè disserendi modum proponere affirmetur! quam tamen de Ente speciali agere, negare non possunt Adversarij. Atq; hæc de Bono ἐξήγησις tàm luculentum est & sufficiens nostræ sententiæ argumentum, ut vel sola neceßitatem Metaphysices confirmare poßit. Idem evincit Neceßitatis & Contingentiæ doctrina, quæ certè realem aliquam scientiam requirit, in quâ explicetur: at in nullâ potest particularium. Si enim in Physicis agas de Neceßitate, dicet tibi Mathematicus hanc ad se quoq; pertinere. Quare Universaliori scientiæ relinquenda est, quæ est, Metaphysica, Ens considerans quâ Ens est, & omnes Entis affectiones, inter quas non ignobilißima est neceßitas & contingentia. &c.

Theorema II.

Metaphysica est Sapientia.

Metaphysicam esse, demonstratum est, quid ea sit, investigandum sequitur. Ratio nominis.

Metaphysica *vel ab ipso* Aristotele, *vel à* Theophrasto, *qui illius opera magnâ ex parte in ordinē redigisse dicitur*, περὶ τῶν μετὰ τὰ φυσικά, *inscripta fuit, utpote quæ tractet ea, quæ post vel ultra Physicam constituta sunt, non quidem dignitatis aut natu-*

ræ or-

ræ ordine: sed acquisitionis, generationis sive inventionis; vel etiam propter subjecti excellentiam. Ὄντα *enim Metaphysica naturalium* ὄντων *ordinem longè superant, & in altißimo rerum gradu sunt constituta.* Averr. Epit Metaph. tract. 1. pag. 371. A.B. *Abstrahit enim hæc scientia à rebus naturalibus sive sensibilibus & materialibus* νοήματα *simplicißima, contemplaturq; & res divinas & à materiâ separatas, & communes rationes Entis, quæ absq; materiâ esse possunt. Vnde sæpius à Philosopho &* Philosophia *absolutè &* κατ' ἐξοχὴν, *quod sola ferè hoc nomen præ reliquis partibus teneat,* lib. γ. Metaph. c. 2. §. 5. & cap. 3. § 7. & 8. *&* σοφία πρώτη prima Philosophia *dicta est,* γ. Metaph. c. 2. §. 4. & lib. ε. Metaph. c. 1. §. 3. & 1. Phys. c. 9. §. 83. *tum quia est princeps & domina omnium aliarum scientiarum* lib. ε. Metaph. c. 1. & lib. κ. eor. c. 6. & lib. 1. post. c. 7. *tum respectu Physices, quæ etiam ipsa Philosophia sive* σοφία *dicitur, sed non* πρώτη, lib. γ. Metaph. c. 3. tex. 7. *& nominatim* lib. ζ. eor. c. 11. *appellatur secunda Philosophia. Alias etiam, quod* τὰ θεῖα *&* τιμιώτατα *tractet, vel etiam à parte subjecti nobiliore Deo, ut vult* Zabarella, θεολογία *&* θεολογικὴ *nominata est* lib. ε. Metaph. c. 1. lib. κ. eor. c. 6.

Nomina diversa hujus disciplinæ.

Definimus autem Metaphysicam *per* Sapientiam, *quia ita eam inscribit* Philosophus, *omniumq; speculativarum perfectißimam prædicat* lib. α. μείζ. Metaph. c. 2. §. 11. lib. γ. eor.

Genus Metaphysicæ Sapientia.

eor. c. 2. §. 7. lib. έ. eor. c. 1. §. 2. lib. ί. eor. c. 6. *quæ nescio, quid singulare & divinum* Φρουτίσει *suâ sapit, quando non contenta est scire* τὰ ἐκ τῶν ἀρχῶν; *sed ipsorum principiorum, quamlibet primorum & illustrißimorum veritatem inquirit.* Et licet *quidem* lib. ά. metaph. maj. c. 2. *quoq; dicatur* Prudentia; *tamen illud nomen per analogiam quandam illi accommodatur. Quemadmodum enim in disciplinis practicis prudentia; Sic in speculativis* Sapientia *hæc maximè expetenda est. Vnde* Plato *videtur eam* θριγκὸν καὶ τέλος, *perfectionem & munimentum reliquarum scientiarum prædicare.* Videatur Plato lib. 7. de Republ. ubi per vocem Dialectices intelligit Metaphysicen. Item Proclus comm. in Eucl. c. 4. Averroës. l. 4. Metaph. comm. 7. pag. 97. & 98. lib. 8. Phys. com. 22. p. 284. D. lib. 1. de cœlo com. 78. p. 57. B. *Deinde pro genere hoc confirmando ita concludimus: Cui scientiæ competunt omnes conditiones Sapientiæ, quas enumerat Philosophus* lib. ά μείζ. Metaph. c. 2. *illa verè sapientia est: Atqui Metaphysicæ competunt omnes illæ conditiones: Ergo &c. Minor* Conditiones Sapientiæ.
manifesta est inductione. Prima *conditio est:* Versari circa omnia. *Quod præstat* Metaphysica 1.
duobus modis: Primùm confuse & communiter, quatenus agit de rationibus Entis communibus, sive sit substantia, sive accidens, sive prima & universalißima principia, in quibus omnia reliquarum scientiarum principia suo modo fundata sunt. Deinde particulariter agit Metaphysica *de rebus omnibus usq;*

ad differentias proprias & species, ut illud in Theor. ult. hujus Exercit. pluribus explicabitur.

2. Secunda *conditio Sapientiæ est*, versari circa difficilima & à sensibus remotissima. *Non enim Sapientis, sed hominis plebei est, & vulgaris, cognoscere omnibus obvia & quæ sensibus tantùm exposita sunt: Atqui de ejusmodi rebus agere Metaphysicam, subjecti conditio & totus scientiæ hujus progressus abundè testatum facient.*

3. Tertia: Sapientia habet cognitionem certissimam: *quia continet perfectissimam: perfectio verò humanæ cognitionis in certitudine posita est. Et Metaphysica certissima est. Illa enim scientia judicanda certissima est, ex cujus principijs aliarum scientiarum principia, robur & certitudinem accipiunt. Atqui hoc fit ex Metaphysicâ. Ergo &c.*

4. Quarta: Sapientia habet maximam ad docendum aptitudinem, potestq; omnia ad prima usq; principia & caussas revocare. *Et Metaphysica ad docendum aptior est omnibus alijs scientijs. Nam illa scientia est magis apta ad docendum, quæ magis in caussarum cognitione versatur. Illi enim docere dicuntur, qui cujusq; rei caussam afferunt: Atq; doctrina hæc in caussarum cognitione maximè versatur: Ergo aptissima est ad docendum.*

5. Quinta: Sapientia digna est, quæ propter se sciendiq; caussâ appetatur: *Atqui de Metaphysicâ hoc verè dici potest. Tractat enim de nobilissimis Entibus & universalissimis Entis rationibus maximèq; abstractis. Videatur* Arist. lib. α. ἐλάττ. Metaph. c. 1. lib. γ. cor. c. 1. & 2. item lib. λ. cor. per totum.

Tan-

Tandem Sapientia alijs potius præest, quàm quod eis ministret. *Hoc demum Metaphysicæ competere manifestum est: quandoquidem illa scientia maximè princeps est & ministranti præponitur, quæ primas rerum caussas considerat: Atqui hoc facit* Metaphysica: *Hinc* Thomas. 3. Contr. Gent. c. 25 rat. 6. Hoc autem modo, *inquit*, se habet Philosophia prima ad alias speculationes: nam ab ipsâ omnes aliæ dependent, utpote ab ipsâ accipientes sua principia; & directionem contra negantes principia, ipsaq; prima Philosophia tota ordinatur ad DEI cognitionem, sicut ad finem.

Est itaq; secundum Aristotelem *& veritatem ipsam* Metaphysica Sapientia, *quippe quæ utrūq; habitum, tàm νοῦν, quàm ἐπιστήμην, conjungit, principiaq; simul & conclusiones respicit, quod proprium quoq; sapientiæ esse docet Philosophus* l. 6. Moral. Nicoma. c. 7.

Theorema III.

Subjectum Metaphysices est Ens quà Ens.

Genus Metaphysicæ *fuit* Sapientia: *sequitur* differentia, *quæ subjectum continet. De* subjecto *igitur* Metaphysices *quando quæritur, tum non intelligitur subjectum* inhæsionis, *quale est intellectus omnium scientiarum; neq; prædicationis, quod est prior pars* Enunciationis *sive propositionis; sed* considerationis *sive tractationis, quod alias* ἀντικείμενον Objectum, lib. 1. de an. c. 1. tex. 10. — Subjectum triplex.

& lib.2.c 4.t.33. *item* ὑποκείμενον γένος subjectum genus l.1.post. c.7.8. & 23. *item Scholastici* subjectum adæquatum *dicitur. Illud dicimus esse* Ens, *& quidem non quovis modo sumptum, sed in* quantum Ens est. *Quemadmodum enim scientiæ cujuslibet subjectum dupliciter designandum est: ita etiam pari modo de Metaphysicâ id valet: nempe* re consideratâ & modo considerandi. *Quæ sanè duo idem omninò non sunt, quamvis idem esse poßint ac debeant. Aliud namq; est proponere rem, ut res est; aliud certo modo proponere: quandoquidem una eademq; res diversos considerandi modos habere potest, idemq; homo considerari, quatenus est disciplinæ capax, quatenus risibilis, quatenus bipes, quatenus corpus, quatenus virtute præditus &c.* Res ergo considerata *rationem materiæ, quæ diversis scientijs potest esse communis:* modus *verò* considerandi, *formæ conditionem habet, qui communitatem illam limitat, & ad certam scientiam astringit. Quocirca satis non est, statuere subjectum Metaphysices esse* Ens, *nempe* conceptum illum primum, qui positivè in intellectu est: *quandoquidem eo saltem res considerata exprimitur, quæ etiam in Logices subjecto est: siquidem & hæc circa Ens versatur: imò nulla scientiarum datur, quin aliquod Ens consideret. Modus itaq; considerandi,* Prout Ens est, *adjiciendus est: quem exprimit Philosophus supra allegato* lib. γ. Metaph.c.1. *his verbis* ἔστιν ἐπιστήμη τὶς, ἣ θεωρεῖ τὸ ὂν ᾗ ὂν, καὶ τὰ τούτῳ ὑπάρχοντα καθ' αὑτό. Est quædam scientia, quæ speculatur Ens, prout Ens

Duplex subjecti consideratio.

ut Ens est,& quæ ei per se insunt. *Rejicimus igitur primùm opinionem illam, quæ subjectum Metaphysices statuit solum Deum,& ab* Alberto in præf. Metaph. *Alpharabio tribuitur. Quandoquidem generalia principia affectionesq; Entis,ut & tota prædicamentorum series, quæ propriè in Metaphysicâ proponitur,non nisi remotè & per accidens ad Dei scientiam referuntur.* Falsæ opiniones de subjecto Metaphys.

2\. *Deinde & illam, quæ Deum simul & intelligentias adæquatum subjectum hujus scientiæ esse statuit,& Averroi tribuitur. Si enim sententia hæc vera esset, excluderentur ex Metaphysicâ omnia illa,quæ in genere de Ente dicuntur: Quod absurdum.* Neq; Deus simul & Intelligentiæ.

3\. *Tertiò dicunt alij Ens latissimè sumptum, prout includit non tantum Entia realia & per se, sed etiam Entia rationis & per accidens, hujus scientiæ subjectum esse.* Ens latissimè sumptum.

4\. *Quartò sunt qui excluso Ente rationis,Ens per accidens subjecto hujus scientiæ includunt. Verùm quid de duabus hisce opinionibus sentiendum sit, intelligitur ex Theoremate sequente.*

5\. *Quintò Dominicus Flandriensis excluso Deo, finitum Ens, quod in decem prædicamenta distribuitur, subjectum facit Metaphysices. Verùm si ejus opinio vera esset, tùm Deus sub Entis ratione considerari minimè posset.*

6\. *Tandem Buridanus dixit, solas substantias à Metaphysico considerari. Ergo sola substantia Ens erit, & Mathematica non partem Entis tractabit, quod absurdum est. His,inquam,opinionibus omnibus rejectis; nostram sententiam veram esse statuimus, & iterum dicimus,* subjectum Metaphysices esse Ens quatenus Ens.

Theorema IV.

Ens illud Metaphysicum non est Ens per accidens, neq; ens rationis; sed ens per se & ens reale.

Vt porrò rectè intelligatur, quodnam & quale Ens pro subjecto Metaphysico agnosci debeat, ab Ente per accidens & rationis illud est distinguendum & separandum. Tenendum autem primo loco venit, aliter

Ens per accidens dupliciter dicitur.

sumi Ens per accidens, *quando opponitur Enti per se; & aliter quando opponitur substantiæ. Quando opponitur Enti per se, tum est aggregatum & concretum ex rebus diversorum generum, hoc est, Ens per accidens est, quod ex duobus Entibus completis resultat, intelligiturq; de re subjectâ huic denominationi, & est triplex* (lib. γ. Metaph. c.4. lib. δ. eor. c. 6. lib. ε. eor. c.2. Savanarol. l.1. Epit. Phys. Concl. 30.): Primum *quando accidens de accidente dicitur, ut si contingat, quendam hominem esse Musicum & eundem quoq; justum esse, tùm hoc modo rectè dices: Musicum justum esse per accidens.* Secundò *quando ex subjecto & accidente fit unum, ut homo est justus.* Tertiò *quando ex accidente & subjecto (qui modus illi est oppositus) fit unum, ut justus est homo. Atq; tale ens per accidens (quod illius caussæ sint indeterminatæ, contingentes & incertæ, scientiæ verò & potissimùm Metaphysica omnis certitudinis regula, circa determinata, necessaria & certa sint occupatæ) non est considerationis Metaphysicæ. Ens porrò per accidens, prout substantiæ opponitur, hoc est, ratio formalis Entis per accidens, hoc est, ipsum accidens,*

dens, quod subjecto inhæret, considerari potest scientificè. Nam concipitur per modum unius rationis formalis per se, adeoq; per se ens dici potest, quatenus id Enti per accidens opponitur. Quandoquidem tali modo Ens per se sumptum est, quod in suâ naturâ consideratum, essentialem habet conjunctionem, qualis est Res ejusdem prædicamenti & συζυγίας. Est itaq; tale Ens per accidens Metaphysicæ considerationis, & considerabitur infra lib. 2. ubi Ens in substantiam & Accidens dividetur. Ens quoq; per se non uno modo accipitur. Primum itaq; dicitur, uti jam explicatum est, nempe prout significat Ens simplex ejusdem prædicamenti, quomodo de se invicem per se prædicantur, quæ in quolibet decem prædicamentorum naturaliter ponuntur: nec extenditur hic modus Entis per se ad ea, quæ extra prædicamenta sunt. Deinde Ens per se dicitur omne id, quod propositionum veritatem significat: quomodo non tantum Entia realia, sed etiam privationes, rationis sive intentionalia Entia per se dicuntur: quæ tamen ad Metaphysicam non pertinent, quippe quæ tantùm Entium realium contemplatrix est. Tenendum itaq; discrimen est inter Ens reale & rationis. Ens reale est, quod non solùm in intellectu formatur, sed quod, cessante animi actione Intellectusve discursu, nihilominus in rerum naturâ persistit: Vt equus est ens reale, quia etiam homine non cogitante in mundo est. Ens hoc reale duplex est: aliud in Intellectu: extra intellectum aliud. Hoc dicitur Ens, quod suum esse extra intellectum habet, ut Deus, Angeli, homines &c. de quibus nemo dubitat

Ens per se duobus modis dicitur.

1.

2.

Discrimen inter Ens reale & rationis.

Ens reale duplex.

bitat, esse Entia realia. Sive enim consideres hominem, angelum &c. sive non consideres: tamen existit Angelus, homo, leo &c. Ens reale in intellectu est, quod suum esse, & actum tantùm in intellectu habet, atq; propterea primo intuitu videri potest ens rationis, cum tamen rationis non sit, sed revera reale, ut conceptus mentis primi, habitus scientifici. Hæc & similia licet saltem in ratione suum esse habeant; tamen entia rationis sive Intellectualia censenda non sunt, tum quia realia continent: tum quia ad certa prædicamenta referuntur: tum quia in scientiâ reali considerantur. Hoc autem de reliquis intentionalibus, ut sunt Genus, Species &c. licet sint in mente, dici non potest. Quocirca Ens reale, *prout distinguitur contra Ens rationis, definire solent Metaphysici,* quod habet esse extra intellectum, vel producitur à caussâ effectivâ reali, estq; in aliquo subjectivè. *Per priorem definitionis partem* (quod habet esse extra intellectum) *intelliguntur entia realia externa: per posteriorem interna.*

Entis realis definitio.

Quid Ens *rationis sit non intelligitur, nisi prius scias, quot modis aliquid in intellectu esse dicatur. Sciendum itaq; aliquid in intellectu esse tribus modis:* subjectivè, objectivè & consequenter. Subjectivè *aliquid in intellectu esse dicitur propriè, nempe ut accidens in subjecto: quomodo species intelligibiles, scientiæ, habitusq; intellectuales, propriè in intellectu esse, suamq; essentiam in eo obtinere rectè dicuntur.* Objectivè *aliquid in intellectu esse dicitur per Analogiam, nempe illud quod directè ab intellectu cognoscitur, extra intellectum verò subjectivè est, hoc*

In intellectu esse tribus dicitur modis.

est,

est, realem suam existentiam habet: non aliter atq; speculo vel oculo offertur color, qui non in speculo sive oculo; sed in Corpore colorato est subjectivè; in illis autem objectivè, quia objicitur & speculo & oculo, & in illis est, conspiciturq;. Eodem modo res non est in intellectu, equus non est in animo subjectivè: sed illi offertur, ut objectum intelligibile potentiæ intellectuali, adeoq; in illâ objectivè esse dicitur. Consequenter *in intellectu dicitur illud, quod consequitur rem objectivè in intellectu hærentem, per intellectus operationem. Vt equo, quatenus intellectui objicitur, & circa illum mens occupatur, competit, quod sit species, subjectum, prædicatum, terminus major, minor vel medius: quæ certè in equo extra intellectum constituto, cessanteq; intellectus operatione non inveniuntur.* Ens *itaq;* rationis (*quod etiam* noëma noëmatum, noêma secundum, intentionem secundam, vocem intentionis secundæ *dicunt*) est, quod rem sequitur mente conceptam per operationem intellectus, quodq; in mundo operatione illâ cessante nihil est positivi. *Tales sunt propriè omnes Logici termini, Genus, Species, Enunciatio, Syllogismus. Hæ enim notiones proprie ad intellectus operationem consequi dicuntur. Deinde huc referuntur secundariò & generaliter* Grammaticorum & Rhetorum *notiones & termini, ut sunt Nomen, Pronomen, Declinatio, Casus, Figura & id genus alia. Item Exordium, Narratio, Tropus, Figuræ, quatenus nimirum illis oratio mensuratur & dijudicatur.* Cajetanus *accuratè & eleganter Ens reale & rationis, propriè & strictè sumptum, distin-*

Ens rationis quid sit.

guit his verbis: Prima intentio vocatur illa intellectus attentio, quæ convenit illis secundum quod sunt in rerum naturâ: Secunda autem intentio dicitur illa intellectus attentio, quâ in rebus sibi oblatis intuetur illa, quæ conveniunt illis ex intellectus adinventione.

Figmentum. *Datur quidem adhuc aliud Ens rationis, nempe figmentum, ut Chimæra, Thalia & alia Poëtarum figmenta. De nullis agit Metaphysicus. Quod nonnulli putant, noëmata secunda Logica, quatenus noëmata secunda sunt, esse considerationis Metaphysicæ; quatenus verò sunt instrumenta cognoscendi, pertinere tantùm ad Logicam; constare non potest. Noëmata enim secunda non sunt, vel constituunt subjectum Logicum; sed sunt opus & effectum Logices. Quis autem dicat effectum artis non esse considerationis illius artis, cujus effectum est, & architectum sine consideratione sui finis & effecti operari posse? Vana hæc esse quilibet percipit. Entia igitur rationis & Logica noëmata ad Logicam pertinent, & ens reale ejusq; affectiones & primæ caussæ, principiaq; in considerationem Metaphysicam tantùm veniunt. In ipso enim solo solidè subsistit, & ejus metas haud exit.* Averr. 6. Metaph. ad Cont. 8. Avicenna lib. 1. suæ Metaph. Iavellus. 1. Metaph. q. 1. Scaliger Exercit. 1. s. 3. *At, inquis, de genere, specie &c. multa præcipit Philosophus in Metaphysicis? Verum est. Id autem non facit tàm definitionis eorundem investigandæ gratiâ, quàm usus. Quandoquidem commodè res in scientijs tractari non possunt, sine ejusmodi terminis Logicis.*

Noëmata Logica non pertinent ad Metaphys.

Theo-

Theorema V.

DEus, Angeli, omnesq; intelligentiæ ad subjectum Metaphysicum referuntur.

Ad veram subjecti Metaphysici explicationem & hoc Theorema *pertinet. Quomodo autem* Deus, Angeli *&* Spiritus, *ut ὄντα specialia, ad subjectum Metaphysicum, quod universale est, sint referenda, varij variè statuunt. Omnem verò difficultatem tolli putant nonnulli, quando intelligitur, quomodo in subjecto Metaphysico, quod in præcedentibus subjectum considerationis dictum est,* tres primitates, *uti loquuntur, ponantur.* Una *gradum designat, & dicitur primitas perfectionis.* Altera *principalem attributionem ostendit, & dicitur primitas attributionis.* Tertia *æqualitatem præcisam subjecti ad scientiam denotat, & dicitur primitas adæquationis.* Subjectum itaq; primum primitate perfectionis est Deus, intelligentiæ, & omnia abstracta: *quandoquidem illa mensura sunt omnium reliquorum Entium.* Subjectum primum primitate attributionis est substantia: *de illa enim omnes Entis affectiones primò dicuntur. Est enim principale* Ens *inter omnia* Entia, *substantia: quod* Ens *de reliquis omnibus prædicetur analogicè & omnia dicantur* Entia, *in quantum sunt vel substantiæ vel ad substantias referuntur.* Savanor. l. 1. Epit. Phys. Conclus. 26. Subjectum primum primitate adæquationis, est Ens prout Ens est. *Quando itaq;* (In subjecto Metaphysico tres ponuntur primitates.)

dicitur, Deum *esse primum subjectum Metaphysices*, (*quemadmodum id statuit Averroës* lib. 1. Phys. cont. ult.) *de subjecto primo primitate perfectionis id intelligendum est: quomodo primum Subjectum esse potest; illo universali non obstante.* Subjicitur itaq; Deus primæ huic Philosophiæ, quatenus lumine naturæ cognosci potest. *Verumenimverò, utut etiam ista sese habeant, negari non potest, Ens quà Ens, hoc est, universam Entis latitudinem Metaphysicæ subjici; & quidem ita, ut non descendat ad particularem vel Dei vel intelligentiarum vel aliorum Entitatem, nempe cujus considerandi modus generalis est, qui se ad speciales naturas dimittere minimè potest. Cum igitur absoluta Dei consideratio institui debeat secundum suam specialem Entitatem, hoc est, Deitatem: sequitur illam in Metaphysicâ explicandam non esse, sed in speciali & particulari quâdam scientiâ considerandam. Nihilominus tamen, quoniam præter communes illas Entis affectiones paucissima sunt specialia, quæ de Deo & Intelligentijs luce naturali cognoscimus, Aristotelis vestigijs insistentes cum generali Dei doctrinâ reliqua etiam infra libro secundo conjungemus, ne tam imperfectæ cognitioni peculiarem scientiam præter Sacrosanctam Theologiam, aßignare cogamur.*

Theorema VI.

Ad Subjectum Metaphysices pertinent etiam primæ caussæ, prima

prima rerum principia & affectiones.

Hoc theorema sequitur ex præcedentibus. Scientiæ hoc habent inter se commune, quod non tantum suum subjectum; verùm etiam principia ejusdem & affectiones considerant: quocirca & in hâc scientiâ quædam, quasi Entium species *sunt,ut* Substantia & Accidens; *quædam* quasi affectiones, *ut* unum, multum, actus, potentia, idem, diversum, æquale, inæquale *& similia: quædam* quasi caussæ; *quales sunt* caussæ ultimæ & universales, *ad quas aliæ reduci debent, ut sunt* primum efficiens, primus finis, prima materia, prima forma. Quasi principia *dicimus,* quasi affectiones. *Nam Entis, ut Ens est, quod subjectum hujus scientiæ adæquatum diximus, principia non dantur, neq; quæruntur: ante enim hoc nihil prius, ut eleganter Scaliger* Exercit. 307. sect. 27. *neq; Ens hoc definiri potest.* Zabarella lib. 1. post. c. 13. ad t. 104. *Nulla itaq; dantur hujus principia? Statuimus etiam cum Zabarella* lib. de tribus præcogn. c. 4. *principia & caussas* esse vel essendi vel cognoscendi. Cognoscendi *principia etiam à posteriore petuntur, ut rectè quoq; monet Iavellus.* 2. Metaph. q. 1. *omneq; effectum, quatenus ab ignorantiâ in cognitionem caussæ evehit, principium cognitionis est, ut scitè iterum animadvertit Iavellus.* 1. Metaph. q. 1. *Neq; similem habent rationem affectiones subjecti hujus scientiæ cum reliquis scientijs. Nam in alijs scientijs non prædicatur subjectum de affectionibus univocè.*

Principia & caussæ sunt duplices.

Rectè

Rectè enim dicitur, Corpus naturale est subjectum motus: *quis autem dixerit*, motus est corpus naturale?) *In hâc verò scientiâ verè dicitur*, Vnum est Ens. Verum est Ens, Bonum est Ens. *Deinde in aliis scientiis affectiones sunt realiter distinctæ à subjecto: sed affectiones Entis potissimæ, nempe quinq; illa transcendentia, (ut vulgo numerantur)* vnum, res, aliquid, verum, bonum, *ab Ente realiter non distinguuntur, sed ratione vel modo tantùm. Sunt enim* ταὐτὸ καὶ μία φύσις τῷ ἀκολουθεῖν ἀλλήλοις. Metaph. γ. t. 3. 4. Realiter *verò distincta illa dicuntur, quæ diversas habent quiditates & essentias.* Res *enim dicitur* aliquid, *ut infra docebitur, à suâ propriâ quiditate & essentiâ.* Ratione *autem & modo diversa dicuntur ea, quæ eandem habent quiditatem, sed aliter atq; aliter considerantur. Diversitas itaq; illa illis accidit, non quâ res sunt diversæ, sed quâ à ratione nostrâ diversimode considerantur, diversosq; habent respectus & considerandi modos. Atq; inde fit, quod in aliis scientiis affectiones de subjecto & substantiâ semper concretivè, non abstractivè prædicentur. Quia enim substantia & accidens realiter differunt, quod alia sit quiditas substantiæ, alia accidentis, non dici potest, quod substantia sit accidens vel contra. Sic albedo & homo diversa sunt Entia: & quia diversa sunt Entia, propterea quod res cum Ente convertatur, duæ quoq; res sunt: Ergo realiter differunt. Ergo dici non potest, homo est albedo, sed homo est albus. Verùm Ens prædicatur de transcendentalibus suis affectionibus in concreto & in ab-*

Realiter distincta quæ sint.

Ratione distincta quæ sint.

stracto.

stracto. Rectè enim dicitur: Vnum est Ens & Entitas, Verum est Ens & Entitas, Bonum est Ens & Entitas. Quemadmodum itaq; alias habent conditiones principia hujus scientiæ à reliquarum scientiarum principiis: Sic eodem se modo res habet in affectionibus, nempe principia & affectiones eodem cum subjecto vocantur nomine, nimirum quod sunt Entia. Vnde intelligitur & magis probatur assertio nostra de genere Metaphysices, quod sit Sapientia, *quæ etiam interdum scientiæ nomine venit. Nam juxta Thomam Aquin.* lib. 2. q. 57. art. 2. *Sapientia distinguitur à scientia, non quod scientia non sit, sed quod in latitudine scientiæ habeat specialem gradum & dignitatem.* Sapientia quomodo à scientia distinguatur. *Vnde rectè infert Suaretz* disp. 1. de nat. Met. sect. 5. dist. 52. p. 37. *Scientiam dupliciter sumi: uno modo genericè, prout significat habitum per demonstrationem acquisitum, ut* in 1. post. an. c. 2. *definitur, atq; ita Sapientiam includit: Alio modo accipitur scientia magis strictè, prout dicit habitum, qui solùm versatur circa conclusiones demonstrabiles, & non circa ipsa principia, id est, pro habitu, qui solùm scientia est, & nullo modo intellectus: Atq; ita sumpta scientia sapientiam excludit. Hâc de re vide etiam Iavell.* lib. 4. Metaph. q. 2. p. 49. *Ergo iterum concludimus, Metaphysicam de Ente quatenus tali, pertractare, cæterarumq; disciplinarum principia probare, ac naturalem* DEI *ac intelligentiarum notitiam explicare; partim quia perpauca sunt, quæ de summo illo Ente & formis abstractis natu-* Scientia dupliciter sumitur.

rali rationis lumine cognoscimus; partim quia Deus principij caussantis & naturæ naturantis rationem obtinet, sicut cætera generalia in Metaphysicis rationem principij ad cognoscendum.

Definitio Metaph. *Quibus ita constitutis, definimus Metaphysicam hunc in modum:* Metaphysica est Sapientia, quæ considerat Ens quâ ens est, quæq; illi sunt annexa, modos nimirum Entis communes, prima principia & primas caussas.

Theorema VII.

Metaphysica dividitur in duas partes: prior est generalis, atq; agit de illis, quæ Ens generaliter consequuntur: posterior specialis, & agit de speciebus Entis eatenus, quatenus ad hanc scientiam pertinent.

Divisio ejusdem. *Definitionem rectâ excipit* Divisio, *quâ illam in* partem generalem & specialem *dispescimus. Quemadmodum enim corpus naturale in scientiâ physica cognoscendum proponitur tum secundum communem rationem; quatenus genus quoddam est, latißime patens; tum secundum singularum specierum proprias rationes; atq; ex hâc duplici corporis naturalis consideratione duæ scientiæ naturalis partes constituuntur: sic quoq;* Ens *subjectum Metaphysices primò ratione generalis suæ naturæ & conditionum affectionumq;*

numq; in considerationem venit, & constituit partem generalem: secundò ratione specierum prout analogicè & πρὸς ἓν in Ens finitum & infinitum secundum perfectionem dividitur: quorum hoc in solo Deo reperitur: illud vicißim in substantiam & accidens, vel etiam Ens immediatè ἀναλογικῶς in substantiam & accidens dispescitur, & quodlibet horum tamdiu in suas species diducitur, donec ad ultimas species in unâquaq; categoriâ perveniatur; atq; hinc oritur pars specialis. Objicis, *hanc divisionem constare non posse, cum Metaphysica tantum consideret Ens quatenus Ens* Arist. γ. Metaph. c. 1. & ε. eorundem c. 1. *quod subjectum particularia οὐσία excludere videtur: Et Connimbricenses* 1. Phys. 1. q. proæm. art. 5. *Pererio respondent, Prædicamentorum tractationem in Metaphysicâ esse perfunctoriam.* Respondemus, *subjectum hoc particularia οὐσία nō excludere. Quandoquidem Metaphysicus tradit cognitionem non confusam sed distinctam, & versatur in eo, quod est ab uno.* γ. Met. c. 2. *Nihil autem distinctè cognoscitur nisi cognitis ijs, quæ sub eo continentur, ut docet Philosophus* lib. 2. post. 12. t. 27. *Hinc* Fr. Picolom. lib. de introd. scient. nat. c. 29: item grad. 5. phil. mor. c. 22. & 28. *rectè monet, Metaphysicum etiam considerare essentias rerum in specie: imò Metaphysica inter duo singularia discrimen ponit* Scal. ex. 307. sect. 17. Zabar. de const. indiv. c. 1. *Ergo non in solo Ente communiter sumpto est occupata; verùm etiam ad species, imò ad ipsa individua descendit. Et licet quidem à nobis quamplurimi dissentiant,*

Objectio.

Responsio.

ut

ut Iavellus 1. Met. q. 11. Goclen. disp. 3. Metaph: & alij: *tamen sententiam nostram veriorem esse ob allegatas rationes statuimus, & quando cum Philosopho dicimus, Primam Philosophiam contemplari Ens quatenus Ens est, intelligimus omne Ens, quatenus Essentiam habet, & revera est, hoc est, omnia tam particularia, quàm universalia sub ratione Entis considerat Metaphysica. Hinc Connimbricensium quoq; opinio falsa arguitur. Quandoquidem species non perfunctoriè, sed per se tractantur in scientiâ; nisi forsan omnia, quæ in Physicis, exceptis Acroamaticis, proponuntur, propterea quod corporis naturalis species sunt, abundare dixeris: imò ipse Philosophus de substantiâ agere incipit* lib. ζ. Met. *& quidem de materiali tractat usq; ad* lib. λ. t. 5. *Vbi incipit ad immaterialem deflectere. Et licet quidem copiosius agat de substantiâ, quàm de accidentibus, nempe (ut docet commentator* 4. Met. t. 2.) *propter præcipui analogati, nimirum substantiæ, potiorem rationem: accidentia tamen à Metaphysicâ consideratione non excludit. Quot modis enim dicatur accidens, item quid sit, docet* lib. δ. Metaph. c. 30. Item. lib. ε. c. 2. *Quomodo etiam substantia & accidens distingvantur, ostendit* lib. γ. Met. c. 4. t. 13. & 14. &c. *Tandem ad divisionem hanc nostram proximè accedit Savanorola* lib. 1. Epit. Phys. concl. 29.

Theorema VIII.

Nulla scientiarum majorem cognationem habet cum Metaphysica,

physica, quàm Logica: qui autem propterea diversas disciplinas confundit, quid distent æra lupinis, planè ignorat.

Tandem & coronidis loco in generali hâc Μεταφυσικῇ σκέψει videndum est, in quibus conveniant, in quibus discrepēt Logica & Metaphysica, cùm à multis, nempe quibus μηδὲν εἰδέναι ἥδιστος βίος, in nil sciendo jucundissima est vita, diversæ hæ scientiæ miserè & sine judicio confundantur, quando non observant, quod habet Philosophus lib. α. ἐλαττ. c.3: ἄτοπον εἶναι ἅμα ζητεῖν ἐπιστήμην καὶ τρόπον ἐπιστήμης.

Conveniunt autem primò in eo, quod utraq; sit περὶ πάντων lib. γ. Met. c.2: & dicuntur κοιναὶ πασῶν communissimæ disciplinæ omnium. Deinde quod utraq; sub se contineat omnes alias disciplinas. Habet itaq; Metaphysica & Logica communitatem & generalitatem æqualem, sed non eandem. Hæc enim ad modum sciendi sive τρόπον τῆς ἐπιστήμης restringitur: illa autem Metaphysica ad res ipsas. Logica itaq; communis est ratione noëmatum intentionalium: Metaphysica verò communis est ratione sui subjecti, quod Ens reale definivimus. Deinde Metaphysica, quia omnium scientiarum Domina est, docet aliquid scientifice scire: Logica neq; scientia est, neq; scientificè procedit: sed ut instrumentalis habitus est, ita etiam nihil aliud quàm instrumenta fabricare docet. Tandem Metaphysica in cognitione & scientiâ

Convenientia & discrepantia Metaphysices, & Logices.

desinit & quiescit: Logicæ cognitio propter se non appetitur, quare sua præcepta ad aliquid producendum dirigit. Atq; hæc breviter de generali Metaphysices naturâ & cõstitutione.

EXERCITATIO TERTIA.

DE ENTE IN GENERE, ET IN SPECIE

De actu & potentiâ.

Typus hujus exercitationis.

- Se. (Th:2.) Et est vel
  - Complexum. Th: 3.
  - Incomplexũ.
    - Rationis: Th: 4.
    - Reale est
      - Per accidens:
      - Per se: aut est
        - Privativum, Th. 5.
        - Positivũ quod per suas primas affectiones dividitur: quæ sunt vel (Th. 6.)
          - Primæ: quando Ens dicitur esse vel
            - Potentiâ: Hæc est
              - Activa. Th. 7. 8.
              - Passiva. Th. 9.
            - Actu. Hic est vel
              - Primus Th. 11. 12, 13.
              - Secundus.
          - A primis Ortæ. C.
  - Modis à se fluentibus, E.

Theorema Primum.

Generalem Metaphysices partem rectè à simplici Entis θεωρία auspicamur.

Metaphysica in præcedente exercitatione in partem generalem & specialem divisa est. Vt itaque ad generalem accedamus, adeoque de illâ priore loco agamus, ordinis methodique ratio exigere videtur. Hæc enim ut præcipua Metaphysicæ pars est, principiaque posterioris continet: ita etiam ad illius constitutionem veramque intellectionem facit & conducit. Ordinis ratio.

Initium autem facimus à simplici Entis contemplatione. *Duo enim in generali hâc parte in considerationem veniunt: Primò* ipsum Ens; *Deinde* modi, *qui sequuntur Ens, quorum generales vulgò quinque numerantur, omnesque cum Ente convertuntur. Sunt enim affectiones Entis Vniversales unitæ & simplices, nempe,* Vnum, Verum, Bonum, Res, Aliquid; *quibus si addatur ipsum* Ens, *sex sunt, quæ inter se convertuntur, vulgo* transcendentia *dicta, quod omnia prædicamenta transcendant, & de omnibus generibus dicantur:* Ens, Vnum, Res, Aliquid, Verum, Bonum. *Quomodo hic numerus ex scitis Metaphysicorum monstretur, quomodoque contrahatur, infra significabimus.* Summa partis generalis. Transcendentia.

Theorema II.

Ens est illud, quod concipitur ab intellectu tanquā notissimum,

Ratio ordinis.

Ens *quia basis & fundamentum reliquorum transcendentium est omnium, nec non scientiæ hujus subjectum adæquatum, meritò de illo priore loco agitur, ut postea rectè intelligatur, quomodo simplices illæ affectiones, nempe* absolutæ pasśiones, *quæ de Ente in universum dicuntur, simulq; conjunctæ, quæ non convertuntur cum omni Ente, nisi utraq; conjungantur, ab illo emanent.*

Entis duplex consideratio.

Consideratur Ens *duplici modo: primùm* in se, *hoc est, ipsum Ens, uti jam dictum est: Deinde* in modis à se immediatè fluentibus, *hoc est, ipsi modi, qui Ens sequuntur.* In se *consideratum Ens describimus cum Savanorola* Epit. phys. concl. 20. *non ut volumus, sed ut possumus. Quoniam enim id fastigium est, & apex omnium animi conceptuum, aliud prius vel simplicius nihil inveniri, neq; ex genere & differentiâ componi potest, quippe supra se ulterius genus univocum non habet, cum ipsum sit summum, atq; inde* primò cognitum, *in scholis appelletur. Quibus certè documentis nulla restat Entis definiendi copia & facultas. Sumitur aliâs* Ens *dupliciter,* participialiter *&* nominaliter. Participialiter *in significatione participii à verbo substantivo* sum, *derivati, significans actum essendi exercitum, in quâ significatione accipitur in definitio Motus* libr. 3. phys.

Ejusdem duplex acceptio.

Nominaliter *sumitur non ut participium, sed ut nomen, & significat essentiam rerum sine existentiæ mentione. In quâ significatione vera est propositio, tempore æstivo, & nive non existente,* Nix est Ens: *In priore significatione hic non accipitur, quia de rebus creatis tantùm accidentaliter dicitur: In posteriori*

igitur,

igitur; nempe in quâ denotat quiditativum prædicatum de rebus omnibus, realem essentiam habentibus. Essentia realis est, in quâ nulla datur repugnantia ad existendum, & quæ ab intellectu nullo modo est conficta. Vocat eam Philosophus lib. δ. Met. c. 4. t. 5. naturam rei. lib. ζ. c. 4. 5. & 6. τὸ τί ἦν εἶναι. Thomas de Ente & Essentiâ c. 1. vertit quiditatem. Quod enim est essentia respectu τοῦ εἶναι, illud est τὸ τί ἦν εἶναι respectu cognitionis: nempe quiditas est conceptus objectivus, qui formaliter per definitionem in mente repræsentatur: quod docent definitionis descriptiones, quæ passim apud Philosophum inveniuntur. Vt lib. 1. Top. c. 5. ὁρισμὸς finitur λόγος ὁ τὸ τί ἦν εἶναι σημαίνων. lib. 7. top. c. 3. dicitur λόγος ὁ τὸ τί ἦν εἶναι τῷ πράγματι δηλῶν. Videatur etiam lib. ζ. Metaph. c. 5. & 6.

Essentia realis.

Quiditas.

Cæterum conceptum Entis omnium primum, simplicissimum, & notissimum esse, Philosophi Thomam Aquin. secuti duplici probant argumento: 1. Conceptus, qui generalissimus & imperfectissimus est, is prior omni alio in intellectu formatur: Atqui conceptus Entis est talis. Ergo. &c. Majorem probant ex lib. 3. de animâ. Intellectus enim conjunctus semper progreditur ab imperfecto ad perfectum. Minorem, nempe conceptum Entis esse imperfectissimum, ita confirmant: quia reliqui conceptus omnes superaddunt aliquid conceptui Entis. Quemadmodum enim species perfectior est genere, quod in illius constitutione generi aliquid superaddatur: ita &

Primo cognitum est Ens.

Arg: 1.

conceptus particularis propter eandem rationem universali perfectior statuendus est. Hinc conceptus substantiæ perfectior est Entis conceptu. Nam præter naturam Entis etiam substantiæ naturam includit: sic corporis conceptus perfectior est, substantiæ: corporis vivi, corporis: animalis, corporis vivi: hominis, animalis: semper enim novus & posterior conceptus priori aliquid addit. 2. Deinde probant hunc in modum: Qualis ratio est inter prima principia complexa & propositiones proprias; talis quoq; ratio est inter Ens & terminos minus universales: atqui prima principia complexa sunt primò cognita: Ergo & Ens est primo cognitum. Major probatur: Ens enim est, ex quo prima principia complexa componuntur. Minor constat hâc ratione; nam à primis principijs complexis omnis alia cognitio complexa dependet & certitudinem accipit, verbi gratiâ, si velis probare, calidum & frigidum non esse in eodem subjecto; tum certè id probabis notiore principio: illud enim (opposita & contraria non sunt in eodem subjecto) est notius, quàm calidum & frigidum non sunt in eodem subjecto. Notius autem est, quia est commune: commune, quia est primum aliquod principium complexum desumptum ab affectione Entis universali, quæ dicitur oppositio: Perinde enim est, ac si dicas, opposita Entia non sunt in eodem Ente. Ergo Ens est illud, quod omnium primum ab intellectu percipitur, hoc est, communißimum ratione & consideratione.

Arg. 2.

Vnde liquet, quid de illorum statuendum sit opinione, qui hodie adhuc alia genera supra Ens collocant:

eant: videlicet Intelligibile, aliquid, aliquid positivum *&* essentiam, *ideoq́; Ens summum genus esse negant; speciem verò illis subjectam; idq́; perfectè definiri posse asserunt. Quam suam sententiam ita probant: 1. Quia intelligibile non tantùm de Ente, sed de nihilo quoq́; prædicatur, cum & non-Ens sit intelligibile. 2. Quia aliquid positivum est commune Essentiæ & Enti. 3. Quia Ens & Essentia sunt species oppositæ unius generis. 4. Quia Aliquid latius patet quàm Ens: Nam & essentia & privatio est aliquid, neq́; tamen Ens: si enim Essentia esset Ens, tum haberet Essentiam, & sic progressus daretur in infinitum. Privatio non est Ens, 1. quia non est positiva: omne verò Ens positivum est. 2. quia nulla negatio est Ens: privatio autem est negatio. 3. quia omne Ens habet essentiam: privatio eâ caret, cùm non nisi per negationem sui habitus definiatur. 4. quia omne Ens per se habet rationem aliquam boni; privatio eam non habet, cum per se non sit appetibilis. 5. quia omne Ens à Deo trahit originem, privatio non.*

Ens non esse summum genus, sed intelligibile.

Ratio. 1. 2. 3. 4.

Privatio non est Ens. sed ē defectus et carentia

Verumenimverò argumenta hæc, tantùm abest, ut nos à verâ nostrâ sententiâ dimovere poßint, ut potius in eâdem nos confirment. Nam si intelligibile *latius pateat, quàm* Ens, *tum sumitur vel in latißimâ & æquivocâ potestate pro* apprehensibili mentis, *quod vocabulum laxè sumptum* νοητὸν *dicimus, &* ἀνόητῳ *opponitur: vel in specie pro* cognoscibili, *quod* γνωστὸν *appellamus. In priori significatione sumptum includit omne id, quod quacunq́; ratione ad intellectum refertur, & in intellectu esse dicitur, sive*

Intelligibile dupliciter sumi potest.

sit πιςὸν, *sive* ἐπιςητὸν *sive* δοξαςὸν *sive* γνωςὸν, *quod aliàs in specie dicitur* νοητὸν, *hoc est, sive sit* credibile, *sive* scibile *sive* opinabile, *sive* cognoscibile, *vel* intelligibile *propriè ita dictum. In hac certè significatione ab adversario accipi nequit. Esset enim subjectum latius scientia suâ. Nam neq;* τὸ πιςὸν, *neq;* τὸ δοξαςὸν *ad Metaphysicam referri poterunt: cum illud sit* τῶν ἀγνώςων, *& illorum, quæ ab intellectu neutiquam intelliguntur, sed tantum fide apprehenduntur & creduntur; ideoq; in scientijs locum habent nullum; cum in illis veritatis certitudo non sit* πίςις, *sed* ἀπόδειξις, *neq; res credantur, sed sciantur. Adde quod subjectum* Theologicum *cum Metaphysico confundatur; quod agere de* τῷ ἀγνώςῳ τοῦ θεοῦ *atq; sic articulos fidei proponere, inculcare, explicare, non quidem ex lumine rationis petitis fundamentis, sed ex revelatione singulari divinâ, non Metaphysici, & Philosophi, sed Theologi sit; quod etiam intellexisse videtur adversarius, quando in definitione Metaphysices hanc addit limitationem; quod quidem de omni tractet intelligibili, quatenus tamen ab homine naturali rationis lumine sine ullo materiæ conceptu est intelligibile. An verò limitatio illa satis excuset hujus opinionis autorem, ipse viderit. Posterius quoq; ad subjectum scientiæ referri nequit, cum omne* δοξαςὸν *sit dubium & incertum &* ἐπιςητῷ *è diametro oppositum. Cum itaq; hoc tantùm constituat scientiam, & Metaphysica sit omnium scientiarum architectrix & domina, sequitur, quod omnis* opinio, *omnis incertitudo & dubitatio ab istâ longis-*

longißimè exulare debeat. Si porro ſumatur pro γνωςῷ ſive cognoſcibili, quod in ſpecie dicitur νοητὸν, tum excluditur non-Ens, ſive nihil: & falſa arguitur ratio adverſarij, quâ probare conatur, intelligibile latius patere quàm Ens, quod Non-Ens etiam ſit intelligibile. Nihil enim ſive Non-Ens, non eſt γνωςὸν ſive νοητὸν ſed δοξαςὸν: imò ſi vel maximè νοητὸν eſſet & non ſimul ἐπιςητὸν, ſubjecti Metaphyſici partem conſtituere non poſſet. Dictum enim eſt, quod δοξαςὸν & ἐπιςητὸν ſibi è diametro opponantur: Ergo in eodem eſſe nequeunt; & ſi ſubjectum Metaphyſices eſt ἐπιςητὸν, neutiquam erit δοξαςὸν; cùm hoc tantùm opinionis, nunquam exactiſsimæ ſcientiæ, qualis Metaphyſica eſt, cauſſa & fundamentum eſſe poterit. Deinde neq; νοητὸν eſt, vel δοξαςὸν, vel ἐπιςητόν. ὄντα enim Logica ſunt quidem νοητὰ, nequaquam tamen vel δοξαςὰ vel ἐπιςητὰ. Sed ut de non Ente pluribus agamus, id intelligibile non eſſe patet. Nam tantùm intelligibile eſſe propriè dicitur, quod eſt proprium & per ſe objectum humanæ intellectionis: atqui hujus objectum adæquatum, omnibus ſanis fatentibus, eſt tantùm id, quod verum eſt, & conſequenter Ens eſt: Ergo & illud tantùm intelligibile erit. Minor patet per operationem intellectus, & trito illo axiomate: Nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſibus: *Intellectus igitur primordium ſumit à ſenſibus: Iam verò ſenſibus objicitur tantùm* Ens, *nempè occupatis circa ſingularia & præſentia, qualia de non-Ente, ut tali, nunquam poſſunt prædicare. Deinde quodcunq; nullas ha-*

Non-Ens intelligibile non eſt.

bet caussas, nullas affectiones, infra omnem quoq; locum & tempus constituitur, omni deniq; Ente vel imperfectissimo, quale materia prima, innumeris modis imperfectius est, imò ab illo infinitè distat, id intelligibile non est: Atqui omnia ista competunt Non-Enti: Ergo. &c. Nunquam etiam negabit adversarius, Metaphysicam artem quandam esse; imò eam perperam & vitiose per artem definit, nempe quod sit ars contemplativa, quæ tractet de omni intelligibili: Est ars contemplativa, *inquit, perinde est ac si dicat σιδηρόξυλον. Ita autem ex dictis argumentamur: Ex quibus ars nata, circa illa quoq; versatur; Atqui ex experientiâ & usu rerum in vitâ & humano usu positarum, hoc est, ex rebus & Entibus, & non ex Non-Entibus ars nata est: Ergo ars circa Entia & res tantùm, & non etiam circa Non-Entia est occupata. Minor constat ex prioribus: Ex illo enim tantùm per sensum & experientiam aliquid generatur, quod sentitur, adeoq; experientiam gignere potest; Atqui Non-Entia non sentiuntur, sed tantùm Entia; Ergo ex Non-Entibus per sensum & experientiam nihil generatur. Probat quoq; & defendit sententiam nostram contra adversarium Plato* in sophistâ, *quando de Non-Ente, prout latè Enti oppositum est, profert, quod sit ἀδιανόητον, καὶ ἄῤῥητον, καὶ ἄφθεγκτον, καὶ ἄλογον. Et Thomas 1.q.25.art.3.ait:* id quod non est, ab intellectu comprehendi nequit. *Interim tamen non negamus per accidens quodammodo Non-Ens intelligi posse; quatenus nimirum vel similitudine & imagine rerum verarum in phantasiâ & intellectu ipso repræsentatur, ut Chymæra, Eris &c:*

vel

vel quatenus in eodem intellectu conceptus aliquis privativus illius, quod neq; in intellectu, neq; extra intellectum in naturâ rerum vel potentiâ vel actu consistit, formatur, ut in ejusmodi propositionibus: Ex nihilo nihil fit: Id quod est aliquid, non resolvetur in nihilum: Quodlibet est aut non est: Ens & Non-Ens contradictoriè opponuntur: Non-Entis nullæ sũt caussæ, operationes &c: *Verum illud ad rem nihil. Nam licet quidem ita quodammodo intelligatur, non tamen intelligitur, ut* nihil, *sed sub ratione Entis aliquali, & ita per notionem alterius. Constat igitur, solũ Ens per se intelligibile esse, Non-Ens verò per se non esse intelligibile: Quare ita progredimur: si* intelligibile *est verũ genus Entis; tũ est vel latius Ente, vel ei æquale. Latius non est: quia Non-Ens non est intelligibile, ut monstravimus; Ergo æquale & cum Ente cõvertitur, adeoq; vitiosum. Nam ejusmodi reciprocationem certißimum indicium generis vitiosi adfert Philosophus* lib.4.top:c.5: *& exempli loco adhibet definitionem Entis vitiosè factam per unitatem, eò quod de quibuscumq; dicitur Ens, de iisdem etiam dicatur unum: Omne enim Ens est unum, & omne unum est Ens: Eodem modo, si tu quæras, quid sit intelligibile, respondebitur esse Ens; & si iterum percunteris, quid sit Ens, respondebitur, esse intelligibile: Ergo omne intelligibile est Ens; & omne Ens est intelligibile; & per Consequens, intelligibile non est genus Entis. Adde; nullũ relatum est prius absoluto: at intelligibile est relatũ. Ergo non est prius absoluto: & per cõsequens, non est simpliciter primũ & extremum rerum omnium*

Intelligibile non esse genus Entis.

omnium genus. Major per se est manifesta: Nam omne *relatum fundatur in absoluto: At fundamentum prius est eo, quod ipsi insistit:* Ergo *&c. Minor probatur:* Nam Intelligibile *est relatio alicujus, quocunq; etiam nomine veniat, ad intellectum; Vnde iterum inferimus hoc modo: Omnis relatio habet fundamentum, quod prius est ipsâ relatione: At intelligibilitas, unde derivatum intelligibile, est relatio:* Ergo *habet fundamentum, quod prius est: & per consequens,* Intelligibile, *quatenus tale, hoc est, quatenus ab intelligibilitate ita denominatur, habet aliquid prius. Illud prius aut est* Ens, *aut est aliud quippiam: Aliud non est:* Nam *si esset aliud, esset secundum adversarium vel aliquid, vel aliquid positivum, vel essentia; sed horum nullum esse potest, ut modò demonstrabimus:* Ergo Ens *est prius intelligibilitate & intelligibili.* Oportet *enim aliquid prius sit, quàm intelligatur;* Cum *substantia & subjectum semper sit prius suo accidente.* Ex *hoc argumento fluit etiam illud:* Nullum *compositum sive concretum est simpliciter primum omnium genus: Atqui* Intelligibile *est compositum sive concretum:* Ergo *&c. Major patet:* Nam *omne compositum est natura posterius iis, ex quibus compositum est. Minor patet:* Nam *intelligibile est concretum sive compositum ex subjecto, nempe* Ente *& intelligibilitate, denominante illud* Ens *intelligibile; non aliter atq; scibile ex suo subjecto & scibilitate, item album ex subjecto suo nempe corpore & albedine. Sententiam hanc nostram confirmat quoq;* Thomas, *qui* 1. part. q. 16. art. 3. ad. 3: *intelligibile confert cum vero, dicens:* non potest intelligi Ens nisi sit intelligibile:

bile:& addit; idem enim est,ac si verum comparemus ad Ens: Iam verò verum se habet ad Ens ut posterius & affectio. Ergo:&c.

Aliquid non est latius Ente.

Neq; τὸ Aliquid latius Ente esse concluditur. Nam τοῦ Aliquid duplicem legimus apud Metaphysicos Etymologiam: Prior est, quod Aliquid perinde sit, ac habens quiditatem, & sic contradictoriè opponitur Nihilo seu Non-Enti, atq; est Entis synomymum, ut ensis Synonymum est gladius: ut igitur gladius non rectè definitur per Ensem, tanquam per genus, ita neq; Ens per Aliquid in hoc significatu sumptum rectè definietur, cum planè idem significet & æquè latè pateat; quod arguere genus vitiosum constat ex præcedentibus. Posterior, quâ Thomæ, Iavello & alijs Aliquid dicitur, quasi aliud quid, & ita non ut latius & prius, sed ut posterius sub ratione Vnius deprehenditur. Nam quid est aliquid, nisi quod sit ab alio divisum? Vt igitur unum indivisionem Entis in se, & consequenter divisionem Vnius Entis ab alio denotat, si aliud detur: ita Aliquid posteriorem hanc Vnius affectionem in hâc potestate exprimere videtur: quam strictiorem esse ipso Ente nonnulli statuunt, propterea, quod Enti non simpliciter insit, sed cum conditione, si plura ὄντα dentur uno: quemadmodum in loco esse cum hâc conditione corpori physico tribuitur, si alterius cujusdam corporis superficie claudatur. Quando autem hæc conditio deest, in loco corpus, ut supremum cælum, esse negatur. Eodem modo Ens quando solitarium est, ut ab æterno Deus ter Opt. Max. fuit, affectio hæc locum habere non videtur. Atq; ita τὸ Aliquid non tantùm sub unius ratione comprehenditur,

&po-

& posterius ut Vnum, Ente est: sed etiam eò strictius esse propter datam rationem à nonnullis dicitur. Atq; ex hisce sponte per se liquet, tantùm quoq; abesse, ut Aliquid positivum *sit superius Ente, ut etiam longè sit inferius, privativa* ὄντα *excludens, subjectumq; Metaphysices angustioribus, quàm patitur, cancellis includens.*

Solutio Argumentorum. *Argumenta in contrariam partem adducta per se corruunt.* Ad. 1. *In 1. enim quod dicitur* intelligibile *non tantùm de Ente, sed de nihilo quoq; prædicari, falsum esse patet ex rationibus à nobis allatis.* Ad. 2. *Ad. 2.* Negamus Aliquid Positivum *esse commune Essentiæ & Enti. Positio enim essentiæ facit Ens positivum, si nempe* Essentia *& non ipsum* Esse *sumatur pro principio constituente actum entitativum. Atq; tum dicitur, illud est Ens positivum, quod Essentiam habet: id positivum non est, quod eâ caret, sed privativum. Si autem sumatur pro potentiâ, quæ in proportione materiæ respondeat, tum etiam positivum ejus genus esse nequit. Sumi namq; potest pro Ente in potentiâ, quod neq; positivum, neq; privativum est, quandoquidem neq; est, neq; fuit, sed esse potest: est enim adhuc in suis causis: sic de rosa dici potest, hyberno tempore, quod sit, licet neq; actu neq; positivè sit.* Ad. 3. *Ad 3. Ens & essentiam species esse oppositas unius generis, tàm falsum est, quàm quod falsissimum. Quomodo enim Deus ens erit, qui simplicissimus est, & in quo Ens & essentia simpliciter idem? Quomodo etiam definiet ipse adversarius Ens per essentiam? Dicit Ens esse, quod suam sibi habet essentiam. Certè huic philosopho perinde est sive definiat hominem per animal rationale, sive per asinum.*

uum. *Quis tàm jejunus in Philosophiâ, qui concedet speciem oppositam essentialiter & verè definiri per speciem oppositam, cum species ἀντιδιῃρημέναι ita sint comparatæ, ut semper distingvãtur & oppositam habeant naturam, nunquam conjungantur, & confundantur, quemadmodum in Mulo equus & asinus. Et negari non potest, si Ens id est, quod suam sibi habet essentiam, & nihilominus Essentia & Ens sunt species opposita, omne ens erit vel mulus vel simile aliquod monstrum. Ad 4. Ibi essentia & privatio negantur entia: De illâ id falsum est simpliciter, de hâc secũdum quid. Nam Ens est duplex, aut simplicissimum, aut compositum ex esse & essentiâ vel materiâ & formâ. In simplicissimo Ente esse & essentia conveniunt, nempe in Deo ter Opt. Max. ubi non discernuntur: in reliquis autem distingvitur esse ab essentiâ, non autem ut species à specie oppositâ, sed ut aliquid, quod in proportione respondet formæ, ab alio, quod in proportione respondet materiæ. Ex tali esse & Essentiâ compositi sunt Angeli, quippe, qui relati ad Deum, ut rectè statuit cum Scholasticis Scaliger, sunt compositi: Iam si quæras tu, an illud esse sit Ens, item an essentia sit Ens, cur affirmativè non respondendum sit, ratio est nulla. Vtrumq; enim est Ens incompletum. Inquis, sumi ab adversario Essentiam pro Entitate sive quiditate. Neque hoc modo sequitur, quod intendit adversarius. Nam quiditas & habens quiditatem, item Entitas & habens Entitatem, unum Ens perfectum & completum absolvunt. Ergone datur aliquid superius Entitate & habente* Ad. 4.

Entita-

Entitatem? Non. Nam si sumatur Entitas abstractè, recurrimus ad id, quod modò diximus, quod tum sumatur ut Ens incompletum, & ita progressus in infinitum non conceditur. Privationem porrò non ens esse secundum quid concedimus. Sed simpliciter eum non Ens esse probat adversarius. Respondemus primam rationem falsam esse; dantur enim non tantum positiva, sed privativa quoque ὄντα. Secunda etiam nihil concludit. Nam privationem negationem esse falsum est. Quandoquidem aliud est negatio visus, aliud privatio visus. Nam lapidem non videre verum est, & est negatio: lapidem verò cæcum esse, falsum est, & privatio est. In tertio argumento dicitur omne Ens habere Essentiam, eâ autem privationem carere. Hoc nihil contra nos. Concessum enim est, secundum quid verum esse, privationem non esse Ens, sed non simpliciter. Nam ut in omni re, ita etiam in privatione duo sunt consideranda; materiale & formale: verbi caussâ, materiale visus sit oculus, formale potentia seu virtus videndi. Quod itaque attinet ad privationem, est illa Ens respectu materialis, verbi caussâ, cæcitas est aliquid respectu organi nempe oculi; Est verò non Ens, si spectas formale; est enim privatio visus. In hoc itaque distingvitur privatio à non Ente: quod Non-Ens ἁπλῶς & simpliciter neget Ens, adeoque sit simpliciter Non Ens; sive non ens negativum: Privatio verò est absentia certæ formæ in certo & determinato subjecto. Luce igitur meridianâ clarius est, privationem non esse simpliciter non Ens, sed Ens quodammodo. Ad ultima duo argumenta respondemus; privationem quatenus Ens est, & bonum esse, & à Deo esse: Sic privati-

Privationem esse Ens quoddam.

vati-

vatio in materiâ primâ est Ens concreatum à Deo & *est bonum quid: Est enim principium transmutativum, & si illud non esset, nulla generatio, nulla corruptio, ideoq; nulla nutritio & conservatio hominum esset. Sic privatio lucis tempore nocturno ex ordinatione divinâ est: Item privatio caloris hyberno tempore in aëre. Non igitur privatio* ἁπλῶς *est præter naturam. Quæ enim ex caussis naturalibus & ordinarijs per se & ex intentione naturæ fluit, à Deo est. Vide hujus Exerc. theor. 5.*

Contradicunt etiam nobis hoc loco Platonici, *qui* Vnum *latius* Ente *patere, eoq; prius esse statuunt: imo non Vnum duntaxat, sed etiam* Bonum & Verum *Enti anteponunt. Sic enim Iamblichus* de myst. Ægypt: Primus DEus ante Ens, & solus pater est primi diei, quem gignit manens in unitate suâ solitaria: ille est principium, Deus Deorum: Unitas ex uno per essentiam: essentiæ principium: ab eo enim essentia, propterea pater essentiarum vocatur. *Et Plotinus* En. 3. lib. 6. c. 6. *duo Entium genera ex* Soph. Platon. *educit: Vnum dicitur* ὄντως ὄν, *nempe revera Ens, ut vertit Serrarius, estq; illud, cui ad suum esse nihil deest: atq; talia Entia illi sunt ideæ: alterum vocat* Enn. 1. lib. 8. c. 3: *Ens non verum, quod Proclus finit, non quod est, sed quod fit*, de an. & dæm. *Atq; tale Ens illis tribuit rebus, quæ per imitationem ab ideis sunt ortæ & enatæ. His duobus Entium generibus duo alia, quæ illi non Entia sunt, addit*. En. 2. lib. 4. c. 16. *Primum etiam vocat non verum ens, ut est materia prima: alterum simpliciter non ens est, sed omne Ens superemi-*

Vnum esse latius Ente.

Duo Entium genera. 1. 2.

Non entium duo genera.

net, omnisq; Entis naturam transcendit, ut Deus. En. 1. lib. 7. c. 1. lib. 8. c. 2. En. 5. lib. 5. c. 13: lib. 6. c. 4. En. 6. lib. 7. c. 17: lib. 8. c. 7. *Verum Deum non ens esse ex Platone nunquam probabitur, quippe qui apertè dicit, omne Vnum esse ὂν καὶ ὀσίαν μετέχον*, in Parmenide; & in Sophist: *Vnum semper præsupponere Ens: Et si secundum descriptionem Entis, quam in Sophistâ habet Plato, esset judicandum & arguendum, facilimè probari & demonstrari posset, Deum secundum Platonem Ens esse.* Non *itaq; hæc Platonis est sententia, sed Platonicorum nonnullorum, qui in sensum hunc perversum, absurdum & alienum Platonis quædam verba & sententias detorquent. Audiatur judicium Augustini* lib. 8. de civit. DEI, c. 11: DEUS, *inquit Augustinus*, vocavit se eum, qui est, tanquam in ejus comparatione qui verè est, quia incommunicabilis est, ea, quæ mutabilia sunt, non sunt. Vehementer hoc tenuit Plato, & diligentissimè commendavit, & nescio, utrum hoc uspiam reperiatur in libris eorum, ante Platonem qui fuerunt. *Innuit autem, ut Vives* in comm. *annotavit, locum hunc ex Timæo. Hæc licet ita sint, nihilominus tamen pergit Plotinus, & prætendit se secundum Platonis Philosophiam & secundum veritatem ipsam Deo audere neq; Ens neq; essentiam tribuere, quod Dei majestas, infinitaq; ejus perfectio omnem essentiæ naturam à nobis conceptam, infinitè exuperet* En. 6. lib. 8. c. 7. 9. 11. & lib. 9. c. 3. *Vbi etiam in hæc verba loquitur*: Quæcunq; in Deo fingere conatur nostra caligo, ut à finitâ mente concepta sunt, ita infini-

Plato non dicit Deum non Ens.

Inst. Plotini. Deum non esse Ens.

infinitati DEI nequaquam respondent. *Atq; inde Alcino: de* doct. Platonis c. 10, *tripliciter, docet, Deum duntaxat cognosci, negatione, analogiâ, & eminentiâ. Iohannes Picus* de Ente & Uno, *Deo Ens non tribuendum esse statuit, quod sit concretum, nempe denotans quandam ex essentia & habente essentiam, compositionem. Ficinus* in comm. super c. 1. lib. 9: En. 6. *dicit, Vnum Enti præponendum esse, quod indifferenter sese habeat Ens ad Vnum & ad multa atq; per unitatem perficiatur.*

Dei triplex cognitio.

Quod attinet Plotini opinionem, illa satis pia videtur, cui subscribit Dionysius lib. de div. nom. & de myst. Theol. c. 5. de cælest. hier. c. 2. *quippe qui Deum super essentiam, divinitatem, vnitatem, veritatem & bonitatem locat, propter eandem rationem, nempe cum nihil tàm venerandum à nostrâ concipi posit imbecillitate, quod non modis infinitis superet Dei infinitas. Verùm videant Platonici, ne sibi ipsis contradicant, dum Vnitatem, bonitatem & aliquo modo pulchritudinem Deo relinquant. Nam si propterea essentia Deo non tribuenda, quod intellectu nostro infinitam ejus essentiam assequi & penetrare non possimus, cur igitur & Vnitas non à Deo auferenda? quippe quæ infinities est in Deo perfectior, quam in rebus creatis. Deinde conceptus Entis & essentiæ a finitate, & infinitate præcise distingvitur ideoq; communiter & Deo & creaturis tribui potest, non aliter atq; conceptus substantiæ, quando denotat aliquid quod per se subsistit & non per aliud, communis est Deo & creaturis λ. μεταφ: Non verò hic loquimur de substantiâ prædicamentali. Illa enim quando con-*

Responsio. 1.

2.

do cõcipitur, finitatem semper implicat; malè itaq; tum sub substantiâ collocatur Deus, ut de illâ quæstione alibi fusius disputatur. Iohanni Pico *jamdudum à* Faventino *per instantiam responsum fuit; quod eâdem plane ratione nec Deus posit nominari Deus, nec Vnum, nec Verum, nec Bonũ, nec Perfectum, quòd isthæc nomina omnia eo modo sunt concreta, & significant compositionem ex Deitate & habente Deitatem, ex unitate & habente vnitatem &c. Neq; etiam hoc modo Picus satis excusabit vel Dionysium vel Platonicos, qui non tantùm Ens, sed Essentiam quoq; (quæ tamen vox abstracta est) de Deo negant: imò si Dionysij sententia simpliciter probanda esset, tum de Deo nihil dici, nihil cogitari posset; quia omnis cogitatio fit per conceptum, & omnis vox est signum conceptus* Arist. lib. 1. de interp. c. 1. *tollereturq; tum omnis cultus divinus.*

Asſertio quæstionis.

Verumenimverò utut se habeat hæc sententia, quia contra fidem Catholicam & sacram scripturam pugnare videtur, meritò quoq; à Christiano Philosopho damnatur & rejicitur: Quandoquidem extra controversiam est, nomen יְהוָה *quod Deus sibi ipsi indidit, essentiam significare; derivatur enim à radice* הָוָה *vel* הָיָה *fuit.* Et Exod. 3: *Deus se appellat* τὸν ὄντα; *Mosi namq; nomen Iehovæ sciscitanti respondet Dominus* אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה ero qui ero. *Et paulò post,* אֶהְיֶה שְׁלָחַנִי אֲלֵיכֶם, Ero misit ad vos. *Et* in Apocalyp. Ioh. c. 1. v. 8. *dicitur* ἐγώ εἰμι τὸ α καὶ τὸ ω, ἀρχὴ καὶ τέλος, λέγει ὁ κύριος: ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, ὁ παν-

ὁ παντοκράτωρ; Ego ſum A. & O, principium & finis, dicit Dominus, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, omnipotens. *Ad quem locum Cyrillus inquit: quia Deus in apocalypſi de ſe dicit, ὁ ὢν, ὁ ἦν, & bonâ Grammaticâ ratione ἀπὸ τοῦ εἶναι formatur οὐσία; ideo vocabulum eſſentiæ non omnino alienum eſt & peregrinum à divinis ſcripturis. Et Damaſcenus* lib. 1. fid. orth. c. 12. *ſcribit*: videtur principalius omnium de Deo dictorum nominum eſſe, Qui eſt, quemadmodum ipſe dans Moſi reſponſum, inquit: Dic filijs Iſraël, qui eſt miſit me: *quod idem eſt, ac ſi dicas, Ens miſit me, ut illud explicat Gregorius Magnus* in orat: de natali Chriſti. *Concludimus igitur* Deum & ens & eſſentiam eſſe.

Tandem Marſilio Ficino *reſpondemus, falſum eſſe, Ens in ſuâ naturâ Vnitatem non involvere, id quod infra demonſtrabitur. Summa qui negas Ens omnium primum conceptum eſſe, colloquium cum pueris noſtris bimis inſtitue & quære de re ignotâ quid ſit: ſtatim reſpondebunt. Eſt Ens* Es iſt ein Ding: *atq; in illâ reſponſione ſimpliciter quieſcent: ſi enim perrexeris quærendo quale Ens? ingeminabunt Ens eſt,* Ein Ding iſt es/ *nihilq; amplius audies propter intellectum adhuc imbecillem. Ex quo manifeſtum eſt ſatis, quod intellectus in omnium primâ ſuâ operatione, qualis in ejusmodi pueris datur, nihil aliud concipiat quam* τὸ ὄν. *Hæc noſtra ſententia ut eò melius intelligatur, tenendum eſt,* cognitionem *noſtram duplicem eſſe*; Potentialem & Actualem. Potentialem *vocat Soncinas* 7. Metaphyſ. quæſt. 11. *Ha-* 4.

Cognitio noſtra duplex.

bitualem, sed perperam, ut meritò reprehendatur à Zabarella lib.de ord. intell. c.11. *Dicitur autem quando species quidem in mente est, nondum tamen mens intelligit id, quod species repræsentat, sed per eam in proximâ est potentia ad intelligendum. Verum de hac in præsentia nihil.* Actualis *cognitio dicitur, dum intellectus actu per speciem intelligit. Hanc dividit Zabarella loco allegato ex Aristotele* lib. 1. post.t.3. lib.2.post.t.4. *in confusam & distinctam.* Cognitio distincta *est perfecta & completa scientia, qua res determinatè secundùm omnes suas essentiales partes cognoscuntur.* Cognitio confusa *est imperfecta & incompleta scientia, quâ res indistinctè & cum quâdam confusione multorum imperfectè cognitorum, cognoscuntur. Vt quando puer cognoscit hominem, eumq; per accidentia quædam externa scit distinguere ab equo, cane, & similibus animalibus brutis; nescit tamen ejus essentiam in animali & rationali consistere, confusè hominem cognoscit. Qui verò utramq; ejus partem essentialem planè cognoscit, distinctè cognoscit.* Vtraq; vel est rei simplicis, vel est rei complexæ cognitio. Rei simplicis cognitionem *confusam habemus (ut docet Zabarella) quando cognoscimus ipsam esse, & ignoramus quid sit; distinctam verò, quando etiam quid sit cognoscimus. Rem complexam confusè cognoscere est ignorata caussâ nosse solùm quod sit: distinctè verò est cognoscere propter quid.* Rei simplicis cognitio subdividitur in Originalem & Habitualem. Originalis *est prima rei apprehensio, quam antea nunquam cognovimus.* Habitualis *est cognitio rei etiam prius cognita.*

Potentialis cognitio quid.

Actualis cognitio quid sit.

Distincta cognitio quid sit.

Confusa cognitio.

Cognitio rei simplicis.

cognitæ: cujus caussa est habitus jam in animo præexistens: Vt quando Mathematicus (quo exemplo utitur Zabarella) à somno excitatus, incipit contemplari aliquod Theorema Mathematicum, est quidem actualis illius rei cognitio, non tamen prima ejus apprehensio, quia ille jam pridem Theorema illud apprehendit. Potest etiam divisio hæc applicari ad rei complexæ cognitionem. Quando igitur dicimus: Ens esse primò cognitum: *id non de distincta vel habituali: sed de actuali, originali confusa intelligendum est. Quodcunq; enim maximè Vniversale est, ut rectè sentit Averroës, & cum eo Thomas & Græci omnes, id tali modo primum cognoscitur.* Vide Zabarellam loco allegato c. 12. *Vbi iterum notandum venit, quod universalia duplici modo in Intellectu repræsententur: vel abstracta, vel singularibus adhuc concreta. Non illa, sed hæc primò feriunt intellectum. Ens igitur primum omnium objicitur intellectui humano, non quatenus abstractum est, sed quatenus, ut cum Scholasticis loquar, est singularizatum. Quod probat Durandus: Terminus à quo prior est Termino ad quem: Atqui Vniversale (& per Consequens Ens) singularisatum in abstractione est terminus à quo: Ergo etiam prius ab intellectu cognoscitur. Deinde Vniversalia Actualia non sunt nisi à mente, & per abstractionem ejus: Ergo quando primùm offeruntur intellectui, concreta & singularizata sint, ideoq; ante abstractionem ita percipiantur, necesse est.*

Ens quomodo sit primò cognitum.

Vniversalia duplici modo in intellectu repræsentantur.

ENTIS *conceptum omnium primum esse demonstratum est: quæritur porro:* an detur aliquis unus conceptus Entis formalis & objectivus,

Quæstio. An detur aliquis unus coceptus Entis.

à conceptibus alijs Entium particularium disjunctus: *hoc est, an detur aliquis conceptus formalis in intellectu distinctus à substantiâ & Accidente &c. Quæ quæstio ut rectè intelligatur, tenendum est, quid sit conceptus formalis, quidq; objectivus.* Conceptus formalis *est ipse actus intelligendi, qui formaliter menti rem cognitam repræsentat, eandemq; formaliter in intellectu determinat: Vel conceptus formalis est notio in mente mediante intellectu agente formata, repræsentans objectum externum.*

Conceptus formalis quid?

Conceptus verò objectivus *dicitur res illa, quæ propriè per formalem conceptum cognoscitur & repræsentatur, hoc est, Est ipsa res intelligibilis: verbi gratia, quando equum mente concipimus, species illa, quam in mente concipiendo efficimus, conceptus formalis dicitur. Equus verò cognitus & illo actu repræsentatus, hoc est Equus cognoscibilis, objectivus conceptus vocatur. Et notandum est, quod conceptus formalis semper sit vera res positiva & in creaturis qualitas menti inhærens. Objectivus verò non semper sit vera res positiva; concepimus enim interdum privationes & alia, quæ intellectu formaliter non determinantur.*

Conceptus objectivus.

Discrimen conceptus form. & object.

Postquam hæc ita explicata sunt, ad quæstionem dicimus, nos tueri communem Metaphysicorum sententiam, statuimusq; contra Fonsecam. 4. Metaph. c. 2. quæst. 2. s. 3. Ferrar. 1. contra Cent. c. 34. *cum* Capreol. in 1. dist. 2. q. 1. Concl. 1. & 9. Cajet. de Ente & Essent. C. 1. q. 2. Thom. q. 1. de verit. art. 1. & qu. 21. artic. 1. itē 1. part. quæst. 5. art. 3. Avicen. 2. Metaph. Sonc. 4. Metaph. q. 1. Iavel. q. 1. & multis alijs *conceptum*

Responsio ad quæstionem.

Entis ut Entis formalem, proprium & adæquatum, esse Vnum re & ratione ab alijs aliarum rerum & objectorum conceptibus formalibus præcisum.

Vbi tria veniunt probanda. 1. Conceptum Entis formalem esse unum. 2. Esse secundum rem ipsam præcisum à conceptibus formalibus particularium rationum. 3. Ex duobus præcedentibus colligitur, nempè falsò vocari conceptum hunc nominis tantùm, & non etiam rei significatæ nomine ENTIS.

De conceptu Entis formali notanda tria.

Primum, nempè conceptum Entis formalem esse unum probatur. 1. *Quando enim audimus vocem* Entis, *mens nostra non distrahitur vel dividitur in plures conceptus, sed potius ad unum colligitur non aliter, atq; quando substantiam, corpus, hominem, audit & concipit.* 2. *Quia datur unus conceptus formalis existentiæ, quatenus talis. Quoties enim de existentia loquimur, prout existentia est, loquimur de uno actu existendi, nec plures formamus conceptus, sed unum: Ergo etiam formalis conceptus existentis erit unus: quemadmodum enim per modum unius concipitur abstractum, quatenus tale: ita & concretum, ut tale, concipitur. Vnde necessariò infertur, Enti, quatenus Ens est, respondere vnum conceptum formalem: quandoquidem aut Ens plane est idem, quod existens, vel si accipiatur ut aptitudine existens, eandem tamen vnitatis rationem ejus habebit conceptus.* 3. *Quia conceptus* ENTIS *est simplicissimus: Ergo & unus. Antecedens probatur. Nam hic conceptus respondet Enti prout* ENS *est: cæteris vero concipimus Ens tale vel tale: unde & illorum in conceptum Entis fit ultima resolutio.*

1. Conceptus Entis formalis. 1. Vnus probatur.

2.

3.

4. *solutio. 4. Quia ex se dicitur primus. Omnium enim primus & facillimè ab homine formatur, atq; hoc est, quod dicimus Ens esse notißimum, quia communißimum & confusum, nempè respectu particularium Entium, ut talia sunt. Est itaq; vnus hic conceptus formalis Entis, & quidem adeò vnus, ut non poßint esse plures secundum habitudinem ad objecta magis determinata seu distinctius ex parte objectorum concepta.*

II. Conceptus Entis formalis re distinctus est à particularium conceptib.

Secundo esse secundum rem ipsam conceptum illum præcisum à conceptibus formalibus particularium rationum, *manifestum est ex præcedentibus rationibus. Est enim conceptus hic simplicißimus: reliqui autem concretionem admittunt: Ens enim tale vel tale formant. Secunda ratio eleganter ponitur à Suarez his verbis:* quia sicut mens

1\. nostra præscindendo ea, quæ in re non distin-

2\. gvuntur, in seipsâ realiter distingvit conceptus formales suos: ita è converso confundendo & conjungendo ea, quæ in re distingvuntur, quatenus in se similia sunt, unit conceptum suum, formando illum re & ratione unum: hoc autem modo concipiuntur Entia hoc farmali conceptu Entis: Sumit enim mens illa omnia solùm, ut inter se similia in ratione essendi, & ut sic format vnam imaginem vnicâ repræsentatione formali, repræsentantem id, quod est, quæ imago est ipse conceptus formalis. *Vndè manifestißimè apparet, Conceptum illum Entis formalem simpliciter vnum esse re & ratione formali & secundum eam præcisum ab his Conceptibus, qui distinctius repræsentant particularia*

Entia

Entia sive eorundem rationes. Objiciunt hoc loco nonnulli, Entis conceptum non secundum rem, sed tantùm secundum rationem præcisum esse: quia etiam DEO competit Ens, qui simplicissimus est, & in quo omnia sunt Essentialia: Quare mens quidem nostra ex diversis relationibus in ipsius Essentiâ quandam diversitatem excogitat, quæ tamen re ipsâ in Deo non invenitur. Distingvatur hic inter conceptum objectivum & formalem. Quod attinet conceptum objectivum sive rem ipsam, libenter concedimus, ibi reale discrimen locum non obtinere: aliud verò est, quando loquimur de conceptu formali in mente præciso. Illum secundùm rem & rationem distinctum esse dicimus: Concipere enim quis potest Ens, illudq; ab ipso Deo abstrahere, Dei conceptu speciali non implicato. Objectio.

Tertiò: falsò vocari hunc conceptum tantùm nominis & non rei significatæ nomine Entis probatur: Hic enim conceptus est per modum cujusdam simplicis imaginis naturaliter repræsentantis id, quod per vocem ad placitum significatur: & intellectus intelligit se Entis conceptum habere, antequam nomen formet. Hæc de conceptu Entis formali. III. Non est nominis tantum sed rei nomine significatæ.

De Conceptu Entis objectivo idem censendum est, nempe dari talem conceptum objectivum, qui adæquatè & immediatè respondeat Entis conceptui formali, nec expressè dicat vel Substantiam vel Accidens. Formalis enim conceptus totam suam vnitatem & rationem habet ab objecto. Vt itaq; sit vnus, oportet tendat in objectum aliquo modo vnum. Objecta namq; externa sunt mensura nostræ cognitionis & conceptuum in animâ. Cum igitur Conceptus objectivus, Vnitas conceptus objectivi probatur. 1. Cõceptus objectivus quid sit.

vus nihil sit aliud, quàm objectum per conceptum formalem apprehensum & cognitum: Sequitur si formalis conceptus est unus, quod etiam objectivus vnus sit. Si enim non esset vnus, sed aggregatus, tum objectum illud adæquatum esset ex aggregatione plurium naturarum Entis: quod omninò absurdum: non enim dari possunt illæ naturæ, neq; dari potest modus, quo in illo conceptu aggregentur. Quod autem possit dari talis Conceptus Entis objectivus à Iavello. 4. Metaphys. quæst. 1. *probatur hunc in modum. Omnia Entia realia verè habent aliquam similitudinem & convenientiam in ratione Essendi: Ergo possunt concipi & repræsentari sub eâ præcisâ ratione, quâ inter se conveniunt: Ergo possunt sub eâ ratione, vnum conceptum objectivum constituere: Ergo ille est conceptus objectivus Entis. Antecedens ostenditur ex Terminis. Quemadmodum enim Ens & Non-Ens sunt primò opposita & diversa: ita etiam quodlibet Ens cum quolibet Ente quandam habere dicitur convenientiam & similitudinem. Quando enim intellectus confert substantiam & Accidens cum non Ente, tum longè majorem invenit convenientiam inter substantiam & Accidens, quàm inter Substantiam & non-Ens: imò creatura videtur aliquo modo participare* DEI ESSE. *Nam propter illam, qualis qualis etiam sit, convenientiam in Essendo dicitur Creatura vestigium* DEI: *atq; hinc ex Esse creaturæ investigamus Esse* DEI. Rom. 1. & *ex esse Accidentis, esse substantiæ. Et quemadmodum substantia natura suâ magis accedit ad id, quod verè est, quàm accidens: ita necessariò colligitur, aliquod esse Ens primum, quod revera sit, & in quo existat ipsa Essen-*

Ens & non Ens opposita primò.

Creatura vestigium Dei.

Ens genus πρὸς ἕν.

Essendi plenitudo. Et licet quidem ita secundum magis & minùs Ens Entibus particularibus attribuatur; tamen id nostram sententiam non infringit: cum aliud sit considerare Ens, ut Ens est: & aliud considerare id, prout tale vel tale, hoc vel illud est, prout substantia est, prout creatura est, Deus est. Intelligimus itaq; Deum habere actum vel potius Esse ipsum actum essendi, sive Ens: Sed summam illam Entitatis & actus essendi plenitudinem non intelligimus. Consistit igitur vnitas conceptus illius objectivi non in reali & numerali vnitate: sed in vnitate formali & actu Essendi, in quo dicta Convenientia & similitudo fundata est.

Duplex Entis consideratio.

Vnitatis conceptus objectivi fundamentum.

Demonstratum est hactenus Entis conceptum formalem & objectivum vnum esse: quæritur nunc: qualis sit ille conceptus, an sit æquivocus, an vnivocus, an analogicus. Æquivocus non est. Æquivoca enim neq; pariunt scientiam, neq; prædicata habent Essentialia in quæ possint dividi, neq; de illis aliquid certi potest prædicari propter suam indistinctionem: Atqui Ens gignit scientiam, habet prædicata Essentialia, resolvitur namq; in actum & potentiam &c. & tandem super illo multa fiunt enuntiata: Ergo non est Æquivocum. Averr. in Epit. Metaph. tract. 1. & 2. in initio. Imo si Ens æquivocè de Deo & creaturis diceretur, nihil de Deo naturaliter cognosceremus. Thomas. 1. Contr. Gentes c. 33. Atqui θειότητα καὶ δύναμιν τοῦ θεοῦ per visibilia hæc cognoscimus. Rom. 1. Ergo &c. Neq; Ens Vnivocum esse patet: 1. quia omne vnivocum est vel genus vel species: At neutrum de Ente dicitur. Ergo &c. Major est manifesta: Minor probatur. Ens species non est, quia

Conceptus Entis qualis sit.

Æquivocus non est.

Vnivocus non est conceptus Entis.

quia nulli subjicitur: Summum Genus non est, quia summa genera sunt decem prædicamenta: quæ primò diversa non essent, si supra se aliquod genus haberent, in quo univocè convenirent. 2. quia (ut rectè argumentatur Thomas) creaturæ non eandem Entis speciem à Deo recipiunt, quam ipse habet: Illa enim in Deo infinities perfecta est, in creaturis verò multis modis imperfecta & mutilata: Ergo Creaturæ & Deus non possunt habere ejusdem formæ Entis nomen commune univocum. 3. Vnivocata in ratione sui vnivoci sunt æqualia, neq; aliquid plus participat de eo, quàm reliquum: At quæ Entia sunt & dicuntur, non sunt in ratione Entis æqualia: Ergo. Minor probatur. Nam Deus plus habet Entitatis, quàm creaturæ: Is enim per se est Ens, hæ per ipsum. Plura argumenta habebimus infra libro secundo. Notandum hoc loco est, quod secundum Scotistas Vnivocum *triplex sit:* Physicum, Logicum & Metaphysicum. Physicum *est species infima.* Logicum *consistit in convenientia primarum notionum in secundis; genere nimirum & specie.* Metaphysicum *univocum est, conceptus ipse formalis. Vt* homo *concipitur vno conceptu formali, qui deinde omnibus tribui potest. Et hoc duplici modo se habet: Primùm quatenus contradistingvitur æquivocis, & sic complectitur analoga: atq; ita sumitur.* lib. δ. min: Metaph. c. 1. t. 4. *Deinde quatenus omnimodam rerum in definitione convenientiam dicit: Ita accipitur.* lib. Categor: Cap. 1. *Vbi omissis Analogis tantùm Vnivoca & Æquivoca definit. Analoga verò alibi nempe* lib. γ. Metaph. c. 2. t. 2. *accuratè ab Æquivocis distinxit.*

Vnivocum triplex.

Et com-

Et Commentator *supra istum locum dicit* Analogum medium esse inter Vnivocum & Æquivocum, *Differunt enim duplici modo.* 1. Analogum *est tantùm in vno Analogatorum secundum propriam ejus rationem*: Vnivocum *verò in quolibet univocato*: Æquivocum *tantùm diversis idem nomen imponit & attribuit, sine ullo respectu ad rem sive naturam rei*: *At* Analogum *signat secundùm rem vnum principaliter, & alia propter ordinem ad illud.* 2. Vnivocum *dicit rationem simpliciter eandem*: Æquivocum *simpliciter diversam*: Analogum *partim eandem, partim diversam: Eandem quatenus in principali significatione tantùm unum notat: Diversam, quatenus secundum diversas habitudines aliorum ad principale significatum notat alia.* Thom. 11. Metaph. *De Ente igitur quando quæritur; an sit Vnivocum: Concedimus illud priore modo, nempe Metaphysico. Posteriore verò negamus. Propriè e. in Analogum non Vnivocum est.* *Quæritur nunc* quomodo Ens sit Analogum. *Est enim* Analogia *ut infra* exerc. 3. th. 4. *pluribus docebitur, potissimum duplex*: Attributionis & Proportionis. Analogia proportionis *sumitur ex proportione plurium rerũ in ordine ad aliquos terminos, & semper aliquid Metaphoræ & improprietatis includit. verbi gratia: Homo dicitur ridere, à proprio actu ridendi absolutè sumpto: Pratum verò ridere dicitur à viriditate sua non absolutè, sed prout servat quandam proportionem pratum viride ad hominem ridentem; atq; ita per translationem & Metaphoram ridere de prato dicitur.* Hoc modo Ens analogum non est.

Analogum medium est inter Æquivocum & Vnivocum.

Quomodo Ens sit Analogũ.

Analogia duplex.

Analogia Proportionis.

Attri-

Analogia attributionis.

Attributionis Analogia *duobus fit modis. 1. Quando forma denominans in vno tantùm extremo est: in cæteris verò duntaxat intrinseca habitudo ad illud. Sic sanum absolutè dicitur de animali: quia illi formaliter inest sanitas: de medicinâ verò & urinâ per habitudinem & attributionem ad animal. Neq; hoc modo Ens est Analogum. 2. Quando forma denominans intrinsecè est in utroq; membro: quamvis in uno absolutè, in altero verò per habitudinem ad aliud. Hoc tandem posteriore modo Analogicè Ens de Substantiâ & Accidente dici asserimus. Nam Accidens non est Ens per denominationem extrinsecam à substantiâ, sed per intrinsecam Entitatem suam, secundum quam habet suum proprium esse, quæ tamen talis est, ut tota consistat in quâdam habitudine ad substantiam. Simili modo Ens se habet ad Deum & creaturas: Ens enim principaliter Deo: Creaturis verò per ordinem ad ipsum tribuitur: Quod enim Creaturæ sint Entia, id Deo acceptum referre habent.* De Ente in genere hactenus.

Quomodo Ens se habeat ad Deum & Creaturas.

Theorema III.

Ens incomplexum sive ἄνευ συμπλοκῆς est primum illud simplici termino expressum, ad quod omnes reliqui mentis conceptus recurrunt

Complexum est illud, quod ex pri-

ex primis illis incomplexis est compositum,

A generali Entis definitione ad divisionem rectè progredimur.

Ens aut est Incomplexũ aut Complexum. Incomplexum illud dicimus, quod primâ intellectus dictione eàq; simplici constituitur & intelligitur. *Primum hoc incomplexum est ipsum* Ens, *ad quod omnium simplicium animi* νοημάτων *summa redit.* Complexum Ens *est, quod secundâ intellectus operatione, nempè compositione ac divisione sive affirmatione ac negatione conficitur. Omnium primum & verum complexum Ens sive* νόημα *est:* Quodlibet est aut non est. *Nihil enim illo in cõpositis intellectus habet prius, nihil antiquius, ita ut sit amussis & regula, ad quam examinantur & dijudicantur omnia alia principia. Quæritur hîc,* an tale Ens complexum unâ, an verò distinctâ intellectione intelligatur. *Respondetur, quod Ens complexum duplici modo considerari possit, vel ut unum quoddam est, una nimirum enunciatio: vel prout illud vnum distincta habet,* subjectum *scilicet &* prædicatum. *Priore modo si sumatur complexum Ens, dubium non est, quin ejus intellectio simul sit vna: si verò distinctis Terminis jam subjectum, jam prædicatum consideretur per modum plurium, duplex sit intellectio. Vt ita* Ens complexum *unâ & duplici vel multiplici intellectione pro diverso respectu apprehendatur, non aliter atq; linea continua si concipiatur per modum vnius continui, una tantùm &*

Entis divisio in incomplexum & complexũ.

Ens incomplexum.

Ens complexum.

Quæstio: Quomodo Ens complexum intelligatur.

Resp. Entis complexi duplex consideratio.

simplex ejus est intellectio: sin verò aliquod notetur punctum, ut duæ fiant medietates, ex quibus constet, distinctæ fiunt intellectiones ejusdem, cujus paulo ante una tantùm fuit. Alias incomplexum *sive simplex triplex faciunt Logici:* incomplexum voce tantùm, incomplexum re tantùm: & incomplexum voce & re simul. Incomplexum voce *tantùm est, quando unicâ voce distincta proferuntur, ut quando dico:* Curro: *vox quidem vnica est, ei tamen in mente respondet duplex notio: Vna, quæ actionem illam denotat, videlicet ipsum* currere: *altera, quæ subjectum, cujus ea est actio, quod quanquam manifesto non exprimatur vocabulo; tamen necessariò subintelligitur. Nam si harum vocum* CURRO *&* CURRIT *differentia significationis sit dicenda, illam ratione subjecti assigno. CVRRO enim de me, CVRRIT verò de alio pronuntio.* Incomplexum re sive significatione tantùm est, *quod quidem secundùm vocem est compositum ex dictionibus pluribus diversum significantibus, verùm in mente & re ipsâ nulla fit compositio. ut cũ dico:* CORPVS-ANIMATVM: *Quanquam sint duæ diversæ notiones in & per se* CORPVS *&* ANIMATVM: *tamen ita conjunctæ unicam in mente generalem notionem & extra mentem rem unam denotant, non aliter ac quando dico:* ANIMAL RATIONALE, *statim concipio speciem, nempè* HOMINEM. *Tandem* incomplexum voce & significatione sive re simul est, *quod simpliciter incomplexum est, & neq; ratione vocabuli ex pluribus dictionibus significativis componitur, neq; respectu rei, ut* HOMO.

Incomplexum triplex est.
1. Vocis.
2. Rei.
3. Vocis & Rei.

Eodem modo Compositum, Complexum, Conjunctum, *συμπεπλεγμένον triplex faciunt Logici.* Voce tantùm: re tantùm: voce & re simul. Complexum voce tantùm *est incomplexum re sive significatione tantùm, ut* Animal rationale, *atq; id complexum impropriè ita dicitur.* Complexum re tantùm *est incomplexum voce tantùm, ut* Curro. Complexum voce & significatione sive re *dicitur illis enuntiatio, constans subjecto & prædicato, ut* Homo currit, Homo est animal.

Complexum itidem triplex.
1.
2.
3.

Dividitur quoq; complexum in aggregatum & Enunciatum verum. Aggregatum *est, quod ex rebus diversorum generum compositum sive conjunctum est, ut è subjecto & accidente sive affectione, eáq; vel propria, ut* homo docilis; *vel communi, ut* homo albus. *Atq; dicitur hoc Ens per accidēs, quod opponitur Enti per se, hoc est Enti unius naturæ & essentiæ. Alias etiam* Ens per-accidens *illud dicitur quod non est unum unione essentiali, ut sunt* Cumulus, fascis, tunica, Respublica: *atq; tum opponitur* Uni-per-se, *ut est* homo constans animâ & corpore. *Item* Ens-per-accidens *pro illo accipitur, quod rarò & contingenter fit, atq; tum opponitur* necessario. Enunciatum verum *est integra sententia & ὂν διανοητικὸν, à secundâ mentis operatione proveniens: cui opponitur* falsum, *quod est* non-Ens, *atq; propterea non est ἐπιστητὸν, hoc est, sciri nequit, quod ejus species sit plane* impossibilis.

Alia divisio complexi.
Aggregatum.
Ens per accidens tripliciter dicitur.
2.
3.
Enunciatum verum.
Falsum.

Compositum *tandem accipitur vel pro mixto, vel pro eo, quod ex principijs existit, ut* Homo *hoc modo*

Compositum dicitur dupliciter.

dicitur compositus ex animâ & corpore, tanquam ex suis principiis sine confusione & commixtione. Mulsum *verò est unum mixtione; neq; enim mel, neque aqua, sed tertia quædam essentia est, sive natura* κα]ὰ συναπόφασιν. *Referri etiam huc potest distinctio, quâ* Ens dividitur in Abstractum & Concretum. Abstractum *dicitur sola forma in se: Vt Castitas, Albedo &c.* Concretum *significat formam cum subjecto, ut Castum, Album.*

Ens est vel abstractum, vel concretum.

Hâc de re etiam infra in doctrinâ de Vno *tractari posset; Verum, quia hoc loco de eâ, licet breviter, sufficienter tamen sit actum, actum ibi agere nolumus.*

Theorema IV.

Ens incomplexum est vel rationis, vel reale. Ens reale vel est per se, vel per Accidens.

Quid Ens rationis, itemq; reale, per se & per Accidens sit, declaratum est supra exer. 2. Theorem. 4. *Et licet quidem Ens rationis, item Ens-per-Accidens non pertineat ad subjectum Metaphysices* Arist. lib. 3. Metaph. *quia tamen ita dividi potest Ens: illorum hic mentionem injicere voluimus. De* Ente rationis *in specie notetur, quod scilicet ex Metaphysica excludatur, quoad de objecto directo & proprio loquimur: alias vero per occasionem mentio ejus in hâc scientiâ fieri potest: nempè ut distingvatur à realibus non aliter atq; visu tenebræ à luce distingvuntur, non verò cognoscuntur, sed ut diversum, & sibi minime cognoscibile, relinquuntur.* De Ente-per-Accidens *notanda*

Ens rationis quomodo hic considerari possit.

Ens per Accidens

tanda sunt verba Suarez. in Ind.Metaph.ad cap. 2.lib.6.Metaph.Arist. Est considerandum, *inquit*, aliud esse loqui de Ente-per-Accidens quo ad rem subjectam huic denominationi: 1. aliud de ipsâmet formali ratione Entis per-accidens, quod aliter dicitur: aliud esse loqui de Ente-per-accidens in actu exercito, & in actu signato: Ens ergo per Accidens quoad rem subjectam seu exercitam, non cadit sub scientiâ, & hoc est per se evidens. At verò ratio formalis Entis per-accidens considerari potest scientificè: nam concipitur per modum vnius rationis formalis per se, quæ habet suas proprietates. Vide Suarez disp. Metaph. 1. sect.1.& disp.4. sect.3.

tripliciter consideratur. 2.

Theorema V.

Ens positivum est, quod essentiam veram habet.

Ens privativum est negatio essentiæ sive formæ in subjecto habili.

Progrediamur itaq; in explicatione Entis-per-se. Ens per se vel est positivum vel privativum.

Entis per se divisio in positivum & privativum.

Res manifesta est, verbi gratiâ visus est positiva res: Est enim ipsa virtus & facultas videndi in oculo: Cæcitas verò est res privativa. Est enim privatio visus in oculo. Est itaq; Ens privativũ quodammodo non-Ens: non autem simpliciter. Nam non-Ens simpliciter, ut Non Ens.

planè & simpliciter nihil est: ita etiam nullum omninò ad aliud respectum habet, neq; vllum subjectum denominat:

Privatio.

Verum privatio est quidem negatio, sed non absoluta, sed habitus in certo subjecto, quodq; denominat: verbi gratia, Cæcitas est negatio, sed non rei cujuslibet, verùm certæ, nempè, uti diximus, facultatis videndi sive visus: non etiam vbiq;, non in lapide, in ligno &c: sed tantùm in oculo, atq; denominat subjectum suum proprium, nempe animal, habens oculos: id enim quando visu caret, cæcum dicitur: nemo verò vel lapidem, vel lignum &c. propriè cæcum dixerit. Vnde

Nihil privativum & negativum.

Nihil sive non-Ens dividi solet in nihil negativum, & nihil privativum. Nihil negativum *simpliciter non-Ens est:* nihil privativum *est quidem non-Ens, sed in certo Ente.*

Forma Entis privativi privatio duplex.

Cæterùm forma Entis privativi est Privatio, *quæ in Philosophia Peripatetica dupliciter sumitur.*

1. Privatio logica.

1. Pro absentiâ formæ, quæ jam fuit, vel esse debuit in certo subjecto, quam nonnulli Logicam *vocant. Vt quando cæcitas privatio visus finitur. Et hæc propriè privatio dicitur, & definitur absentia habitus in subjecto capaci. Vel juxta Damascenum* Cap. 58. Dialect. στέρησίς ἐστι τῆς ἕξεως ἀποβολή*: Alij etiam* ἀπουσίαν *vocant, sicut contra* habitum παρουσίαν.

2. Privatio Physica.

2. Sumitur privatio pro absentiâ formæ substantialis in materiâ cum hâc tamen conditione, ut materia apta sit ad eam recipiendam. Hoc modo Privatio Aristoteli lib. 1. περὶ ἀκρ. cap. 8. & 9. *est principium Physicum generationis.*

Alia privationis divisio.

Philosophus iterum lib. δ. Metaph. cap. 12. *docet* στέρησιν *interdum activè interdum passivè sumi.*

sumi. Paßivè adhuc tribus modis. 1. Latißimè pro quâvis negatione etiam in ejusmodi subjecto, quod affirmationis vel habitus capax non est; ut cum lapis dicitur non videre, negatione nimirum negante. 2. Strictius pro debilitate & defectu quovis in subjecto capaci, ut quando luscus dicitur privatus visu. Aristoteles vocat Diminutionem. *Infert enim medium inter perfectam privationem & perfectum habitum. 3. Propriè, ut à nobis & Damasceno fuit definita. Activè sumitur privatio pro rei ablatione* ἀφαιρέσει. *Vt cum dicitur* Deus nos privare nonnullis beneficijs. *Quæ certè privatio Dei non paßiva, sed activa est.* Privatio porrò, propriè ita dicta, est duplex: Vel est rei naturalis, vel rei extrinsecus adhærentis & circumstantis. Privatio rei naturalis *est, quando id abest, quod subjecto naturaliter debebat adesse, sive sit pars, sive accidens aliquod. Vt* Cæcitas *est privatio accidentis naturalis:* mutilatio *est privatio partis.*

Privatio passivè.

Privatio activè.

Privationis propriè ita dictæ divisio.

Privatio rei naturalis.

Privatio hæc subdividitur in Totalem & Partialem.

Totalis privatio *alijs dicitur privatio* ἁπλῶς *absoluta & perfecta, Damasceno* Cap. 58. Dialect. Privatio potentiæ, *& est à quâ ad habitum ordinariè regressus non datur. Cum à Damasceno privatio hæc potentiæ dicatur, quæri potest,* an etiam potentiæ privatio detur, *cum potentia sit affectio propria, quæ à subjecto sine ejus destructione, separari nequit. Respondetur, quod* Potentia sit duplex: Prima & secunda. Potentia prima *est, quæ à formâ immediatè fluit. Hanc separari, ob dictam ra-*

Privatio totalis.

An detur privatio potentiæ.

Potentia duplex.

tionem simpliciter impoßibile est. Secundæ *verò* potentiæ *quia nihil aliud sunt, quàm* Organorum *dispositiones, illarũ esse potest separatio & privatio.* Exempli *caussa: In animali duplex datur visibilitas: Activa una, quæ proximè ab animâ sentiente fluit, & hæc nullo modo tolli potest, sed remanet etiam in eo, qui à nativitate cæcus est: Alia deinde est, quæ à certâ nervorum opticorum & oculorum sive humoris Crystallini dispositione fluit: & hujus datur privatio. Atq; ita manifestum est, quod totalis sive absoluta hæc privatio propriè tantùm sit dispositionum seu potentiarum secundarum.* Privatio hæc est præter naturam: *reddit enim rem imperfectam & mutilam, quando tollit illos actus, quibus natura perficitur. Vt videre pertinet ad animalis perfectionem, sic sanum seu valentem esse: Ergo ad imperfectionem pertinebit, cæcum esse, ægrum esse. Ergo privatio hæc tollit perfectionem naturæ: Quod verò perfectionem naturæ tollit, id præter naturam esse necesse est. Deinde* à privatione ad habitum non datur regressus. *Quod Aristotelis axioma* lib. categ. cap. 10. §. 20. *non absolutum, sed limitatum est, & intelligendum 1. De privatione totali. 2. De regressu ordinario, qui est ex caussis naturalibus & ordinariis. Vt resurrectio carnis est impoßibilis, si loquaris de regressu ordinario: non verò est impoßibilis, si loquaris de regressu extraordinario & miraculoso:* Deus *enim (teste Platone)* potest impossibilia naturæ.

Visibilitas in animali duplex.

A privatione ad habitũ non datur regressus, quomodo.

Partialis privatio *aliis dicitur privatio secundum quid, Privatio πῶς, & imperfecta, Damasceno loco allegato* Privatio actus: *& est, à quâ ad habitum*

Privatio partialis.

bitum ordinarius & facilis regressus datur. Non enim (ut loquuntur Scholastici) negat dispositionem ad suum habitum. Hujusmodi privationes sunt tenebræ nocturnæ, à quibus mane datur regressus ad lucem: morbi quoq; facilè curabiles &c. Hæc privatio non simpliciter præter naturam est. *Vt tenebræ nocturnæ non sunt præter naturam, sed ex caussis naturalibus & ordinarijs per se & ex intentione naturæ fluunt. Sic somno maximè natura animalis sustentatur, juxta illud Poëtæ* ——— Menti Deus utilis ægræ Somnus *&c.*

Privatio rei extrinsecus adhærentis & circumstantis *est, quando id abest, quod circumstare potest. Talis privatio est, pauperem esse, nudum esse, discinctum esse: quia divitiæ, item vestes nō inhærent, sed circumstant. Referunt huc Celibatum, Viduatum &c. quia maritum item conjugem esse non simpliciter naturale, sed adventitium est. Tandem adventitiæ hæ privationes tantùm secundariò privationes sunt: Cum Aristoteles* lib.6.Top.cap.3. *doceat, quod omnis privatio sit rei naturâ insitæ. Ergo juxta Philosophum illæ tantùm sunt veræ privationes, quæ tollunt res, quæ naturaliter inesse debent.*

Privatio rei extrinsecus adhærentis.

Privationes veræ quænam sint Aristoteli.

Theorema VI.

Potentia est id, quod actum suum non habet, sed habere potest.

Ens positivum porrò per suas affectiones disjunctas immediatas dividendum est.

Affectiones hæ vel sunt primæ, quando Ens dicitur esse vel actu vel potentiâ: vel ab his

Entis positivi in suas affectiones disjunctas divisio generalis.

his ortæ: quibus dicitur ens vel caussa & effectus: vel necessarium & contingens.

Sequuntur itaq; nunc modi & affectiones conjunctæ Ens immediatè sequentes.

Accidentia duplicia Themistio.

Rectè Themistius. 1. post. c.11. *duplicia dicit esse Accidentia, quæ cum subjecto reciprocantur:* Simplicia, *quæ solitariè sumta, respondent amplitudini subjecti, ut risibile, quod recurrit cũ omni homini, & talia sunt in Metaphysicis affectiones Entis, quas Unitas vocant; ut* Unum, Verum, Bonum, *quæ solitariè sumta cum Ente cõvertuntur: &* Cõjuncta, *quæ non singula, sed conjunctim sumta adæquant totum subjectum, eò, quod habeant opposita. Opposita verò nata sunt in eodem subjecto esse, & si alterum eorum non adsit, reliquum, aut si pluria fuerint, ex reliquis aliud adesse necesse est. Talia Accidentia in Ente sunt* caussa & caussatum, necessariũ & contingens *&c. Suntq; iterum duplicia: vel enim immediatè Ens sequuntur, ut quæ modo enumeravimus: vel mediante affectione simplici sive unitâ Enti insunt, ut mediante* Uno Enti *tribuitur, quod sit* idem *vel* diversum: simile vel dissimile: finitum vel infinitum: perfectum vel imperfectum *&c. Affectiones has conjunctas vocare, cum Themistio possumus, quia non separatim sumptæ cum Ente convertuntur, sed conjunctim: Non quidem quod conjungantur conjunctionis particulâ copulativâ, ut Caussa & caussatum: Hoc enim modo cum Ente non convertuntur: Falsum enim est, Omne Ens esse caussam & caussatum, actum & potentiam, perfectum & imperfectum &c: Sed quod copulentur conjunctionis particulâ disjunctivâ* aut, *vel si-*

vel simili, & ita verè de Ente prædicentur: Vt omne Ens est vel caussa vel effectum; est vel actus vel potentia. Quo etiam nomine illas in thesibus & disputationibus Metaphysicis disjunctas vocare voluimus: quod neq; separatim neq; conjunctim; sed disjunctim cum Ente convertantur, uti dictum est.

Aristoteles lib. 9. Metaph. *ubi ex professo de actu & potentia agit. c.1. sicut Ens in decem prædicamenta divisum fuit; ita in genere, inquit, idem dividi in potentiam & actum. Quem locum Averroës exponens ait*: Essentialiter & in quantum Ens, dividitur in actum & potentiam. *Quod etiam repetit* 1. de an. text. 6. *ubi Aristoteles idem supponit, ut &* 5. Phys. Com. 9. *Vnde Thomas* 1. par. q. 77. a. 1. *generale illud elicuit axioma, quod etiam apud Philosophum* lib. λ. Metaph. t. 26. *habetur*: potentiam & actum dividere omne Ens: *vel ut Averroës loquitur*, reperiri in omnibus prædicamentis. Potentia & actus sunt in omnibus prædicamentis.

Circa divisionem hanc Entis observandum venit, quod illa Entibus particularibus diversimode applicetur. Primum *enim intelligitur* Actus & Potentia *de Entibus essentialiter divisis, quorum alterum est* ENS *actu, alterum Ens potentiâ: ut ita sit divisio vnius communis in diversa Entia, non aliter atq; si de Rosâ, quæ jam actu sit, dicas, quod sit Ens, & de aliâ, quæ actu non sit, sed adhuc in potentiâ, & in suis caussis & principijs, quod sit Ens, utrumq; verè dicitur: alterum tamen erit Ens actu, alterum potentiâ. Sumitur itaq; hoc modo divisio hæc de totâ latitudine Entis, ut ex omnibus Entibus quædam sint potentiâ, quædam* Actus & potentiæ applicatio diversimoda. I.

dam actu. Quo sensu etiam divisio accipitur lib. 3. περὶ ἀκρ. C.1. *eamq; significationem adhibitæ descriptiones explicant.*

Deinde *applicatur divisio illa, sive actus & potentia, diversis statibus ejusdem Entis secundum rationem existendi, nempe quod idem habeat aliquando actualem, vt loquuntur, existentiam; aliquando verò idem tantùm sit Ens potentiâ: ut eadem rosa, quæ hyberno tempore fuit in suis caussis, atq; adeò Ens potentiâ: æstivo est extra suas caussas & Ens actu. Quo sensu sumitur ab* Averroe 2. de an. t. 6. lib. 5. Phys.com.9. Thomâ 1.p.q.77.a.1.& à Zimara Theor.105. *imò ita ab ipso Philosopho* lib. λ. Metaph.t.26. *explicatur, ubi docet, proportionaliter potentiam & actum pervagari omnia prædicamenta.*

Dubium. *Dicis & hoc sensu divisionem hanc hoc loco accipi posse, quod omnis potentia propriè ita dicta, nempe proxima, & ad certum quendam actum determinata, ad id prædicamẽtum posŝit revocari, in quo actus est, quemadmodum Philosophus ad illud prædicamentũ revocat motum, in quo sunt termini* lib.5. περὶ τῆς ἀκρ.9.

Solutio. *Posset quidem hoc quodammodo concedi, cum tota natura Entis in decem illis generibus contineatur & conservetur: Verùm hic non quæstio est, an in illis speciebus sive generibus insit potentia & quomodo insit: Sed de eo quæritur hîc & apud Philosophum* lib.Θ.Metaph. *quomodo divisio in actum & potentiam debuerit toti Entis latitudini, ad quam etiam pertinet* potentia remota, *accommodari: hoc certè oportet fiat per primum modum, aliàs inadæquata erit. Quemadmodum igitur Aristoteles* lib. Δ.Met.

Ens

Ens dispescit in Vnum & multa: non quidem ut sit necessum idem Ens & multitudinis & unitatis esse capax; sed quia hæ sunt differentiæ totius Entis: eodem modo hoc loco cum Aristotele lib. allegato 9. Metaph. *actum & potentiam; quas Averroes.* 2. de an. t. 6. *dicit differentias valde oppositas, non cuivis in specie, sed universo Enti tribuimus, nempe cujus species Analogicæ, quædam sint potentiâ, quædam actu.*

Tertio *Actus & potentia simul tribuuntur diversis respectibus ejusdem Entis, ita ut actus dicat Actualem existentiam ejus rei, quæ est: potentia verò sumatur pro possibilitate, quæ est in re, quâ nimirum ipsa res actu existens, uti loquuntur, possibilis est ad essendum sui conservativi respectu: vel fuit possibilis respectu sui productivi. Ita potentiam sumi æquivocè docet Philosophus* libro de interpr. *ut si dicamus,* DEUM posse movere, & cœlum posse moveri. *Impropriam verò hanc esse acceptionem (ut vtar verbis Zabarellæ* lib. 1. de pr. rer. mat. c. 9.) *patet ex ipsis effectis: non enim dicimus effectum esse potestate, nisi quando non est actu: quare etiam materia & agens tunc propriè dicuntur habere potentiam, quando non habent actum sive agendi sive patiendi. Neq; igitur hæc acceptio hîc locum habere potest.* 3.

Movetur etiam hic quæstio, quomodo potentia & actus opponantur. *Relative statuunt nonnulli, ut Antonellus Episcop.* 9. Met. q. 3. Concl. 1. *Falsa est hæc opinio. Nam relata se mutuò ponunt: At non potentia & actus: potentia enim esse potest, nondum existente actu, & actus exhauriendo tollit potentiam. Alij, ut Thomas* de potent. q. 1. a. 1. ad 3. *potentiam*

Quæstio de actus & potentiæ oppositione. Responsio 1.

Resp. 2. *tentiam fundamentum relationis dicit: atq; tum positivum quoddam est, quod potius rationẽ diversitatis,*
Resp. 3. *quàm contrarietatis habet. Tandem Averroës* in principio de somno & vigiliâ *dicit, quod id, quod in potentiâ est, sit privatio ejus, quod in actu est. Et* lib. 9. Metaph. t. 3. *docet, semper potentiam habere conjunctam privationem. Hujus igitur respectu dici potest opponi actui privativè. Ex quo iterum facilè colligitur, potentiam & actum non, uti opinatur Scotus, unum & idem esse: Sed distingui realiter. Nam qualis est natura Terminorum à quo & ad quem in motu; talem quoq; habent potentia & actus: atqui Termini isti realiter sunt distincti: Sunt enim oppositi: Ergo & potentia & actus realiter distinguuntur. Major manifesta est. Nam in motu terminus à quo & potentia; item terminus ad quem & actus, planè coincidunt, & idem sunt.*

Actum & potentiam realiter distingui.

De potentiâ priore loco secuti Philosophum lib. 9. Met. *agimus, cujus descriptio in Theoremate posita, ex partium sive specierum explicatione erit manifesta. Duabus igitur motis & resolutis quæstionibus ad divisionem progrediemur.*

Quæstio 1. de genere potentiæ.
Resp. Zab.
Resp. Philosophi.

Primum quæritur, an potentia hæc sit certi & limitati generis. *Zabarella* lib. 1. de pr. rer. mat. c. 9. *affirmativè respondet, omnemq; potentiam ad secundam qualitatis speciem trahendam & revocandam esse statuit. Contrarium docet Philosophus* lib. 9. Metaph. text. 3. *ubi habitum quoq;, qui in primâ qualitatis specie est, potentiam vocat & finit. Et materiam primam passim vocat puram potentiam: quod certè de transcendentali potentiâ, non de quali-*

tate intelligi potest. Et Zabarellæ opinionem totam expugnat hoc argumentum: Quæ potentia unà cum actu adæquatè exhaurit totam latitudinem Entis, illa certi & limitati generis non est: Atqui potentia, de quâ hoc loco agimus, cum actu totam latitudinem Entis exhaurit: Ergo certi & limitati generis non est: Sed quemadmodum actus de omnibus dicitur Categorijs: sic quoq; potentia de omnibus dici debet, cum sint oppositæ differentiæ. Minorem nostram approbat Thomas op. 48. c. 3. *quando potentiam hanc transcendentalem vocat. Deinde quemadmodum rectè & eruditè contra Avicennam (qui* 3. Met. c. 2. & 7. Metaph. c. 1. *omnem unitatem ex quantitate petere videtur) argumentantur* Averr. lib. 10. Metaph. t. 5. in Epit. tr. 1. & Elias Cretens. in lib. de Vno: *non posse id, quod certi & determinati generis est, attribui universo Enti: ita simili, imò eodem modo, rectè & eruditè argumentatur Thomas: non posse esse affectionem Entis illud, quod in aliquâ certâ specie numeretur.*

Deinde quæritur, an potentia hæc transcendentalis à suo subjecto ubiq; distingvatur. *In diversas hic abeunt sententias Philosophi. Nos statuimus in nonnullis eam à suo fundamento distingvendam esse. Omnis enim potentia idem cum suo subjecto esse nequit. Si enim omnes potentiæ essent idem cum fundamento, idem quoq; essent inter sese: neq; adeo distinctas ederent operationes: quandoquidem ab uno, quatenus unum, non nisi Vnum proficiscitur, uti rectè docet Plotinus* En. 5. lib. 1. c. 5. 6. 7. *Vt autem omnis potentia cum suo subjecto idem esse nequit: ita* neq;

Quæstio 2. de essentia potentiæ. Responsio.

neq; omnis in universum potentia à suo subjecto distingvitur. Cum definitiones potentiarum ipsi etiam substantiæ & fundamento competant. ϑ. Metaph. t. 2. *Imo manifestum hoc est in productionibus per emanationem: ibi enim substantia immediatè agere conspicitur, nisi forsan in caußis essentialiter ordinatis processum in infinitum fingere velis contra Philosophum* lib. α. min. Metaph. t. 6. *Ergo accidens à substantiâ per emanationem proprie & πρώτως ita dictam, hoc est, accidens, quod per resultantiam sequitur ad positionem substantiæ, ut est risibilitas in homine, facultas in animâ, &c. producitur immediatè: producitur verò à potentiâ: Ergo quædam potentia est ipsa substantia. Tandem ex potentiâ & actu Vnum per se fieri, adeò certum est, ut Axioma illud Iavellus* 8. Metaph. q. 7. ex Averr. 8. Metaph. t. 15. *indemonstrabile vocet. Ex quo luce meridianâ clarius est, potentiam quandam Accidens non esse: quandoquidem ex potentiâ accidentali, sive ex accidente & actu substantiali non fit vnum per se, sed unum per Accidens.* lib. η. Metaph. t. 49. *Manifestum igitur est, quasdam potentias ita cum suis substantijs esse unitas, ut non nisi secundùm rationem ratiocinantem, ut barbari, vel ex naturâ rei, uti nostri loquuntur, distingvantur: nonnullas contra à substantijs verè & realiter distinctas esse, nempe quæ ad remotiores & à substantiâ longè diversos destinantur actus, ita ut non poßint ab unâ eâdemq; simplici substantiâ attingi.*

Accidentis productio.

Theorema VII.

Potẽtia est vel activa vel paßiva.

Potentia

Potentia varijs modis sumitur, uti autor est Arist. lib.δ. Met.c.12. & lib.Θ.Metaph. c.1. & 3. Zabarel.lib.1.de pr.rer.mat.c.9.

Dividitur autem in æquivocam & in magis univocam. Æquivoca est, quæ ad similitudinem veræ potentiæ effingitur, & de rebus dicitur æquivocè. Divisio potentiæ. Æquivoca.

Æquivoca potentia est Mathematica vel Logica.

Mathematica potentia *est, per quam Mathematicus in quantitate sive re Mathematicâ nihil ponit, sed tantùm sibi virtutem quandam imaginatur, per quam res nata est, ad eum modum, quem ipse mẽte concepit, disponi: ut quando mathematicus dicit, lineam datam esse potentiâ Triangulum.* Mathematica.

Logica potentia *est pura non repugnantia. h. e. quando Termini tales sunt, qui cohærere possunt, neque ullam habent repugnantiam: quemadmodum ejus opposita impossibilitas dicitur, quando Termini habent vel non cohærentiam vel repugnantiam, de quâ sumitur illud Aristotelis* lib. Θ. Metaph. c. 3. Possibile id est, quo posito in actu, nihil sequitur impossibile. *Atqui potentia hæc non ad Metaphysicam, sed ad Logicam pertinet. Neutra etiam tam Mathematica, quàm Logica vera potentia dici potest: Id quod facile ex illarum descriptionibus intelligitur. Et Mathematicus quando dicit, datam lineam esse potentiâ triangulum, in lineâ nihil ponit: sed tantùm sibi virtutem & aptitudinem imaginatur, per quam nata est, ad illum modum multiplicari. Sic potentia Logica, ut inquit* Zimar. th.40. *nihil est, nisi aliquis* Logica.

respectus caussatus à ratione ex non repugnantiâ Terminorum, in quantum non repugnant: illud ipsum verò in re nihil est. Cum igitur Potentiæ hæ sint puræ rationis Entia, in quæ subjectum Metaphysices, quod Ens reale est lib.έ.Metaph.t.ult.*dividi nequit, tantùm illas obiter hic attingere voluimus.*

Potentiæ magis univocæ divisio in activam & passivam probatur.

Potentia magis Vnivoca, *quæ vero potentiæ nomine venit, est vel* activa vel passiva. *Quibus potentiæ speciebus contentus est Philosophus* lib. 2. περὶ ἑρμ. lib.δ.Metaph.t.17.lib.θ.eor.t.2.lib.2.de an. t.6. *Esse autem divisionem hanc veram aut sufficientem probatur.*

1\. *Primò potentia, quatenus potentia, habet se ut aliquis actus primus, qui est habitudo ad actum secundum. Rectè enim Thomas* 1. par. q.77.a.3. *docet, potentias distingvi per actus & objecta. Videatur Aristoteles* lib. 2. de animâ text. 33. & potissimum lib.δ.Metaph.c.12.& lib.θ.eor. text.2. *At actus ille secundus immediatus potentiæ non est, nisi actio & passio: Ergo & potentia tantùm est activa & passiva. Minor nititur hâc ratione: Quot sunt habitudines actus ad potentiam: tot etiam sunt potentiæ: atqui tantùm duplex est habitudo actus ad potentiam; scilicet vel ut ad principium à quo, vel ut ad principium in quo, sive ex quo: Ergo tantùm duæ sunt potentiæ, quarum vna est principium à quo, & dicitur potentia activa: altera principium ex quo, sive in quo & dicitur passiva.*

2\. *Deinde ut duo sunt actus, primus & secundus, sive forma & operatio: ita duæ sunt potentiæ: quarum vna, nempe passiva, proficiscitur à formâ inductâ, activa ab operatione.*

3\. *Idem etiam patet per inductionem & remotionem illarum*

specierum,quæ excogitari & afferri possunt. Nam si
plures sunt species potentiæ, quàm enumeratæ, tum
addendæ forsan sunt potentia objectiva & potentia
resistendi. Scotus potentiam objectivam à potentiâ a- Potentia
ctivâ & paßivâ contradistinctam introducit. Videa- objectiva.
tur Scotus 2.sent.d.12.q.1.d.16.q.1. Ant. And.7.
Metaph.q.6.Henr.Gand. quodl.1.q.9.quodl.
3. q. 9. Sed potentia hæc tertia & nova non est: aut
enim sumatur pro negatione impoßibilitatis: aut pro
potentiâ reali distinctâ à potentijs activâ & paßivâ:
aut prout utriq; tam activæ, quàm paßivæ potentiæ Triplex
superaddat novum respectum ad productionem obje- considera-
cti. Si Scotistæ potentiam objectivam primo sumunt tio poten-
modo, rectè quidem sentiunt in eo, quòd omne, quod tiæ obje-
est,potuit esse: illam autem propterea novam consti- ctivæ.
tuere speciem, falsum est; cum sit pura non repugnan- 1.
tia,de quâ potentia æquivocè dicitur. Si sumant po- Non repu-
tentiam objectivam secundo modo,non est nisi Ens ra- gnantia.
tionis,& merum figmentum. Exempli caußâ, ante- 2.
quam mundus crearetur,fuit quidem in potentiâ ob-
jectivâ paßivâ: si autem illa fuit Ens reale, fuit in a-
liquo subjecto: at subjectum tum erat nullum, in quo
potuisset potentia illa fundari: Ergo & ipsa potentia
nihil fuit præter intentionem rationis: Imò si omne
positivum Ens in objectivâ fuerit potentiâ, necesse e-
rit,quamlibet objectivam potentiam fuisse in objecti-
vâ potentiâ,atq; ita in infinitum. Videatur Socin.
9.Metaph.q.1.& 2.Iavell.8.Metaph.q.1. lib.9.
cor.q.9.Zabarella lib.2.de an.cap.2. Neq; tertio 3.
modo si sumatur objectiva potentia novam constituit
speciem, sed activam & paßivam tantùm limitat.

Quod enim potentia ex suo principio possit vel agere vel pati, id videtur simpliciter per potentiæ nomen & naturam inesse: quod verò talis sit potentiæ ad objectum habitudo, ut istud à potentiâ illâ possit produci, illud à potentiâ objectivâ inest: quòd verò non importat novam potentiam; sed tantùm potentiarum determinationem & limitationem. De objectivâ hac potentiâ videtur loqui, eamq; rejicere Zabarella lib. 1. de pr. rer. mat. c. 9. Tribuimus quidem, *inquit*, etiam effectibus potentiam, non tamen ab his duabus distinctam; dicimus enim effectũ esse potestate, quando nondum est actu, esse tamen potest: quia est in potentiâ activâ agentis, & in potentiâ passivâ materiæ: quare tũc nihil aliud significamus quàm dari caussas, à quibus produci potest. *Adde quod Aristoteles* lib. 2. de interpr. 2. de an. c. 1. lib. δ. Metaph. t. 17. lib. θ. eor. t. 2. *& ubicunq; agit de potentiis, præter duas illas, nullius mentionem facit.* Potentiam illam, *quæ* resistendi sive resistitiva potentia *dicitur, novam speciem non constituere inde perspicuum est.* Potentia *enim* resistendi *aut resistit formaliter, ut loquuntur, per immediatam repugnantiam: aut resistit radicaliter & tanquam per diminutionem alterius: ut quando hostis hosti resistit, cui diminuit vires pugnando: & calor ignis resistit frigiditati aquæ, præveniendo actionem ejus, viresq; diminuendo. Atq; hic resistendi modus non est distinctus re ipsâ à potentiâ activâ. Dicitur enim actio, prout à principio activo est: resistentia, prout alterius vires diminuit, ne possit agere. Formalis autem illa & immediata*

Potentia resistendi.

mediata repugnantia est potius impotentia & incapacitas quædam, quàm propriè potentia, quippe quæ non consistit in aliquo actu secundo positivo à virtute resistivâ proveniente: sed potius in carentiâ aut retardatione contrariæ actionis, quæ inde est, quod subjectum, ut loquitur Suarez, *per qualitatem aut dispositionem, in ipso existentem, impedit, ne alia forma vel actio in ipsum introducatur: quod impedimentum non consistit in actione aliquâ, quam tale passum efficiat, vel in alud agens, vil in seipsum, nisi forsan illam actionem per Metaphoram dixeris. Quandoquidem omne patiens, quâ patitur, non agit: atqui omne patiens, quâ patitur, dicto modo resistit. Si enim non resisteret, passio non fieret in tempore, & patientis natura non intenderet sui conservationem. Atqui intendit: quocirca resistentia, hoc posteriore modo dicta, falsò à* Picol. in l. de operant. per nat. C. 17. 18. 19. & Sonc. 9. Metaph. q. 6. *ad actionem refertur: neq; etiam ipsa passio est, nisi forsan affectionem passionis illam dicere velis, ita ut sit quædam patiendi vel impotentia vel difficultas: resistere enim est non recipere actionem. Quod absq; dubio intellexerunt Pomponatius.* de React. l. 2. c. 3. *& Trincavellus* in q. de React. *dum resistentiam definiunt per impedimentum: quamvis quid per illud velint, explicare non potuerint, sicut explicarunt Zabarella* de React. c. 5. *Suarez* disp. Metaph. 43. f. 1. Repugnãtia formalis.

Moveri hic potest quæstio: an omnis potentia Activa ab oppositâ passivâ, & quantum, debeat distingvi. *Circa quæstionem hanc tenendum initiò est, in utroq; genere quasdam potentias esse pri-* Quæstio.

 mas,

mas, quasdam medias, fundatas in subjectis ex actu & potentiâ compositis. Potentiarum aliæ primæ, aliæ mediæ sunt. *Potentiæ primæ ut reliquarum omnium sunt mensuræ: ita etiam Aristoteles illas potissimùm definire voluit, uti ipsemet fatetur* lib. 9. Metaph. t 2. *atq; illæ maximè sunt distinctæ, ita ut semper ab alio vel patiantur vel in aliud agant. Deus namq;, cum actus sit purissimus, nullam in se passionem recipit, & materia prima, cum sit pura patiendi potentia, nullam ex se potest edere actionem. In medijs verò naturis & potentijs sæpius actus & potentia in idem coincidere apparent. Quod, an & ubi fiat considerandum est, intelligiq; in genere potest ex omnium actionum contemplatione. Omnem motum Physicum, atq; inprimis localem, ab externo cieri & fieri principio extra controversiam est, cum illud duplici probet modo Philosophus: Rationibus Topicis* lib. 7. Phys. c. 1. *& inductione* lib. 8. Phys. c. 8. *Excipis & negas id extra controversiam esse. Elementa enim, vt & alia quævis gravia & levia, non ab externo, sed interno principio, nempè à suâ formâ moveri constat ex* Arist. lib. 4. Phys. text. 85. 86. lib. 8. cor. text. 32. lib. 4. de cælo t. 2. 25. Zabarella lib. 1. de motu grav. Picol. de Elem. c. 19. Scaligero Exercit. 28. s. 2. *Vera hæc sunt: interim tamen negari nequit; quod in ipsis Elementis & reliquis corporibus gravibus & levibus actionis & passionis distinctas habeamus radices. Quandoquidem forma ex se agit, prout verò in materiâ est & insistit, eadem quoq; patitur, non aliter atq; sensus, qui diverso respectu & agere & pati potest.* Suessan. de sen. ag. *De generatione, de augmentatione, de alteratione, idem est manifestum,*

festum. Nihil enim seipsum, vel generare, vel augere, vel alterare potest. Atq; de hisce Physicis motibus & transmutationibus potissimùm intelligenda est assertio hæc: omne agens à patiente reipsà debere distingvi. Ægid. quodl. 3. q. 16. & quodl. 5. q. 15. Iavell. 9. Metaph. Socin. 5. Metaph. q. 16. Connimbr. 7. Phys. c. 1. q. 1. &c. *Aliter verò res se habet in resultantijs naturalibus & immanentibus actionibus, ubi Scotus, Anton. And. Iandu. &c. demonstrant, sæpiusculè idem esse agens & patiens: quorum sententiæ subscribere videtur Averroës* lib. 3. de Cælo. t. 28. *Si enim actio immanens in eandem non reciperetur facultatem, à quâ profecta erat, immanens non esset, neq; passio propria à subjecto suo resultaret, si non immediatè in eodem resideret. Statuendum itaq; cum illis idem in seipsum agere, hoc est, actionem & passionem esse secundum idem, idemq; eodem respectu & agere & pati? Hoc neq; illi neq; nos asserere audemus. Vt igitur dicti autores quandam adhuc inter agens & patiens* ἀλλοιότητα *notent, ita se explicāt: Subjectum recipere passionem formaliter, actionem verò efficere virtualiter vel eminenter.* Actiones immanentes.

Theorema VIII.

Potentia activa est principium transmutandi aliud in quantum aliud.

Definitio est Aristotelis lib. 5. Metaph. c. 12. δύναμις λέγεται, *inquit,* ἡ ἀρχὴ κινήσεως ἢ μεταβολῆς ἐν ἑτέρῳ, ἢ ἕτερον. *vel, ut loquitur:* Potentiæ Activæ definitio.

lib. Θ. Metaph. c. 1. & 2. ἥ ἐστιν ἀρχὴ μεταβολῆς ἐν ἄλλῳ ἢ ἄλλο. *Talis potentia, nempe activa, est potentia attractiva, quæ est in Magnete, potentia motiva viventis, intellectus agens & similes. Ejusmodi enim potentiæ per se primò ad agendum ordinantur per actionem transeuntem, tanquam principia talium actionum in suo ordine completa.*

Dubium. *Dubitatur hic:* an definitio posita totum definitum includat & explicet. *Videtur enim* transmutandi *vocabulum non omni respondere potentiæ. Quandoquidem potentia Dei creando nihil transmutat: ex nihilo enim facit & producit: quomodo autem id, quod non est, transmutabitur: Cum id, quod de vno in aliud transmutatur, revera existere debeat?*

Solutio. *Verùm excusandus est Philosophus: ut enim, quod creationem ignorabat, caussam efficientem definivit per motum: ita ex eodem fonte hic fluxit error. Omnia namq; exceptâ potentiâ Dei absolutâ, quodammodo cum subjecti transmutatione agunt.*

Potentiæ activæ divisio.

Potentia Activa vel finita vel infinita est.

Infinita potentia activa est solius DEI potentia. *Quantò enim perfectius aliquid existit formâ suâ, quâ agit: tantò major est ejus potentia: Atqui Deus forma & actus est summus: Ergo Potentia quoq; in eo est summa, hoc est, infinita, quæ est norma omnis potentiæ activæ, nempè à quâ omnis repaßio abest, eò quod infinitas facultatis nihil sibi resistere patiatur.*

Poten-

Potentia divina est vel absoluta vel ordinata.

Potentiæ divinæ duplex respectus.

Ita eam dividunt Scholastici. Nam tametsi verum sit, quod habet Scaliger exercit. ult. sect. 8. *nempe quod vna tantùm Dei sit potentia, quemadmodum ipse vnus est: nihilominus tamen, quia ab altera parte agit absolutè, ab alterâ verò se caußis secundis applicat, ut ad modum istarum agat; commodè ita* potentia divina *distingvi (solâ tamen ratione) posse videtur.*

Absoluta Dei potentia.

Absoluta potentia dicitur, quæ simpliciter supra divinum esse fundatur, quod est infinitum, non limitatum ad aliquod Entis genus; sed quod habet in se omnem totius ESSE perfectionem. *Atq; hoc modo Deus dicitur omnia posse, eiq; omnia poßibilia esse: non quidem respectu creatæ naturæ, ut dicatur omnia posse, quæ poßibilia sunt creaturis, neq; respectu potentiæ suæ, ut dicatur omnia posse, quæ sint poßibilia potentiæ suæ: quo certè modo diceretur Deus omnipotens, quod omnia posset, quæ posset; Sed dicatur omnipotens, quod* possit omnia possibilia absolutè. *Vbi diligenter notetur,* quid absolutè possibile, quid absolutè impossibile dicatur. *Quodlibet agens agit in sibi simile, & cuilibet activæ potentiæ correspondet poßibile, tanquam objectum proprium: sic potentia calefactiva refertur ad calefactibile. Quia itaq; potentia divina hæc absoluta est, refertur ad poßibile absolutè, sub quo continetur, quicquid habet rationem Entis. Ergo quicquid habet rationem Entis, id factibile est absolutè, & est absolutæ omnipotentiæ divinæ objectum. Quid au-*

Deo omnia possibilia.

Absolutè possibile quid.

tem opponitur Enti? nil nisi non-Ens. Ergo non-Ens repugnat rationi possibilis absoluti. Ergo impossibile erit absolute, quòd eo implicetur & esse & non Esse, atq; adeo contradictio. Quocirca id divinæ potentiæ non subjicitur, non quidem propter defectum omnipotentiæ; sed quia rationem factibilis vel possibilis habere non potest, hoc est, propter impotentiam, quæ est in ipsis rebus, quòd nimirum ipsæ res impotentiam vel falsitatem, quæ certè impotentia maxima est, involvant. Quo quidem non asseveramus, Deum ex non-Ente non posse producere Ens: contrarium enim sacræ literæ testantur, quando omnia ex nihilo producta esse docent: sed ita statuimus, divinæ potentiæ non subjici, quod implicat in se Esse & non Esse simul: hoc enim si concederetur, duo contradictoria simul vera essent, quod statuendum non est, ideoq; divinæ potentiæ non tribuendum, cum contradictoriorum alterum semper sit falsum: Falsitatem autem Deo tribuere blasphemum est.

Absolutè impossibile.

Falsitas.

Contradictio itaq; divinæ potentiæ non subjicitur. Quid autem illa contradictio sit, rectè intelligatur: quando nimirum Ens simpliciter non-Enti opponitur, hoc est, uti diximus, quando in eodem implicatur & esse & non esse simul: quod quando non fit, nulla contradictio committitur: Crassissimus itaq; error illorum est, qui contradictoria esse statuunt: Corpus Christi est locale sive in vno loco: & corpus Christi est omnipræsens. Quandoquidem hîc non opponitur Ens non-Enti: sed Ens Enti subordinatur. Nam in vno loco esse præsens naturaliter, & omnipræsens esse vnionis gratiâ; non habent se ut Ens & non-

Contradictio Deo non subjicitur.

Corporis Christi præsentia & omnipræsentia.

Ens; sed ut subordinata. Falsum insuper est, quod ajunt: Deum universâ & absolutâ suâ omnipotentiâ efficere non posse, ut vnum corpus sit vel in multis, vel in omnibus locis simul: Cum negari non poßit, quòd quemadmodum præsentia Ens est: ita etiam omnipræsentia vel præsentia Vniversalis Ens est. Deinde præsentia particularis non opponitur Vniversali; cum Deus & particulariter & vniversaliter præsens sit. Si itaq; omne Ens ratione omnipotentiæ divinæ sit poßibile; utiq; Deus poterit omnipotentiâ suâ facere, ut id, quod tantùm præsens naturâ est, sit omnipræsens singulari gratiâ & efficaciâ. Potest itaq; Deus omne, quod rationem factibilitatis, *uti loquuntur*, habet, *hoc est, quod omnem contradictionem & impotentiam excludit. Ex quo fundamento simul responderi facillimè potest illis, qui Deum omnipotentem negant, quòd non poßit injustitiam, vel ullum genus peccati. Quandoquidem qui Deum peccare posse asseverat, Deum non omnipotentem, sed impotentem asserit, quippe qui suam bonitatem suumq; Esse conservare non poßit, atq; adeo nõ omnia poßibilia poßit, quod contra absolutam hanc omnipotentiam manifestißimè pugnat. Absurdißimos de hâc potentiâ Dei habuerunt Errores* Plinius & Plutarchus. *Plinius* lib. 2. c. 7. *ait:* Imperfectæ in homine naturæ solatia propria, ne Deum quidem posse omnia. Nam neq; sibi mortem potest consciscere, si velit, quod homini dedit optimum in tantis vitæ pænis, nec mortales æternitate donare, aut revocare defunctos, nec facere, ut qui vixit non vixerit, qui honores gessit nõ gesserit, nullumq;

Corporis omnipræsentia an poßibilis?

Deus omnia potest.

Error Plinij circa omnipotentiam Dei.

nullumq; habet in præsentiâ jus nisi oblivionis. *Plutarchus in hæc verba loquitur*: Nugæ Poëtarum valeant vna cum Callimacho, cujus hoc est: esse DEUM si credis, & hoc te scire necesse est, nil non hunc etiam posse DEUM facere. Non enim potest DEUS omnia facere: aut faciat, si DEUS est, nivem nigram, ignem frigidum, rectum eum, qui sedet, vel contra lib. 1. de plac. c. 7. *In Plinij verbis tria sunt maxima pessimaq; absurda. Primum impotentiæ arguit Deũ, quod potentiæ passivæ non sit capax, nempè quod sibi mortem non posit consciscere, si vel maximè velit, Quod verò non impotentiæ, sed summæ perfectionis est argumentum, uti patet ex præcedentibus. Secundum absurdum est, quod statuit optimum datum esse homini, sibi ipsi mortem consciscere posse in maximis vitæ pœnis. Quod plane contra rectam rationem pugnat, ut ex Ethicis & Politicis disputationibus est manifestum. Tertium absurdum est, quod dicit Deum non posse mortales donare immortalitate aut revocare defunctos. Putat enim Plinius hæc contradictionem implicare: sed fallitur. Philosophus quidem* lib. 7. de generat. & corrupt. text. 70. item Averroes in illum textum *negant idem numero individuum redire posse: Verùm loquuntur de potentiâ naturali, quæ cum motu & tempore connectitur. Atqui Deum sine motu & tempore idem, quod interijt, reducere posse nulla impedit impossibilitas: Aut statuas Deum ad caussas naturales esse allegatum. Quartum absurdum commune est Plutarcho cum Plinio: quando omnipotentem negant Deum, quod non posit contra-*

Error Plutarchi circa eandem.

Refutatio Plinij & Plutarchi.

1.

2.

3.

De resurrectione carnis.

4.

contradictoria. Quid autem de hoc sit statuendum ex præcedentibus est manifestum. Aristoteles etiam lib. 6.Ethicor.c.2. *Agathonis versus approbat:*

Μόνȣ γὸ ἀυ]ȣ̃ καὶ θεὸς ςερίσκε]αι,
Αγένητα ποιεῖν ἅσσ' ἂν ᾖ πεπραγμένα.

Hoc namq; duntaxat negatum etiam DEO est,
Quæ facta sunt, infecta posse reddere.

Et Cicero ait: non potest idem dies, qui semel fuit, iterum esse. *Imo ipse Hieronymus*: audacter, *inquit*, loquar, cum omnia possit DEUS, suscitare non potest virginem post ruinam. Epist. ad Eust. *Estnè propterea impotens Deus? Absit. Eleganter enim docuit Thomas* 1.par.q.25.a.2. rectius & verius dici: contradictoria non posse fieri à Deo, quàm Deum non posse ea facere: cum caussa, ut fieri non possint, non sit à parte Dei; sed à parte impossibilium, quorum natura repugnat simul fieri. *Imo ipse Averroës* 8. Phys. Com.4.*inquit*: agens non posse agere aliquod impossibile, non est diminutio, nempe in potentiâ agentis: sed dicere ipsum facere aliquod impossibile, & posse facere, est deceptio. Potentiam porrò ordinatam dicunt potentiam divinam ad aliquod attributum determinatum, nimirum vel ad justitiam vel misericordiam, vel bonitatem vel sapientiam &c. *Illud enim propriè efficit ordinariam voluntatem, non tantùm caussis secundis alligari, ut volunt* Connimbr. 2.Phys.c.7. q.16. *Hâc potentiâ Deus cum caussis secundis concurrit, diciturq; aliquid non posse, quod absolutæ*

Causa in re impossibili, non in Deo est, quando Deus quædam non posse dicitur.

Potentia Dei ordinata.

solutæ potentiæ tribuendum est. Verbi gratiâ, Deus potuisset absolutâ suâ omnipotentiâ homines lapsos recipere in gratiam, & servare sine satisfactione & λύτρῳ: propter justiciam verò non potuit: Sic Deus peccatorem agentem pœnitentiam absolutâ suâ potentiâ posset abjicere & perdere: at consideratâ suâ misericordiâ & clementiâ, hoc non potest. Verùm hæc & similia ad Theologos remittenda sunt. Atq; hæc de potentiâ infinitâ sive divinâ.

Potentiæ finitæ divisio. Potentia finita dividitur in ἄλογον irrationalem, hoc est, naturalem, & λόγον ἔχουσαν rationalem. lib. θ. Met. c.2. Potentiæ, *quæ μετὰ λόγου sunt* πᾶσαι τῶν ἐναντίων αἱ αὐταί. αἱ δ' ἄλογοι, μία ἑνός: Quæ cum ratione, omnes eædem contrariorum sunt: irrationalis verò una unius: Arist. ibid. Potētiæ *itaq;* rationales sunt,

Potentiæ rationales. quæ se habent indifferenter ad vtramq; contradictionis partem, *nempè ad habitum & privationem, positisq; omnibus ad agendum requisitis, etiamnum actionem suspendere possunt.* Requisita ad

Requisita actionis sex. agendum *potissimùm sex numerantur: Sufficiens virtus in agente: præparata vis patiendi in patiente: ejusdemq; propinquitas: medij expedita constitutio: absentia omnis resistentis, quod vel æqualem vel majorem potestatem in resistendo sive reagendo, quàm caussa in agendo habet: ut passum nondum sit in Termino, sive ut careat termino; cum omnis actio fiat in contraria: tandem ut omnis prævia dispositio præcesserit. Dari autem potentiam liberā, & quidem in nobis*

Liberam in nobis

adeo ut poßimus & agere & non agere, & ita quidem poßimus, ut neq; vi superiore, nisi Solo Deo cogi queamus, ipsißimi sensus satis superq; testatū faciunt: Et omninò firmißima censenda est argumentatio Aristotelis lib.3.Eth.c.7.ubi contra Platonē colligit: si in nostro non esset arbitrio & potestate civiliter peccare, & non peccare, frustra leges ferrentur, imò magistratus injuriam faceret ijs, quos ob delicta coherceret. Meritò igitur Ludovicus Vives in 5.lib.de civit. DEI August. Philosophos, libertatē in caussis inferioribus negantes, quòd contra rectā rationē ipsamq; experientiā rationes excogitare laboraverint, deridet. Datur itaq; libertas agendi.

dari actionem.

1. Quæstio, de sede libertatis agendi.

Quæritur nunc in quonam ista consistat. 1. Putant quidā, illā esse & consistere in efficiendis contrarijs. At fallunt & falluntur. Tolleretur enim libertas in Deo, negareturq; liberrimus, quippe qui nunquā potest operari malū: neq; etiam humana volūtas esset libera, si in malū ferri nesciret. In quo igitur? Breviter exponā, & quidē verbis ipsius Philosophi: Nēpe in habitu & privatione, sive in volendo & nō volendo, in agendo & non agendo libertas hæc sita est. Quæ cū primò Deo tribuuntur, quòd prima sit caussa, liberrimè agere dicitur: minus verò liberè voluntas creata propter subordinationē caussarū.

1. Opinio falsa.
2. Opinio verior.

2. Quæstio.

Quæritur an libertas hæc primò sit in intellectu an volūtate? In intellectu primò libertatē hanc residere statuimus. Voluntas enim bonū suū degustare vel dijudicare nequit: sed sēper intellectui subjicitur, à quo quæ vera judicata fuerint, ipsa sequitur, ut bona. Manifestum itaq; est libertatis radicē nō in voluntate, sed in intellectu esse.

Libertas appetitus.

De appetitu quid statuendū? In eo quoq; libertas quædā est. Defluit enim vestigiū quoddam rationis ad

appetitum

appetitum sensitivum, 1. Eth. c. 13. *cum quo etiam libertas ad illum descendit: ut etiam ex sequentibus intelligitur.* Videatur Suarez disp. Metaph. 19. Sonc. 10. Metaph. Naturales potentiæ ad unum sunt determinatæ: *sicut lapis tantùm descendit. Deinde positis omnibus ad agendum non possunt non agere, ut lapis non potest nō descendere. Sunt qui divisionem hanc* potentiæ in liberam & naturalem, *ad potentias quoq; divinas trahere volunt. Verùm ut cautè illud faciant, monendi sunt seriò. Quandoquidem omnes Dei actiones sunt liberrimæ; neq; ullo modo alligantur ad caussas secundas, nisi illâ ipsâ Dei libertate, hoc est, ex ordinatione voluntatis divinæ.* Porrò irrationalis pars itidem duplex est, nempe φυ]ικὸν μόϱιον, *quæ pars simpliciter & absolutè rationis expers est & una homini communis est cum stirpibus & plantis:* altera *dicitur nomine generali ὀϱεκ]ικὸν μόϱιον, quæ homini communis est cum brutis, eumq; impellit ad verè concupiscendum & appetendum. Qui persequendi, aversandiq; occurrentia bona impetus ita est comparatus, ut possit rationis imperium suscipere.*

Naturalis potentiæ terminus.

Irrationalis pars duplex est. 1. φυ]ικόν. 2. ὀϱεκτικόν.

Vnde colligitur τὸ λόγον ἔχον τῆς ψυχῆς μόϱιον duplex esse. Vnum suapte naturâ intelligens, alterum participatâ ratione. Pars animæ suâ naturâ intelligens *κυϱίως ἐν ἑαυ]ῷ λόγον ἔχȣσα sive διανοȣμένη dicitur, qualis est νȣ̃ς sive intellectus hominis.* Pars participatâ ratione intelligens *dicitur appetitus, qui iterum distingvitur in λογικὸν, appetitum intellectivum, qui*

Rationalis pars duplex est.

dicitur

dicitur βȣ́λησις *voluntas. Quodcunque enim intellectus sua* προαιρέσει, *quæ est* ἑκȣ́σιον προβεβȣλευμένον *judicat eligendum, id voluntas eligit.* Deinde *in* ἄλογον, *quæ ignobilissima facultas animæ est. Nam* ὄρεξις, *quæque non propriè* λόγον ἔχȣσα *dicitur, quippe in se ipsa rationem minimè possidens; tanquam illuminata aliunde, rerum discernit momenta, non aliter ac filium* τȣ̃ πατρὸς ἀκȣ́οντα, *dicimus intelligentem esse, non suo, sed patris consilio utentem.* Ὄρεξις *hæc geminæ actionis, nempè* τῆς φυγῆς, καὶ διώξεως *principium existit. Appetitus hujus* πρῶτον δεκτικὸν *est geminum: quandoquidem duabus differentibus animæ partibus inhæret,* τῷ θυμικῷ καὶ τῷ ἐπιθυμητικῷ; *idcirco & ipsa* ὄρεξις *duplex est,* θυμικὴ *scilicet, &* ἐπιθυμητικὴ, *quarum illa irascendo, hæc cupiendo persequitur, aut fugit objectum.*

Appetitus duplex λογικός. Ἄλογος.

Ὄρεξις duplex.

Potentia *porrò* naturalis *dicta fuit*, quæ ad unum tantùm determinata est, *sive, quod idem est, quæ alteram tantùm contradictionis partem respicit: neque enim ignis aut potest frigefacere, aut potest non calefacere. Rationales verò ad utrumque se habent contrariorum sive oppositorum, nempè respectu actus: sic intellectus potest intelligere, & potest non intelligere: item potest opposita considerare: concipit enim albedinem: concipit nigredinem, quæ opposita sunt. Ne autem homonymia vocabuli decipiamur, tenendum est;* Naturale *dici duobus modis. Primò dicitur illud, quod homini inest à principiis naturalibus: atque hoc modo generaliori omnes potentiæ, quæ in homine*

Naturale duobus dici modis.

1.

ſunt, naturales dici poſſunt, tam rationales, quàm naturales. 2. *Deinde* naturale *dicitur illud, quod modum naturæ communem ſequitur, qui eſt eſſe determinatum ad unum. Hoc modo quando vocabulum naturali ſumitur, potentia naturalis rectè opponitur rationali;* Atq; hæc breviter de potentia Activâ.

Theorema IX.

Potentia paſsiva eſt principium in re, quo quippiam poteſt pati ab altero, quatenus alterum.

Definitio potentiæ paſsivæ. *Definitio hæc Philoſophi eſt, qui* lib. Θ. Metaph. c. 1. *in hæc verba loquitur:* ἡ μὲν τοῦ παθεῖν δύναμις, ἡ ἐν αὐτῷ τῷ πάσχοντι ἀρχὴ μεταβολῆς παθητικῆς ὑπ' ἄλλου ἢ ἄλλο. Vide eundem lib. Δ. Met. c. 12. *Hujus potentiæ menſuram & normam eſſe* materiam primam *diximus in* **Materia prima.** *præcedentibus, nimirum quòd propter imperfectionem ſuam omni agendi facultate ſit deſtituta. Tribuimus* **Omnia, excepto Deo, conſtare potentiâ & actu.** *illam etiam intelligentijs. Nam licet quidem materiâ, propriè ita dictâ, careant: tamen Analogon materiæ illis competere nunquam negabitur. Omnis igitur res, ſive ſit corporea, ſive incorporea, comparatione nimirum factâ cum Deo, ex tali potentia & actu dicitur compoſita, excepto Solo Deo, qui puriſsimus & ſimpliciſsimus actus eſt. Rectè enim Scaliger* de ſubt. contr. Card. exerc. 359. ſect. 12. omnia, *inquit,* quæcunq; ſub DEO ſunt, eſſe compoſita, etiam materiam primam, Solum DEUM purum actum eſſe, ac verè ſimplicem. *Atque verum ho* eſt

esse manifestum est. Vnum statuimus simplicißimum: Ergo omnia, præter illud ipsum, sunt suo loco composita: Ergo & omnes formæ: Ergo materia prima: Ergo omnia accidentia. Omne compositum finitum est; nullum enim essentiam suam excedit: Atqui omne finitum habet aliquid, quod est in actu & finit sive determinat; & aliquid, quod est in potentiâ, & finitur & determinatur. Vide Scaliger. Exercit. 6. sect. 2. *Ergo in omni composito datur prius & posterius: Ergo omne, præter Deum, est ex actu & potentiâ.*

Potentia hæc passiva primo modo dividitur in eam, quæ est ad esse, & non esse: *quam* potentiam contradictionis *vulgo vocant, & in ijs tantùm reperitur rebus, quæ fieri & non fieri possunt, hoc est, in illis, quas contingentes vocabimus infra:* Deinde in aliam, quæ est ad vnam duntaxat contradictionis partem: *quæ non tantùm est in angelis, sed etiam in subjectis quibusvis respectu suarum propriarum paßionum; item in incorruptibilibus corporibus, utpote cælo, invenitur.* 1. Divisio potentiæ passivæ.

Potentia passiva secundo modo in φυσικὴν naturalem & πειθήνιον obedientialem *dividitur. Increata enim potentia paßiva non datur: quandoquidem illa in Deum nullo modo cadit, quippe cum Deus Opt. Max. sit summè perfectus, imò ipsa perfectitudo, in quâ nihil deficit, nihilq; imperfecti vel esse vel cogitari potest. Cum itaq; quicquid patitur, patiatur secundùm quod deficit & imperfectum est, quilibet intelligit, potentiam hanc Deo competere non posse.* 2. Divisio. Deus.

Potentia φυσικὴ est, quæ ab agente suo naturali Potentia naturalis.

turali in actum naturalem poteſt deduci naturaliter: *vel potentia naturalis eſt potentia innata & connaturalis ſubjecto, habetq; connaturalem inclinationem ad actum, quem per naturales cauſſas recipere poteſt.*

Potentia naturalis duplex.

Hæc iterum duplex eſt: aut enim potentia ſubſtantialis, aut accidentalis.

Subſtantialis.

Potentia naturalis paſſiva ſubſtantialis eſt, quæ reſpicit actum ſubſtantialem; talis potentia eſt in materiâ primâ reſpectu formæ ſubſtantialis. Talis potentia eſt in materiâ ſecundâ, in ovo, reſpectu pulli. Actus itaq; quo potentia hæc perficitur, ſubſtantia finitur.

Accidentalis.

Potentia naturalis paſſiva accidentalis eſt, quæ reſpicit accidens. Neceſſum enim eſt, ut omne Accidens, quod à cauſſâ naturali in ſubjecto naturali & habili producitur, habeat potentiam ſuam in ſubjecto illo habili, aliàs naturaliter nunquam produceretur.

Potentia eſt vel remota vel propinqua.

Vtraq; potentia ſubdividitur in remotam & propinquam, *quas exemplis declarabimus.* ψυχὴ *definitur* ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματος φυσικοῦ ὀργανικοῦ ζωὴν ἔχοντος δυνάμει. Ariſtoteles lib. 2. de animâ c. 1. *Hic* σῶμα φυσικὸν ὀργανικὸν *ſe habet ad ſuam animam, ut potentia ad ſuum actum. Illud enim rationem materiæ, anima verò rationem formæ habet.* ἔστι δὲ ἡ μὲν ὕλη δύναμις: τὸ δὲ εἶδος ἐντελέχεια, *ut ibidem loquitur Philoſophus: in potentiâ remota eſt paries ad albedinem, antequam dealbatur. In ſpecie ſubſtantialis potentia paſſiva remota rerum generabilium & corruptibilium ea eſt, quæ ſibi conjunctam habet Vniverſalem*

verſalem

versalem negationem omnium formarum, per quam materia æquè receptiva est formæ, atq; oppositæ privationis. Propinqua verò ea est, quæ sibi habet consociatam privationem, quia semper cohæret præcedenti formæ, cum quâ disponit subjectum ad formam futuram recipiendam. Potentia *porro* obedientialis est, quæ non à principio naturali naturaliter deducitur in suum actum, sed ab aliquo externo præter suam naturam. *Vel potentia obedientialis est, quâ res superioris caussæ ductum præter vel etiam contra naturam suam sequitur. Nihil enim talis potentia in re ponit, præter solam remotionem repugnantiæ sufficientem.* Est duplex hæc potentia, vel subjicitur virtuti DEI, vel potentiæ activæ artificis, hoc est, arti.

Potentia obedientialis.

Duplex est.

Potentia obedientialis potentiæ divinæ subjici *dicitur, quatenus nimirum res omnes natæ sunt obedire actioni divinæ in fieri, uti loquuntur. Et talis potentia est in omni factibili, sive sit privativũ, sive adhuc nihil purum & negativum. Non enim absurdum est factibilitatem ratione potentiæ divinæ ponere in nihilo negativo. Quandoquidem non dicitur illud nihil factibile vel potentiam habere obedientialem in se & per se, sed ratione actus, qui poni per potentiam divinam potest ibi, ubi nihil est. Atq; hoc modo omnia in principio ex nihilo virtute divinâ producta sunt* Gen. 1. *& adhuc hodiè* Deo *subjecta esse, ejusq; nutui obtemperare dicuntur adeo, ut vel ex lapidibus filios Abrahæ, si velit, possit excitare.* 1.

Deo omnia subjecta.

Potentia *passiva* obedientialis arti subjecta dicitur, quatenus quædam res natæ sunt 2.

obedire operationi artificis, ut artificialis quædam forma in illis figuretur & formetur. *Neq; hæc potentia naturalis dici potest: nullum enim in re principium est naturale ejus operis, quod artificio hominis ex illo fit. Hoc itaq; respectû possibilis res dicenda est potentiâ obedientiali.*

Discrimen duplicis illius obedientialis potentiæ. *Vt autem discrimen potentiæ obedientialis, quâ res actioni divinæ subjicitur; & illius, quâ arti, intelligatur, exempla hæc tenenda sunt. Ex aquâ potentiâ obedientiali eâ, quæ Deum respicit, potest fieri vinum; nullum verò ejus rei in aquâ est principium naturale: in eâdem aquâ ea est potentia, ut ex illâ ope humanâ poßit fieri Cerevisia, neq; illa potentia naturalis est. Quemadmodum enim nunquam compertum est naturam mutasse aquam in vinum, ita nunquam natura sine arte ex aquâ Cerevisiam fecit. Ita ex ferro potentiâ obedientiali, ad Deum relatâ, fieri potest capra vel vitulus; potentiâ obedientiali ad artem relatâ, ex eodem fieri potest horologium: Id autem non naturaliter. Nunquam enim natura ex ferro vel capram vel vitulum vel horologium extruxit.*

Quæstio. Resp. *Quæritur ultimò: an verum sit, quòd dicunt Metaphysici:* omni passivæ potentiæ respondere activam. *Non de omni, sed de solâ, & quidem omni potentiâ naturali id verum est.* DEUS enim & natura nihil faciunt frustra. lib. 1. de cælo. t. 32. *Frustra autem produxisset natura paßivam, nisi in ipsâ universitate simul extaret alia potentia activa, quæ illam posset perficere. Atq; de hâc quoq; verum est, quòd nulla potentia sit frustra: quod tamen etiam potißimùm de innatâ accipiendum est.*

Potentia innata & elicita. *Elicita enim, quæ*

quæ per præcedentem cognitionem exprimitur, sæpius frustratur, ut experimur in inordinario, imo etiam in ordinario appetitu, qui non rarò in impoßibilia fertur. Atq; hæc de potentia; sequitur Actus.

Theorema X.

Actus est, qui dirigitur ad potentiam, eamq; perficit.

Aristoteles lib. 9. Metaph. t.11. *actum semper vocat ἐνέργειαν: verùm* text.1.*illum exprimit ἐντελέχειαν, quam vocem ab Aristotele primùm excogitatam scribit Porphyrius* in brevi explic. Categ. *Habemus quidem vocabulum ἐνδελεχείας apud Platonem: verùm idem hoc non est cum illo, uti opinatur Beroal.* in Comm. Tusc.qq. *Nō enim ἐντελέχεια perpetuam significat motionem,* ut statuunt Cic. lib.1.Tusc.Plotin.En.4.lib.2.Angel. Polit. in Miscell.C.1.Melanth.in prim.lib.de An. *Sed perfectionem quamlibet*: videatur Scaliger exerc. 307. f.39. Budæus 1. de Asse. Monlor. q. de ἐντελ. Cælius Rhodig.2.Antiquit.c.22.Plut.2. de an. Nomina actus. ἐντελέχεια.

Cum verò simplicium primorum non sit definitio, eò quòd omnis definitio habeat partes, quæ sunt partes essentiales definiti; Et Actus *sit unum de primis simplicibus, quia est transcendens:* Ergo *non est ipsius definitio. Ex inductione itaq; & proportione potius, quàm ex definitione, quid actus sit, intelligitur. Quicquid enim se habet ad aliud, sicut vigilans se habet ad dormientem, ædificans ad ædificativum: videns ad habentem* Actus non esse definitionem.

bentem oculos clausos: factum ex materia ad materiam: & generaliter elaboratum, ad inelaboratum; id habet se ut actus ad potentiam Arist. lib. 9. Metaph. 6. *In omnibus autem his inductis vnum est perfectio ac finis alterius: quicquid igitur se habet respectu alterius, ut perfectio, finis, & complementum; id dicitur Actus respectu alterius. Hinc talem adduximus descriptionem:*

Descriptio actus. Actus est, qui dirigitur ad potentiam, eamq; perficit. *Ex præmissis enim intelligitur, omnem actum esse finem & perfectionem suæ potentiæ.* Scaliger. exercit. 307. sect. 16. *Ergo omne illud, quod est extra suas caussas, hoc est, quod non amplius caussam, à qua futurum est,* Scaliger. exer. 17. *sed quod existentiam suam perfectionemq; habet, actu esse dicitur. Rebus enim, quæ adhuc sunt intra primordia suarum caussarum, & nondum sunt vel existunt, actus tribui non potest; & licet quidem interdum tribui posse videatur, ut Rosa dicitur esse intelligibilis & quidem actu intelligibilis hyeme, quando suum esse adhuc habet in suâ plantâ & nondum existit: tamen is actus talis est, qualis existentia, quæ cum non nisi mentalis sit, actus quoq; aliud nihil erit, quàm mentis quædam consideratio.* (Actus mentalis.) *Extenditur itaq; vocabulum hoc, actus, ad omnia illa, & quidem tantùm, quæ existentiam habent. Ergo & Deus Optimus Maximus actus est? Est actus & quidem purißimus & simplicißimus, sine omni omninò potentiâ paßivâ, ut ex præcedentibus est manifestum. Est etiam omnium primus actus; quandoquidem omnibus reli-* (Deus actus purissimus & primus.)

quis

quis caussam præbet. Aliàs hic Dei actus, prout actus est, ad nihil refertur; sed suus Solius est & ipse sibi & hoc quod est, & hoc omne quod sunt omnia: quod aliàs de potentia Dei dicit Scaliger Exercit. 299. sect. 3. in fin.

Theorema IX.

Actus alius est primus, alius secundus.

Actus dividitur in primum & secundum. *Cum enim eadem oppositorum sit ratio, sicut duplicem fecit Aristoteles potentiam passivam & activam: ita vtriq; suum opponit actum; nimirum potentiæ passivæ ipsam forma: activæ operationem, quam* lib. 9. Metaph. text. 11. *motum appellitat.* Formam *vulgus nuncupat actum primum:* operationem *secundum. Alias distinctio hæc æquivoca est. Nam* actum primum *rectè dicimus Deum, quippe cui Soli competit esse primum Ens, esse primum actum. Atq; hoc modo, quando actus primus accipitur, omnis res creata, cui actus attribuitur, actus secundus est. Deinde accipi potest de successione actuum, ut is dicatur actus primus, qui præcedat, qui sequatur, secundus: atq; tum non tantùm erit primus & secundus; verùm & tertius, quartus, imò & plures actus. Deniq; accipitur ita, ut omnis forma dicatur actus. Vt autem res, qualiscunq; etiam sit, se habet ad esse: ita quoq; se habet ad operari: & sicut est principium essendi; ita & operandi est. Ergo si forma dicenda actus, & operatio actus erit; quippe quæ à formâ est & emanat: materia enim, quatenus materia, non operatur, imò propriißimè lo-*

Actus divisio.

1.

2.

3.

me loquendo non existit, multò minus operabitur: quòd igitur existat, & quòd operetur, à formâ habet. Forma itaq; actus primus est: operatio formæ, actus secundus: videatur Arist. lib. 9. c. 3. *atq; hæc acceptio, ut patet, est propria hujus loci.*

Theorema XII.

Actus primus est cujusq; rei esse & essentia, unde aliqua operatio prodit: actus secundus est ipsa operatio.

Actus primus. *Ratio manifesta est ex jam dictis: est enim actus primus ipsa forma; Vt anima rationalis, vnde ratiocinatio: & scientia, vnde contemplatio.* Videatur Aristoteles lib. 9. Metaph. c. 6. & lib. 2. de animâ cont. 5. *ubi definitionem animæ investigaturus, invenit eam esse actum, illumq; dupliciter dici ait, nimirum vt alius sit sicuti scientia, & alius sicuti speculatio. Dicitur itaq; actus primus, quia est principium &* Cur primus dicatur. *caussa secundi: Secundus, quia à primo dependet. Vterq; verò est finis & complementum illius, cujus est a-* Cur secundus. *ctus; sed modo diverso. Actus primus enim, si est forma* Conveniéntia & differentia actus. 1. & 2. *substantialis comparata ad actum, est finis quo; sed comparata ad materiam, est finis cujus gratia. Materia enim est gratia formæ, & est & existit mediante forma. Sin verò est forma accidentalis, est tantùm fi-* Finis duplex. *nis quo, & non finis cujus gratiâ. Nam accidens est propter substantiam, & non contra. Actus verò secundus tantùm est finis cujus gratiâ. Vnumquodq; enim* Actus tertius. *est propter suam operationem. Præter duos hosce actus Scotus facit mentionem tertij, nempe* actus en-

titativi, *oppositi potentiæ objectivæ. Inquis, errasse Scotum in potentiâ objectivâ? Erravit quidem:* Actum *tamen* Entitativum *nemo negabit. Nam quemadmodum potentia objectiva est non repugnantia ad existendum: ita quicquid jam existit, eo ipso quia existit, dicitur habere actum* Entitativum, *sive essentiam à formâ habeat, sive ex suâ* Entitate, *ut materia prima. Est igitur* actus Entitativus *nihil aliud, quàm vera rei positio extra nihil; ut eum describit Vicomercatus.*1.de principijs c.12. *Hanc igitur positionem si non haberet materia prima, esse non posset subjectum transmutationis & contrariorum principiorum, ut rectè concludit Cæsalpinus* l.4.quæst.2. Actus Entitativus.

Theorema XIII.

Actus primus alius est purus, alius impurus. Actus purus est forma, prout forma est, quæ nihil aliud mixtum habet materiæ. Actus impurus est, qui annexam habet materiam.

Actus porro dividitur in purum & impurum. *In puro actu, qui simplex forma est, actus essentiæ & existentiæ non differunt, quod tamen proprijssime verum est de actu purissimo, qui omnem potentiam excludit, qualis actus dicitur esse Deus Optimus Max. In actu impuro differunt actus essentiæ & existentiæ.* Actus essentiæ est talis actus, qui facit, ut essentia rei constet, quæ definitione exprimitur Actus primi divisio. Actus purus. Actus impurus. Actus essendi.

mitur & exponitur. *Cum itaq; nihil definiatur quàm species, definitioq; communis sit uni & toti speciei; actus quoq; essentiæ toti speciei communis erit. Actus verò existentiæ est quidem eadem forma, sed considerata prout est in materiâ propriâ: vel actus existendi est affectus formæ ultimæ, sive insequens formam specificam: vel, ut illam definit Thomas* 1. p.q.3. & 4. *est ultima actualitas formæ. Vt ita actus existentiæ sit complementum actus essentiæ: verbi gratiâ, actus essentiæ in homine est ipsum rationale esse, qui actus in suâ specie, quam actuat, non quidem extra materiam est; nihilominus tamen simpliciter ab intellectu concipitur & abstrahitur. Hinc Plato actum hunc essentiæ communem habere dicitur cum Aristotele. Nam & Plato & Aristoteles & Socrates & Theophrastus, sunt rationales: atqui actum existentiæ non habet communem. Quia itaq; actus essentiæ & actus existentiæ in Deo non differunt, sequitur Deum purissimum actum esse: de reliquis spiritibus & intelligentijs adhuc dubitari potest, quippe qui, collati ad Deum, compositi sunt ex esse & essentiâ, adeoq; ex potentiâ & actu, ut infra pluribus declarabitur. Distinctum autem esse actum essentiæ ab actu existentiæ omninò statuimus. Nam quia Arist.* 2. post. text. 31. 32. 33. *esse ab essentiâ, & quæstionem an sit, à quæstione quid sit, distinguit; cogimur & nos hosce duos actus distinguere, non confundere: verùm in quo distinctio illa consistat dubitari forsitan posset: cum existentia sit ipsa in actu essentia: aliàs enim existentiæ esset existentia, & ita in infinitum. Qui reale hic discrimen introducunt, non leviter hallucinantur* cum Thoma

[Margin notes: Actus existendi. — Deus purissimus Actus. — Actus essendi & existendi distinctus est. — Dubium. — Solutio.]

Thomâ de Ent.& Eſſ.cap.5.1.p.q.3.a.4.2.Cōt. gent.c.52.4. Metaph.q.12. *Sive autem dicas diſcrimen id eſſe ex natura rei* cum Scot.3. d. 6. q.1. Henr.quodl.1.q.9.& 10. *Sive ſecundum rationem ratiocinatam cum* Hervæ 2.quodl.7.q.9.Anton. Andr.4.Metaph.q.3.Gabr.3. d.6. *non contradicimus. Notandum quoq; eſt diſcrimen inter* actum imperatum, elicitum & adæquatum. *Imperatus ille eſt, qui non producitur à voluntate, ſed ab aliis potentiis ordinantibus eum ad voluntatis imperium. Actus elicitus eſt immediatè productus, vel, ut loquuntur, cauſſatus à voluntate. Adæquatus actus eſt, qui attingit vel apprehendit objectum totaliter.* Scotus in 1.diſt.2.quæſt.3.

Actus imperatus, elicitus & adæquatus.

Theorema XIV.

Actus eſt prior potentiâ, definitione, perfectione, bonitate, & malitiâ, intelligentiâ & tempore.

Actum priorem eſſe potentiâ.

Coronidis loco quæſtionem hanc connectere voluimus ex lib.9.Metaph.c.8. & 9.

Definitione eſt prior actus potentiâ, *quia actus eſt de definitione potentiæ.* 1. Definitione.

Perfectione ſive ſubſtantiâ prior eſt: *quæcunq; enim ſunt poſteriora generatione, illa ſunt priora ſubſtantiâ & perfectione: At qui actus eſt generatione poſterior potentiâ. Ergo eſt prior perfectione. Major probatur, quia sēper fit proceſſus ex imperfecto ad perfectum, tanquā Terminū. Minor probatur, omne quod fit, tendit ad finem, quo accepto, res dicitur perfecta & con-* 2. Perfectione.

Finis. *& consummata. Finis autem est actus: respectu enim illius est potentia: ut animal habet potentiam visivam, ut videat. Finis verò est posterior generatione, sed prior perfectione. Tandem sempiterna sunt priora substantiâ & perfectione corruptibilibus: quia corruptibilia sunt in potentiâ contradictionis, nempe ad esse & non esse: sempiterna autem semper sunt in actu essendi, licet sint in potentiâ accidentali, ut cælum ad Vbi. Actus igitur prior est potentiâ substantiâ & perfectione.* Bonitate & malitiâ prior actus est potentiâ. *Nam illud, quod est simpliciter bonum aut malum, est prius bonitate & malitiâ eo, quod est secundùm quid bonum vel malum: Atqui actus in bonis est simpliciter bonus, & actus in malis est simpliciter malus: Potentia verò secundùm quid. Potentia enim non dicitur bona vel mala, nisi quando ordinatur ad actum bonum vel malum: per se verò est indifferens ad bonum & ad malum. Ergo.*

Bonitate & malitia.

4. Intelligentiâ. Intelligentiâ prior est actus potentiâ: *Illud enim prius est alio intelligentiâ, per quod & sub quo aliud & unumquodq; intelligitur: Sed potentia & unumquodq; intelligitur secundùm quod est in actu & per ordinem ad actum: Ergo actus est prior potentiâ intelligentiâ. Major est manifesta: minor probatur: Cum enim intellectus sit potentia paßiva, non reducitur ex se in actum; sed ab objecto intelligibili. quod est actu. Deinde illud prius alio dicitur intelligentiâ, circa quod consistit veritas aut falsitas magis, quàm circa aliud: Sed veritas & falsitas consistit circa actum, & non circa potentiam: Ergo: &c. Major est manifesta. Minor probatur: Veritas & falsitas*

Intellectus est potentia pafsiva.

Veritas circa actum versatur.

consistit

consistit circa compositionem & divisionem intellectus, quæ sunt actus & non potentia.

Tandem actus prior potentiâ dicitur tempore. *Vbi tenendum est, actum ad potentiam comparari duobus modis: Vno in eodem subjecto: alio in diversis. Quando actus ad potentiam comparatur in uno subjecto, non negatur potentia actu prior esse posse tempore: verbi gratiâ, gallina in potentiâ ovi, prior est tempore, quàm actu: aliter autem res se habet in diversis subjectis. Quocirca quando quæritur, an actus simpliciter sit prior potentiâ, non intelligitur in vno subjecto, hoc est; non quæritur, an hic actus sua potentiâ fuerit prior; an hæc gallina prior sit hoc ovo: Sed rejectâ consideratione illâ individuali, actum in genere cum potentiâ comparamus, & cum Aristotele simpliciter concludimus:* actum tempore priorem esse potentiâ, *& gallinam tempore priorem esse ovo, in quo datur potentiâ gallina: idq; ex hoc fundamento: nihil in potentiâ passivâ existens reducit seipsum in actum: sed reducitur in actum per actum, hoc est, per* Ens *actu: unumquodq; verò generabile cum sit prius in potentiâ passivâ materiæ, quàm sit in actu: sequitur, quòd non reducatur ad actum nisi per aliud actu* Ens *prius, quod est generans: & per consequens, simpliciter actus præcedit tempore potentiam. Atq; ex hoc colligitur, quòd necessariò ponenda sit aliqua prima & sempiterna caussa, quæ sit actus purus & simpliciter primus, nempe Deus noster benedictus in secula.*

5. Tempore.


Primæ caussæ probatio.

EXER-

EXERCITATIO QUARTA.

DE CAUSSIS ET CAUSSATIS.

Typus hujus Exercitationis.



Theorema I.

Caussa est principium, quod per se importat influxum ad esse caussati.

Caussa-

Caussarum, item necessarij & contingentis doctrina sequitur actus & potentiæ θεωρίαν, *ut ex exerc.3.theor.6.manifestum est*. De caussis *itaq; hoc loco nobis erit agendum: in sequenti exercitatione de* necessitate & contingentiâ. Ordinis ratio.

De caussis *quidem meritò agitur post doctrinam de actu & potentiâ. Nam ab actu & potentiâ tam activâ, quàm passivâ proveniunt res & oriuntur caussæ. In Metaphysicis verò de illis agitur, quatenus ipsa ratio caussæ, quam Caussalitatem vocant, aliquo Entis gradu participat. Est enim illa velut proprietas quædam Entis, quatenus Ens est: nullum enim Ens est, quod non aliquâ caussæ ratione participet: imò cum, uti dictum est, à potentiâ & actu oriantur caussæ; quemadmodum omne Ens est aut actu; aut potentiâ; ita omne Ens aut caussa aut caussatum sive effectum est. Ergo Esse caussam, esse caussatum, æquè inter generales affectiones Entis; in Metaphysicis explicandas, numerari debent, atq; actus & potentia. Deinde Metaphysica sapientia definita est in præcedentibus: Sapientis autem est primas reddere caussas, uti ex primâ sapientiæ conditione est manifestum*.lib.α.Mai.Metaph.c.1. & 2. *Inquis; ad accidentia demonstranda duo tantùm caussarum genera sufficere, nempè efficiēs & finem, uti copiosè demonstrat Zabarella* lib.2.de demonst.& idem innuit Ficinus in cap.2.En.6.lib.7. Plotin. *Sit ita: Verùm sciendum contra est: omnes caussas ad Accidentia collatas vel efficientis vel finis rationem posse subire. Quare omnium caussarum genera rectè hoc loco explicantur. Physicus quidem de caussis disputat, sed nimis contractè & imperfectè, quatenus*

Modus proprius Metaphysicæ considerandi caussas.

Objectio.

Solutio.

Physica caussarum consideratio.

nimirum ratio caussæ in Physicâ materiâ vel cum aliquo motu aut Physicâ mutatione exercetur: cum tamen caussæ ratio & natura, ἁπλῶς sumpta, longè universalior sit, & abstractior: Quocirca eam propriè ad Metaphysicam pertinere iterum arguitur.

1. Vox caussæ tripliciter sumitur. *Quod itaq; vocem* caussæ *spectat, variè ea sumitur. 1. In latißimâ significatione, ut cum principio reciprocetur: tali modo sumitur* lib. γ. Metaph. c. 2. lib. δ. eor. c. 1. & lib. λ. eor. c. 2. *ubi privationem vocat caussam, quam* lib. 1. περὶ ἀκρ: *inter principia rei naturalis numerat.*

2. *2. In strictißimâ significatione, ut cum efficiente convertatur. Hac significatione vtitur Augustinus* lib. 83. q. q. 28. *ubi omnem caussam efficientem asseverat.* Et *Plato* in Hippiâ majore *efficientem & caussam nihil differre ait.*

3. *3. Vltimò in mediâ significatione usurpatur, ut reciprocetur cum quatuor caussarum generibus, in sequentibus definiendis; & paßim sic usurpatur apud Philosophum.*

Definitiones caussæ variorum. 1. Plutarchi. *Definitionem quod spectat; non vnam sed varias reperies apud varios autores. Aliter enim definitur à Plutarcho* lib. 1. de placit. Philosoph. c. 11. *nempe caussa est, per quam aliquid contingit.* 2. Avicennæ. *Aliter ab Avicennâ* in suâ Metaphys. tract. 6. C. 1. *caussa est id, quod tribuit esse rei.* 3. Boëtij & Thomæ. *A Boëtio* in Topicis *à Thomâ alijsq; Peripateticis sæpius usurpatur hæc definitio: Caussa est id, ad quod aliud sequitur.* 4. Galeni. *Ex Galeno* de sympt. diff. *ita caussam definiunt, quod sit, quæ ex suâ naturâ ei, quod fit, partem aliquam generationis confert.*

Ex omnibus autem in theoremate positam retinemus,

mus, quæ ex Scholasticorum decretis est desumta. Aristoteles enim ubi de caussis agit, utpote lib. 1. & 2. post. lib. 2. Phys. c. 3. lib. α. major. Metaph. à cap. 3. usq; ad cap. 9. lib. δ. eor. c. 2. *nusquam generalem definitionem caussæ tradidit. Definitur autem per* principium, *tanquam per genus: nam omnis caussa principium est, ut docet Philosophus* lib. δ. Metaph. c. 1. *Vbi postquam varios principij modos enumeravit, tandem in fine ita concludit,* omnes caussæ principia sunt: sed tamen non omnia principia sunt caussæ. *Nam principium etiam de eo dicitur, quod non influxum importat in aliud. Item non tantum Entibus realibus, sed etiam rationis convenit: quod de caussa nunquam dicetur. Privatio enim, teste Aristotele* lib. 1. *περὶ ἀρχ. principium generationis est, non verò caussa: sic aurora principium diei non caussa. Sic à Scholasticis pater dicitur principium & fons Trinitatis, sed non caussa: principium filij, sed non caussa.* Vide Thomam 1. parte q. 33. art. 1. *Quod etiam latius pateat principium, quàm caussa, ex ejus ratione manifestum est, quæ in duobus consistit. 1. Vt sit quoddam prius. 2. Vt referatur ad posterius: quas conditiones in omnibus principij definitionibus notare possumus: ut quando principium dicitur, à quo cognitio nostra ortum ducit: à quo quodcunq; acturi initium facimus: vnde aliquid aut est, aut fit, aut cognoscitur. &c. Caussæ verò significatio strictior est, & magis determinata. Non enim præcedere tantùm suum effectum debet; sed eundem etiam producere: quo potissimùm à principio dissidet, à quo satis est, si posterius tantùm dependeat.* Principium *itaq; ut in de-*

5. Scholasticorum vera.

Principium & caussa.

Principij ratio duplex.

Caussæ significatio.

finitione caussæ accipitur, est id, à quo aliquid procedit quocunq; modo. *Quam descriptionem ex* δ. Metaph. c. 11. *desumsit Thomas, eamq; tradit* 1. part. quæst. 33. art. 1. *ubi Verbum* procedit *non in strictâ significatione, nimirum pro verâ origine: Sed pro quâcunq; consecutione & connexione accipiendum est, quod denotat particula annexa* quocunq; modo. *Aliàs scimus principij vocem esse æquivocam, cujus varias significationes lege apud Damascenum.* Dialog. cont. Manich. in initio, *& apud Philosophum* lib. δ. Metaph. c. 1. lib. 5. de generat. animal. c. 7. lib. Poëticæ c. 6. lib. 1. Physf. c. 5. *Sequitur in definitione,* quod per se importat influxum ad esse caussati: *quo excluditur privatio, imo omnes caussæ per accidens & quæ principibus caussis, tanquam administræ inserviunt. Illud autem,* importare influxum, *non strictè, ut alias speciatim attribui solet caussæ efficienti, sed generalius, prout æquivalet verbo* dandi & communicandi τὸ εἶναι alteri, *sumitur*: Suarez. disp. Metaph. 12. sect. 2. d. 4. *Exprimit enim ipsam rationem formalem, quâ caussa in actu formaliter & proximè constituitur in esse caussæ, quæq; caussatio sive caussalitas nihil aliud est, quàm influxus ipse, sive concursus, quo vnaquæq; caussa in suo genere influit esse in effectum, ut eam ibidem Suarez definit* dist. 12. *Quæ* Caussalit*as non est relatio caussæ ad effectum, vt putavit Sonc.* 5. Metaph. q. 4. *Relatio enim nullius est activitatis: & disponere caussam ad agendum, conferreq; esse effectui, quod à caussalitate provenit, est aliquid effectu prius. Quocirca cum effectus relatio effectu sit posterior, ea-*

Procedere quomodo hic accipiatur.

Vox principij æquivoca.

Importare influxum latè hic sumi.

Caussalitas quid:

demq; sit simul naturâ cum relatione caussæ, omninò sequitur, caussæ relationem esse aliquid posterius ipso influxu, sive quod idem est caussalitate. Atq; hinc sumitur ratio cur dicatur Caussa naturâ prior esse effectu. Estq; caussalitas hæc duplex: Activa & passiva. Caussalitas activa, *nimirum per quam res caussat, est proximum fundamentum relationis caussæ ad effectum.* Caussalitas passiva, *hoc est, per quam res caussatur, proximum est fundamentum relationis effecti ad caussam. Quocirca ille influxus & illa caussalitas erit aliquid medium inter Entitatem & relationem caussæ. Non enim idem est cum Entitate caussæ. Possumus enim rem, quæ Caussa dicitur, absolutè sine Caussalitate, apprehendere: Vt si quis naturam formæ secundùm se concipiat. Deinde potest etiam sine caussalitate illâ consistere, siquidem caussalitas rei sive Caussæ non inest, nisi quando actu ad effectum concurrit, & potest res illa, quæ caussa denominatur, in re manere sine hoc actuali influxu.*

Caussa naturâ prior est effectu.

Caussalitas duplex.

Caussarum alia est per accidens, alia per se. *Cum jam* caussarum per Accidens *facta sit mentio: tenendum est, quòd æquivocè caussa dividitur in caussam per se, & caussam per Accidens. Caussa per se modò definita est: vel specialius hunc in modum finiatur:* Caussa per se est, à quâ directè pendet effectus secundum illud proprium esse, quod habet, in quantum effectum est. *Vocatur hæc Caussa à Philosopho 2.* Phys. c.4.text.40. ὡρισμένον αἴτιον caussa determinata: *item* lib.β.Metaph.c.2. οἰκεῖον λεγόμενον.

Caussarum divisio.

Caussæ per se definitio.

Caussa per accidens.

Caussa per Accidens, *quæ à Philosopho* lib.δ.Metaph.c.2. lib.2. Phys.c.3.lib.8. eor. c.4. *vocatur* ὡς τὸ συμβεβηκὸς, *item* κατὰ τὸ συμβεβηκὸς, *item* παρὰ φύσιν, *impropriè caussa dicitur, quippe quæ nullâ necessitate, nulloq; ordine ad effectum producendum concurrit: ut lex per accidens iram operari dicitur, quòd incidat in eos, à quibus servari nequit: alias per se suamq; naturam ordinata est ad vitam; juxta illud Christi,* qui fecerit hæc, vivet in eis. *Vt igitur caussa per accidens impropriè caussa est, & per accidens Caussa, ita impropriè & per accidens Ens est.*

Describitur.

Rejicitur.

Quare sicut Ens per accidens supra rejecimus: ita etiam nunc caussas per accidens ablegamus, utpote quæ ad scientiam nihil conferunt. 1.post. text.35. Dicimus autem caussas per Accidens, propter quas non sequitur effectus. Aristoteles ibid. text. 34. *Si enim ambulante aliquo, inquit Philosophus, corruscavit, accidens est: non enim propterea, quòd ambulavit, corruscavit: sed dicimus hoc contingit, sive accidens est.* Caussa per accidens duplex est: aut ita dicitur ratione caussæ, aut ratione effectus. Arist. lib. δ. Metaph. c.2. lib.2. Phys.c.3.

Alia descriptio illius.

Caussa per accidens duplex.

1\. Ratione caussæ, *cum id, quod accidit caussæ per se agenti, fertur caussa effectus, ut cum album dicitur extruere domum, propterea quòd architectus sit albus:*

2\. Ratione effectus *caussa per accidens dicitur, quando aliquid caussa dicitur ejus, quod accidit effectui. Hæc adhuc subdividitur:* Vna *enim est, quæ tollit impedimentum veri effectus, ut qui motâ columnâ lapidem super impositum deturbat, per accidens dicitur movere lapidem, quia illius motus impedimentum removit.*

movit. Altera, *quæ præter effectũ destinatum, alium producit improvisum & rarum, hujusmodi sunt, quæ fortunæ & casui adscribuntur. Tales caussæ per accidens inveniuntur in omnibus caussarum generibus:* In materiâ, *quando forma non requirit talem materiam necessariò, cui inest; ut aurum est materia annuli per accidens: Cum annulus etiam poßit vel ex argento, vel ex ære, vel ex simili materiâ esse.* In formâ, *ut quando ille describit futuram amicam, quòd sit cæsia, sparso ore, opaco naso &c. Nam & sub aliâ formâ vivere posset amica.* In fine, *ut quando præter primariam intentionem, aliud quid contingit.* In efficiente *infinitæ penè caussarum per Accidens sunt varietates* Arist. 2. Phys. t. 50. 54. *quas tamen in rebus naturalibus ad duas differentias:* fortunam & casum *reduxit Philosophus.* 2. Phys. c. 4. 5. 6. *Accidunt enim ijs, quæ vel à naturâ, vel à voluntate humanâ fiunt. Nam ubi voluntas, quæ deliberat, effectum præstare non potest: sed evenit aliud præter consilium agentis ob externam quandam vim, id fortunâ evenire dicitur.* 2. Phys. text. 52. *ut sanitas fortuitò restituta dicitur, quam non medicus, sed actio quædam ægroti præter rationem suscepta, verbi gratiâ, potus aquæ frigidæ reddidit. Aliàs quoq; fortuna pro ipso eventu fortuito accipitur: qui si bonus est, dicitur* εὐτυχία *sive* εὐτύχημα*: si malus,* ἀτυχία *&* ἀτύχημα. *In naturâ verò si quid propter materiæ flexibilitatem fiat præter finem, casu ortum dicitur.* Arist. 2. Phys. text. 59. & 61. *Vt si vitrum ex sublimi delapsum, proptereà quòd in basi constiterit, incolume*

Caussæ per accidens inveniuntur.

1. In materia.

2. In forma.

3. In fine.

4. In efficiente.

Fortuna.

Casus.

servatur, casus est. Quæ à caussis hisce fiunt, rarissimè fiunt. Rarò enim piscatores tripodem aureum inveniunt. Caussæ autem per se, quia sunt determinatæ & perpetuæ, plerunq; eodem modo operantur, Aristoteles 2. Phys. text. 55. 56. 57. *Caussæ contra per accidens indeterminatæ & inordinatæ sunt, quocirca eas rectè dicit Philosophus* 2. Phys. text. 50. & 55. αἴτια ἀόριστα καὶ ἄπαυστα. *Sed prætеritis & remotis caussis per accidens, quæ tantùm ad id fuerunt cognoscendæ, ut distinguantur à caussis per se: ad harum genera progredimur.*

Caussæ per se eodem modo agunt.

Theorema II.

Caussarum genera numerantur quatuor: materia, forma, efficiens, finis. Posteriores duæ caussæ externæ, priores internæ dicuntur.

Plato, *quidem in Hippiâ major. uti jam dictum est: item Seneca* epist. 65. *ex Stoicorum sententiâ caussam non extendunt ultra efficientem: unde etiam Alcin.* de doct. Plat. c. 8. & 9. *studiosè cavet, ne materiam dicat caussam, licet eam principium appellitet. Imo ipse Philosophus* lib. 3. de animâ text. 17. *caussam pro solâ efficiente & contra materiam distinguere videtur. Verùm angustior hæc est caussæ significatio. Adæquatè pro quatuor istis enumeratis caussarum generibus accipitur, quem numerum habet & inculcat Aristoteles* lib. α. maj. Metaph. c. 3. text. 12. lib. δ. Metaph. c. 2. & lib. 2. περὶ ἀκρ. c. 3. & seqq.

Adæquata vocis caussæ significatio.

lib. 2.

lib. 2. post. cap. 11. text. 48. *Sed eum, veluti per se notum, nullibi demonstrat, nisi demonstrationem dicere voles eam, quam habet eodem* lib. περὶ ἀκρ. c. 2. *ubi ex quæstione* propter quid *quatuor caussarum genera esse hunc in modum colligit. Quot sunt genera quæstionum, quibus propter quid aliquid sit, quæritur, tot sunt genera caussarum. Quæstionum autem sunt quatuor genera: aut enim quærimus cujus gratiâ aliquid fit, & est* finis: *aut à quo, & est* efficiens: *aut ex quo, & est* materia: *aut per quod, & est* forma. *Ergo. &c. Simplicius* 2. Phys. supra text. 68. *hanc reddit rationem, quod efficitur, tantùm duas potest habere caussas internas: materiam ex quâ fit, & formam per quam fit hoc aliquid; neq; plures caussæ fingi possunt intra effectum. Extrinsecus verò effectus indiget efficiente: nihil enim fit à seipso; sed quicquid fit, fit ab alio. Efficiens verò naturale non agit temerè & inordinatè, sed determinatè ob certum aliquem finem, alias non constanter, non eodem modo ageret. Quare in effectione rerum naturalium omnes illæ quatuor caussæ cernuntur: nec opus est pluribus. Deinde ex actus & potentiæ divisionibus hic numerus optimè demonstrari potest. Quod res est, illud per actum est, qui actus forma finitur: forma enim est, per quam res est, atq; ita unam habemus caussam, quæ in compositum influit. Forma illa sive actus est vel purus, vel impurus: Impurus actus is est, qui determinat potentiam paßivam, eamq; actuat, quæ materia dicitur atq; est secundum caussarum genus. Porro potentia paßiva data est, quæ seipsam in actum deducere nequit, estq; ea vel naturalis vel obedientialis: requiritur itaq; externum ali-*

Simplicij demonstratio.

Alia caussarum quatuor demonstratio.

quod agens, unde tertium caussarum genus est, nempè efficiens. Illud autem agens & iste actus est vel naturalis, vel rationalis. Naturalis quia seipsum non intelligit, sequitur quòd ab intelligente aliquo ad certũ finem dirigatur, cum finis præcipuè sit in intelligente & ab intellectu pendeat. Vnde arguitur suprema quædam caussa, quæ omnia ad certum finem dirigat; neq; omnia, nempè naturalia, habere finem determinatum sui arbitrij, quasi à se regantur, sed dependentem à supremâ caußa intelligente. Finis. *Finis enim prius est in mente intelligentis, quàm in opere. Atq; hic finis quartum genus caussarum constituit.* Vide Albert. Magnum in lib. 2. Phys. tract. 2. c. 7. & 5. Metaph. c. 3. Thomam in opusculo 31. Avicennam in Metaph. tract. 6. c. 1.

Exemplaris caussa quid? Ideæ. *Quid autem statuendum de* exemplari caussâ, *quam Plato in* Timæo *ut distinctum caussarum genus adnumerat? Ideas quidem ipse Aristoteles* lib. 11. Metaph. text. 23. *in agentibus per intellectum facilè concedit: illas tamen particulare constituere genus Caussarum negat ibidem* text. 28. *ex eo, quòd agentia naturalia nullis utuntur ideis: Vnde nonnulli in agentibus per intellectum, illas referunt ad caussam efficientem, ut* Scot. 1. d. 2. q. 2. & d. 36. q. 1. Perer. lib. 8. c. 1. *quod enim Idea in mente est, id videtur in agentibus naturalibus esse ipsa forma, cui aßimilatur effectus.* Videatur etiam Plotinus En. 3. lib. 8. c. 1 & 2. Macrobius 7. Saturnal. c. 16. Thomas 1. part. quæst. 15. art. 1.

Formalis distinctio 4. caussarum. Caussarum *porrò hæc quatuor genera formaliter distingvuntur. Nam caussa, quâ caussa, & in actu posita,*

sita, per actualem influxũ in effectum formaliter constituitur: Atqui in distinctis illis generib9 sunt influxus distinctarũ rationum: Ergo, &c. Major ex definitione, ejusq; explicatione manifesta est. Minor probatur: influx9 enim, aut est intrinsecùs per internã compositionem, qualis est materiæ & formæ; aut est extrinsecus, qualis est caussæ efficientis & finalis. *Influxus internus subdividitur: nã influxus* materiæ, *est per modum potentiæ: influxus* formæ, *per modum actus: Sic etiam in externo diversitas est, influxus enim* efficientis *est per modũ realem; hoc est per actionẽ & mutationem realem.* Finalis *verò tantùm per intentionalem & metaphoricã. Quatenus enim bonus est, vim efficiẽdi effectum habere dicitur. Sunt itaq; omnes hæ caussalitates formaliter distinctæ. Materialiter verò & realiter ut distinctæ sint semper necessarium nõ est. Atq; manifestum est hoc in ordine ad diversos effectus.* Materialiter non semper distingui. *Potest enim hoc modo eadem res plures habere caussalitates rationum diversarum, verbi gratiâ,* forma *planè eadem, caussa finalis est respectu generationis & alterationis. Propterea enim generatio alteratioq; instituitur, ut forma acquiratur. Nam alteratio est propter generationem, & generatio propter formam: formalis est respectu materiæ & compositi, quod informat & actuat: est efficiens, quatenus agit in aliud: est caussa materialis suarum affectionum: ut anima rationalis quatenus subjectum est intellectus & voluntatis. Ratio hujus desumitur ex conditione actus & potentiæ. In omnis enim rei creatæ Entitate potest esse inclusus actus potentiæ admixtus: Ergo ad hanc potest referri & comparari per modum actus formalis, ad a-*

ad aliam per modum subjecti. Quia verò actus formalis dat esse rei: simul (nimirum quando jam rem formaliter constituit) esse solet principium agendi & operandi aliud, quòd omnis operatio sequatur esse rei: tandemq; quia ille actus est quoddam bonum, simul quoq; esse potest principium metaphoricæ mutationis. Possunt itaq; omnes rationes Caussalitatis convenire in unâ re respectu diversorum. Et licet quidem in omni re id non contingat: tamen id non adscribendum formali talium caussarum repugnantiæ, in ordine ad diversa. Provenit enim ex aliâ conditione, nempè ex perfectione vel ex imperfectione rei. Vt Deus quidem potest esse caussa efficiens & finalis; omnia *enim* propter seipsum agit, *inquit sapiens: sed non formalis, multò minus materialis; cum sit purus actus; & formalis caussa sit Ens imperfectum & incompletum, materia verò tantùm potentiâ. Neq; angeli sive intelligentiæ caussam formalem constituere possunt ob dictam rationem: sed rationem efficientis & finalis: imò & materiæ, quia non sunt simpliciter actus puri, habere possunt.* Forma substantialis *esse simul potest efficiens & finalis: sed non materialis, quia non est ENS potentiâ; respectu verò accidentium materialis fieri potest. Materialis caussa, licet propterea, quòd pura potentia sit, caussæ efficientis, formalisq; vices subire nequeat: tamen quia non adeò pura potentia est, quin aliquam actualitatem & Entitatem habeat, Caussalitas finalis ei competere potest. In ordine ad unum longè alia est ratio: quandoquidem ibi licet nonnullæ caussalitates concurrere poßint in eodem; nihilominus tamen quædam realiter sunt distinctæ.*

Caussalitatum convenientia in vna re diversimoda.

Deus qualis sit caussa.

Angeli.

Ordo ad unum.

Forma substantialis & materia *in ordine ad idem, realiter distinguuntur: habent enim conditiones formaliter oppositas, quales sunt esse in potentiâ & esse in actu formali. Idem censendum* de formâ accidentali, *quæ suam propriam Entitatem habet.* 2. Efficiens & forma *ratione ejusdem effecti in re eâdem conjungi non possunt. Efficiens enim producit formam in materiâ, adeoq; forma exercet caussalitatem in eo, in quo est. Efficiens verò respectu alterius formæ vel compositi. Habent itaq; habitudines repugnantes.* 3. Finis & forma, *quando instituitur comparatio ad idem suppositum, convenire quidem possunt in unâ re. Eadem namq; forma & finis materiæ est, & eandem informat. Forma enim ut informans est, est bonum & perfectio illius, quod informat, nempè materiæ. Ergo & hoc respectu finis. Quando verò instituitur comparatio ad compositum, quod ex unione formæ & materiæ constituitur,* forma & finis *in eodem, respectu ejusdem, concurrere nequeunt. Siquidem forma compositi finis non est, adeò ut compositum potius sit finis formæ: propter compositum enim forma est, tanquam propter suum finem. Si tandem conferantur forma & finis ratione actionis & generationis, in eodem esse & convenire possunt.* 4. In collatione finis & efficientis, *distinctio finis in finem οὗ, & finem ᾧ prænoscenda est.* Finis οὗ *dicitur cujus gratiâ aliquid fit; ut curationis finis, nempè cujus gratiâ instituitur curatio, est sanitas:* Finis ᾧ *est, in cujus gratiã & commodum instituitur actio: ut curationis finis ᾧ est homo, cui sanitas procuratur. Prior finis non potest esse idem cum efficiente: quia est effectus ejus: posterior*

1. Collationes caussarum.

2.

3.

4. Finis duplex οὗ & ᾧ.

sterior verò sæpius, & quidem optimè, cum efficiente idem numero esse potest: non enim adeò rarò contingit, ut efficiens operationem propter semetipsum instituat. Ideoq; Deus Opt. Max. caussa efficiens & finis omnium suorum operum esse dicitur. 5. Materia *quoq; finis rationem habere potest, nempe quando forma inducitur propter materiam conservandam, ut quando sanatur homo, ut conservetur.* 6. In collatione materialis caussæ cum efficiente *tenendum est discrimen inter caussam materialem substantiarum naturalium, & inter caussam materialem accidentium. Quod attinet ad caussam materialem substantiarum, dubium non est, illam à caussâ efficiente ratione ejusdem effecti realiter distinctam esse, cum sit pura potentia, adeoq; seipsam in actum producere, vel ex se formam educere, atq; ita compositum constituere nequeat. Caussa verò materialis accidentium cum efficiente conjungi potest. Hinc dici solet animam triplicem habere caussalitatem in sua accidentia, finalem, materialem & efficientem.*

5\. 6. Caussa materialis est vel substantiarum naturalium: vel accidentium.

Anima triplicem habet caussalitatem in sua acidentia.

Caussæ internæ.

Externæ.

Dicuntur tandem materia & forma *in theoremate* caussæ internæ *propterea, quòd in re genitâ sive effectâ, ut partes essentiales, maneant, eamq; constituant & conservent. Reliquæ duæ* efficiens & finis externæ *appellatæ sunt, quòd constitutionem rei non ingrediantur, sed extra illius essentiam maneant. Res enim effecta, efficiente caußâ remotâ: item sive finis sequatur, sive non: essentiam suam habere retinereq; potest. Atq; divisionem hanc Aristoteli non ignotam fuisse manifestum est ex* lib. δ. Metaph. 1. *ubi duplicia facit principia, interna & externa: Et alibi*

caussa-

caussarum alias inesse, alias verò extrinsecus movere docet.

Generalis caussarum Theoria hactenus: sequitur specialis.

Theorema III.

Materia est id, ex quo quippiam fit eo pacto, ut insit.

Definitio est Aristotelis lib. 2. Phys. c. 3. text. 28. & lib. δ. Metaph. c. 2. *ubi dicitur:* τὸ αἴτιον, ἐξ οὗ γίνεταί τι ἐνυπάρχοντος, *id est*, ex quo inexistente aliquid fit. *Ex quâ definitione intelligitur, materiæ caussalitatem, quæ ex potentiâ passivâ oritur, (Ipsa enim potentia non est materiæ caussalitas: Quippe quæ abstrahi potest & considerari sine caussalitate: quandoquidem interveniente absolutâ Dei potentiâ, materia potest aliquid esse, licet non sit pars compositi) in duobus consistere.* Vnum *est, ut ex ejus potentiâ educatur forma, & in illâ, ceu subjecto, recipiatur.* Alterum *est, ut insit in re genitâ, tanquam pars, & ita compositum constituat. Duplicem itaq; materia habet effectum:* Formam *&* Compositum. *Formæ caussa est in fieri, dum ex potentiâ educitur:* Compositi *in existendo. Quæ duo tamen vnâ actione fiunt, & ita subordinata sunt, ut materia exercendo caussalitatem suam erga formam, hoc est, recipiendo illam, fit simul materia & pars compositi. Ad duplicem hanc caussalitatem sive effectum materiæ, in suâ definitione respexit Philosophus:* Materia est ex quâ cum insit *(nempè in composito)* fit aliquid, *hoc est, educitur forma, atq; ita totum fit ex materiâ.*

Materiæ caussalitas in duobus consistit.

Quan-

Quanquam enim & ex efficiente res dicatur fieri, ut bos ex bove, homo ex homine: non tamen ita fit, ut efficiens sit pars, quæ in re genitâ maneat. Aristot. lib. 1. Phys. text. 80: *ita pater non manet in re genitâ, hoc est, in filio: sed materia, ex quâ, tanquam parte essentiali, filius constat, in ipso manet.*

Materia duplex. Materiam duplicem facimus: primam & secundam. Materia prima *est, quæ simpliciter est materia & nullo respectu compositum; estq; mensura secundæ.*

Materiam primam esse. *Hanc materiam qui negat, docti viri nomen nunquam tuebitur. Nam esse materiam extra controversiam est, & probat id Philosophus* 1. Phys. c. 7. & η Metaph. c. 1. text. 4.

Probatur. *In omnibus transmutationibus est aliquod transmutationis subjectum, quod est tanquam medium, distinctum ab utroq; extremo, & idem permanens. modò est sub hoc, modò sub illo extremo: Ergo in mutatione substantiali necesse est manere aliquid, quod abÿciat vnam formam, & suscipiat alteram, quod nos* materiam *appellamus. Quodlibet enim corpus naturale constat ex materiâ & formâ: si itaq; abÿciatur forma, remanebit materia. Antecedens patet; si enim nihil remanet, non est transmutatio; sed annihilatio: nihil enim est, quod mutatur.*

Mutari. *Illud namq; dicimus mutari, quod cum idem maneat, diversas formas suscipit, ut aqua eadem & distincta est à caliditate & frigiditate, harumq; dicitur subjectum. Præterea omnis transmutatio est actio: actio autem esse nequit sine agente, agens non sine patiente, cum sint relata. Ergo in omni transmutatione est necessarium, aliquod subjectum patiens dari: ac cum generatio non sit actio immanens in generan-*

nerante, oportet eam esse actionem transeuntem in aliquod subjectum. Quocirca sequi videtur, quòd in mutatione substantiali necesse sit, aliquod præsupponere subjectum patiens, quod non potest esse aliud, quàm materia; quia quicquid patitur, propter materiam patitur; materiæ enim per se competit ratio paßionis, & omnis forma ex se est ἀπαθής. Omnis forma ἀπαθής.

His manifestum esse puto, dari aliquam materiam substantialem. Esse verò aliquam primam, hoc modo liquet: Datur materia: Ergo etiam datur prima: Consequentia est manifesta: alias enim fieret processus in infinitum. Accipio enim Elementum quoddam, verbi gratiâ, aquam. Hoc componitur ex materiâ & formâ, quia est corpus naturale. Quare jam materiâ aquæ, in se considerata, vel est prima, vel secunda, hoc est, vel componitur ex aliâ materiâ & formâ, vel non: si prima, habeo quod volo: si secunda: Ergo componitur ex aliâ priore: De hâc ergo vicißim quæro; vel est prima vel secunda. Si secunda dicatur, nunquam pervenietur ad finem, quod planè absurdum. Ergo necesse est fateri tandem Elementi materiam esse materiam primam in se consideratam. Alia probatio materiæ primæ.

Et certe si propriè loqui velimus, nulla alia est materia, quàm prima: Secundæ enim materiæ vel sunt formæ imperfectiores respectu superiorum; vel ipsa composita: ut quando semen dicitur materia infantis, impropriè dicitur materia, quia potius est compositum quoddam ex materiâ & formâ. Semen enim generatur ex sangvine. Materia prima propriè materia est.

Illud autem, si expeditè loqui velimus, est materia, quod simpliciter distingvitur ab omni formâ substantiali, & cui nihil inest formæ propriè loquendo: & ex quâ omnia cor- Materia simpliciter quid.

pora Physica generantur. Quocirca si fatendum est, simplicia corpora constare ex materiâ & formâ, concedendum etiam erit materiam aliquam primam esse. Materia enim Elementi secunda esse nequit, si in se spectetur, ut materia: Cum ex nullâ aliâ sit genita; quod etiam suo calculo probat Averroës in paraph. expos. super 1. de gener. & corrupt. *quando affirmat Elementa habere eandem materiam sub diversis formis.* Materia hæc prima in purâ potẽtia est, *non quidem ita, ut sit tantùm Ens privativum, cujus tota essentia in potentiâ consistat, uti existimarunt Thomas.* 1. p. q. 66. art. 2. *Iavellus.* 7. Metaph. q. 5. *Cajetanus* de Ente & Essentiâ q. 8. & alij. *Rectè enim contra illos Scotus* 2. d. 12. *arguit, quod omne extra suas caussas & extra nihil existens, actu sit quodammodo; cùm à non esse ad esse prodierit. Et alij a*ctum Entitativum materiæ *inde probant, quòd sit actualiter existens & quòd ab Aristotele* 2. de anima c. 1. & alibi *vocetur substantia. Quocirca aliquis actus materiæ concedendus est, licet imbecillissimus, per quẽ negatur nihil esse; qui tamen si referatur ad formas, cogitetur esse in potentiâ purâ. Hæc enim sententia est Philosophi* lib. 1. Phys. text. 82. lib. 1. de gen. & corrupt. c. 3. lib. η'. Metaph. text. 8.

Materiæ primæ actus imbecillissimus.

Probatum jam est, materiam in purâ potentiâ esse: licet enim ostenderimus simul materiam participare aliquid actus: iste tamen actus essentialiter & intimè adhuc imperfectus est. Quæritur itaq; nunc, an potentia illa sit de prædicamento qualitatis? *Affirmat id Zabarella* lib. 1. de materiâ: *nos negativam sententiam veriorem esse statuimus. Nam si verum*

Quæstio de potentia materiæ.

vum est, ut est, quod Plotinus habet Ene. 1. lib. 8. c. 3. 4. *nullam in materiâ perfectionem esse seu bonitatem, sed meram malitiam: siq; ista imperfectio potentia dici debet; Certè potentia non ad qualitatem, sed ad substantiam redigitur. Et Aristoteles* lib. λ. Metaph. text. 23. *actum & potentiam in eodem posuit prædicamento. Cum igitur actus potentiæ materiæ oppositus, eamq; perficiens, sit in substantia, etiam in eodem prædicamento erit materia. Imo si potentia illa materiæ, nempè ex quá & actu, unum fit compositum, ad accidentia esset referenda; tum substantia non esset vnum per se, imò ne Ens quidem per se; cum ex accidente & substantiâ nunquam ens per se fiat aut existat.* *Redigitur tandem materia ad formas per appetitum, quo ad formam fertur, sicut fœmina ad maritum, turpe ad pulchrum, imperfectum ad perfectum.* Aristoteles lib. 1. Phys. text. 81. *Quidam hunc appetitum tollunt ac negant*, ut Avicenna 1. suff. c. 2. Scaliger exerc. 17. & 61. sect. 1. *Putant enim non posse dari appetitum sine sensu aut intellectu, Verùm sequimur nos potius* Themist. lib. 1. Phys. text. 81. *qui appetitum istum naturalem nihil aliud esse docet, quàm propensionem & inclinationem naturalem, quâ gravia deorsùm, & levia sursùm vergere experimur sine omni deliberatione. Plura de materiâ primâ lege infra lib. 2.*

Quomodo materia redigatur ad formam.

An appetitus in materia detur. Affirm.

Materia secunda *tantùm est κατά τι materia, nempe ultimæ & specificæ formæ gratiâ sive respectu, à quâ secundariò determinatur.* Non *itaq; est*

Materia secunda.

 simplex

simplex materia, sed simul compositum materiale, unde & tantùm secundùm quid materia est, ut ex illis, quæ jam disputata sunt, apparet. Materia hæc secunda habet tres gradus. 1. Sunt Elementa. 2. Sunt partes similares, ex quibus partes organicæ constituuntur. 3. Sunt partes organicæ, ex quibus totum corpus componitur.

Materiæ secundæ tres gradus.

Accidentium materia.

Per similitudinem & analogiam etiam accidentibus tribuitur materia, non quidem ut materiam propriam habeant accidentia: verùm cum illorum esse sit inesse, insint autem subjecto, subjectum illorum materia censetur. Atq; hinc in accidentibus vetuit Aristoteles aliam materiam quærere, quàm subjectum lib. η'. Metaph. text. 12. *Rationem ejus reddit Sonc.* 12. Metaph. quæst. 26. *se totis enim sunt principium agendi: sunt enim se totis actus; quia, si materiam haberent, per se tota non agerent. Et si componerentur ex materiâ & formâ, tunc forma posset in materiâ mutari, vnumq; accidens formaliter abire in alterum, frigus nimirum in calorem, quod est contra veritatem & Philosophum nostrum.* lib. 1. Phys. *Carent itaq; accidentia propriâ materiâ, sed loco illius proportionaliter subjectum sumitur. Quæritur autem:* quidnam sit illud subjectum, an semper substantia, an interdum etiam accidens? *Distingvendum hic est inter accidentia; quædam enim ab aliis accidentibus re non distingvuntur: quædam verò re distincta sunt: illa, quæ ab accidentibus re non sunt distincta (ut figura à quantitate re non distingvitur) in accidentibus immediatè fundantur: hæc verò, quæ reipsâ differunt, in substantiam recipiuntur, licet interdum*

Quæstio, de subjecto accidentium.

terdum id fiat per media accidentia. Nam subjectum duplex facit Ariminensis. 2. senten. dist. 12. q. 2. art. 2. *nempe* subjectum quod & quo. Subjectum quod *est, quod principaliter & propriè sustinet accidentia, estq́ ipsa substātia* Arist. 7. Metaph. t. 14. *Nam tale subjectum accidens esse nequit, nempe realiter ab altero distinctum est. Quodcunq́ enim per se non subsistit, alteri existentiam dare nequit: At nullum accidens per se subsistit. Ergo &c.* Thom. 1. part. q. 77. art. 2. Subjectum quo *est medium, cujus interventu accidens copulatur cum substantiâ, estq́ accidens aliud intermedium. Vt color hæret in substantiâ mediante superficie &c.*

Objectum *quoq́ dicitur* materia circa quam *impropriè, ut color est objectum visus, hoc est, materia, circa quam potentia visiva occupata est. Imo tanta materiæ analogia est, ut etiam quod in substantijs spiritualibus & immaterialibus (Deo excepto) est potentiale, sub se comprehendat. Verùm cum nimis remota isthæc Analogia sit; consideramus hic tantùm materiam corpoream, & propriè ita dictam: & illam quoq́ cælo tribuimus. Quam licet quidem ex transmutatione non liceat invenire; optimè tamen ex quantitate, ut propriâ materiæ affectione, alijsq́ materiatis accidentibus demonstramus. Rectè enim Plotinus* En. 2. lib. 4. c. 6. *quicquid habet molem, habet etiam materiam. Et ipse Averroës* de substantiâ orbium c. 2. & 12. Metaph. text. 10. *ex raritate & densitate, sicut Philosophus ibidem, ex motu locali in cælo materiam ostendere voluit.* Vide exerc. seq. theor. 11.

Objectum.

Cæli materia corporea demonstratur.

Inferiorem tandem materiam dupliciter considerandam esse monet Themist. in digr. 1. Physf. *primum prout soluta est ab omni formâ, deinde prout jam ad formas ordinatur. Posterior hæc consideratio ad Physicam pertinet, ut id ex* 1. Physf. *liquet: prior verò ad Metaphysicam spectat, ut apparet ex* ζ. Metaphysf. text. 8. *ubi describitur materia, quòd sit neq; quid, neq; quantum, neq; aliquid eorum, quibus Ens determinatur, neq; eorum negationes. Cum enim nullum habeat actum materia, per quem possit concipi & cognosci, negativâ contenti esse cogimur* lib. η'. Metaph. text. 28. *vel ut Plato dicit* in Timæo *adulterinâ cognitione, quæ juxta Averroëm* de subst. orbi. c. 1. *in collatione ad aliud consistit.*

Theorema IV.

Forma est, quæ dat esse rei.

Definitio formæ. Forma *enim est, per quam res est id, quod est: sive* λόγος ὁ τοῦ τί ἦν εἶναι. 2. Physf. text. 28. & alibi. *Vnde caussalitas formæ duplex arguitur: prior est respectu materiæ, quam actuat, determinat, perficit; posterior est respectu totius compositi, & est dare illi esse, hoc est, essentiam & actualem existentiam, nec non ad certam & definitam Entis speciem restringere & ab alijs omnibus separare.* Caussalitas formæ duplex. *Caussalitas respectu materiæ prior à nobis dicitur, ratione compositi posterior. Oportet enim ut actuatio materiæ, quæ à formâ fit, præcedat, illamq; sequatur compositi existentia. Loquimur autem tantùm de prioritate naturæ: Tempore enim Caussalitates hæ simul sunt, imò vna actio sive actuatio est, quâ forma refertur simul ad materiam &*

am & ad compositum: quemadmodum per receptionem formæ materia & ad formam & ad compositum ordinabatur. Forma *generalissimè & æquivocè sumta, est duplex, vel* extrinseca vel intrinseca. Extrinseca est exemplaris & idea, *quam ut Plato quintam caussam esse voluit, ita illius nominis primus author est, ut testatur Cicero* lib.1. Tusc.quæst. *Seneca* Epist. 66. *& August.* lib.83. c.46. *Est autem forma exemplaris, seu exemplar, forma, quam effectum imitatur ex intentione agentis, qui determinat sibi finem.* Thom.quæst.2.de verit.art.1. *aliàs dicitur caussa sive forma, ad quam respiciens efficiens, operatur.* Hujusmodi exemplar duplex est. Reale, *quod extra mentem efficientis sive artificis subsistit, ac in sensus ipsos incurrit: cujusmodi est* καλοπόδιον, *autographum, scriptura oculis objecta, quæ imitanda proponitur &c.* Et Intentionale, *quod in mente tantùm est: cujusmodi est omnis Idea, ad cujus imitationem postea res artificialis producitur. Verumenimvero* exemplaris *hæc* forma, *neq; quintum genus caussæ constituit, neq; propriè forma est: Cum forma sit semper internum rei principium, nunquam externum. Statuendum igitur est, Formam hanc ad caussam efficientem esse referendam, eamq; non omnem sed tantùm ad liberum agens; cujus necessaria conditio, modus & limitatio quædam est. Quia enim voluntarium & liberum agens est indeterminatum; per Ideam hanc determinatur ad certum & verum effectum producendum.*

Forma vel extrinseca vel intrinseca.

Extrinseca.

Exemplar est duplex.

Reale.

Intentionale.

Exemplar pertinet ad caussam efficientem.

Intrinseca forma est vel substãtialis, vel accidentalis. Forma accidentalis *est illa extrema*

Forma intrinseca.

Forma accidentalis.

species & figura, quæ in oculos incurrit, ut ædificij externâ figura, & dicitur dare esse secundùm quid. Forma substantialis *positâ definitione potissimùm describitur, & est vel* Informās vel assistens. Informans *vel sumitur pro alterâ parte compositi, vel pro totâ quiditate. Priore modo sumta forma,* Physicè *consideratur. Compositum enim seu formatum constituit, & dat rei esse simpliciter.* Informans *hæc* forma *est, vel* separabilis, *vel* inseparabilis. Separabilis *est, quæ separari potest, ita ut illæsa extra subjectū subsistat, ut anima hominis separata à toto formato existit salva.* Aristoteles. lib. κ. Metaph. c. 3. Inseparabilis *est, quæ nunquam separari potest ita, ut extra subjectum subsistat. Tales sunt omnes reliquæ formæ rerum compositarum, sive formæ materiales.* Informantem *hanc* formam *duplicem faciunt:* Communem sive generalem, & specificam. Communem *dicunt illam, quâ non species ultima cōstituitur, sed genus aliquod, ut forma corporis, forma animalis, viventis &c. atq; negāt formā hanc existentiam tribuere posse, propterea quòd det quidem actū, sed imperfectū, nempè cum potētiâ commixtum.* Formam *verò* specificam, *inquiunt, dare actū perfectum, sive, quod idem est, ultimam perfectionem, prætereaq; existentiam tribuere, nec aliâ formâ indigere rem ad existendum. Unde formæ specificæ actus arguitur duplex esse, alius τῆς ὀσίας sive essentiæ, quo res dicitur esse, ut species: alius τῆς ὑπάρξεως existentiæ, quo res existit, ut individuum. Quâ de re infra libro hoc primo* Exerc. 9. theor. 7. & 8. item lib. 2. Exercit. 1. Theor. 5. *pluribus*

Forma substantialis.

Informantis divisio.

Informantis alia divisio in communem & specificam.

bus agetur. *Huc pertinet quæstio*, an plures formæ in uno eodemq; composito esse possint? *Affirmativam nos tueri patet: si enim* Elementa *manent in misto, sitq; anima non est ex Elementis, manifestum est, in animatis duas esse formas distinctas, nempe formam misti & animam. Quas etiam ex interitus diversitate, ex contrarijs motibus, ex actione & paßione, demonstrare possumus.* Quæstio An plures formæ esse posſint in eodem ſubjecto.

1. *Quando enim anima per mortem resolvitur à corpore, manet forma misti in cadavere, mistiq; facultates exercet, donec tandem & ipsa per putredinem extinguatur, & pereat.* 2. *Deinde non possunt contrarij motus ab uno simplici proficisci principio unâve simplici virtute. Contrarios autem motus in animatis experimur: anima enim movet sursum: forma prædominantis* Elementi *deorsum. Verißima itaq; est opinio* Scoti 4. dist. 11. Anton. Andr. 7. Metaph. q. 17. 8. Metaph. q. 3. Vicom. 3. de princ. c. 10. *quando statuunt, in animatis ad minimum duos dari formarum gradus,* corporeitatem, *uti mixti formam vocat Scotus, &* animam. *Consentit hæc sententia cum Aristotele, qui* lib. 8. Phys. text. 28. & 29. *distinguit animal in partem mobilem & moventem: in quas* Elementa *dividi nequeunt, cum materia prima, cui immediatè insistunt, non sit actu, aut mobilis. Reijcimus itaq; opinionem illorum, qui non tantùm in simplicibus & mixtis, sed etiam in omnibus animalibus unam tantùm formam agnoscunt.* Thom. 1. part. q. 76. art. 4. Haruæ: in tr. de unit. form. Ægid. de plur. form. Ferrar. 2. cont. gent. 58. Marsil. in 1. de Animatorum duæ formæ.

gener. & corrupt. q. 6. Iavellus 8. Metaph. q. 4. Sonc. 8. Metaph. q. 9. 10. 12. Connimbr. in 1. de generat. & corr. c. 4. *neq; probare possumus opinionem Ianduni*. 2. Metaph. q. 9. *qui tot formas agnoscit, quot dantur prædicata essentialia. Ejus enim falsitas ex accidentium & substantiarum abstractarum sive immaterialium naturâ facile deprehenditur.*

Formæ alia divis. Forma pro quiditate sumta, *est duplex*: videatur Zabarella lib. de nat. cæl. c. 8. *Est*
1. *enim alia quiditas, quæ nullam habet materiam conjunctam, sed omnis materiæ expers est, uti sunt, actus puri, angeli, intelligentiæ: alia cum materiâ conjun-*
2. *cta est, continens nimirum simul materiam: talis quiditas & essentia est rei materiatæ & corporeæ. Utraq; forma dicitur. In illâ verò quiditas re & ratione idem est cum eo cujus est quiditas, in hâc re idem est, & ratione tantùm differt.* Atq; hoc modo forma Metaphysicè consideratur.

Forma assistens est, quæ solùm est principium motus & operationis in subjecto: *Ut primus motor est forma assistens omnium rerum secundarum: Intelligentia est forma assistens sui orbis: Nauta, Navis &c.*

Analogica formæ divisio. *Dividunt etiam* formam *Analogicè in* Logicam, Metaphysicam *&* Physicam. *Quid per* Physicam formam, *itemq;* Metaphysicam *intelligatur, manifestum est ex illis, quæ hactenus ex-*
1. Physica forma. *plicata sunt: nempè.* Physica forma est altera pars compositi, *cujus caussalitas potissimùm consistit in actuatione (ut ita loquamur) materiæ, per*

quam composito esse largitur, quæ non una est in omnibus corporibus naturalibus, quemadmodum materia una est; non enim inter se differrent corpora, neq; propter insatiabilem materiæ appetitum perpetuari posset forma in materiam semel recepta. Quocirca ut species rerum conserventur, formarum generationem & corruptionem instituit natura: non quidem generationem propriè ita dictam, sed potius consecutionem. Generatio *enim* duplicem habet Terminum, primum ut quem, *qui ipsum compositum est*, lib. ζ. Metaph. text. 26. 27. lib. ή. cor. text. 4. lib. 1. Phys. *Illud enim propriè generatur.* Thom. 1. p. q. 45. a. 8. Alterum ut quo, *qui forma est, per quam existit compositum.* Videatur Scotus 7. Metaph. q. 10. Anton. Andr. q. 9. Fland. q. 12. a. 1. *In generatione autem forma secundùm sententiam Aristotelis producitur ex potentiâ materiæ, hoc est, à materiâ & in fieri & in esse, & in operari dependet. Loquitur autem Philosophus tantùm de formis merè naturalibus. Alias enim actus, quos nihil prohibet separari, distinguit ab iis, qui sunt à materiâ inseparabiles.* 2. de an. text. 11. *& Mentem extrinsecus accedere docet.* lib. 2. de gener. animal. c. 3. *De cæteris formis ubiq; statuit, quòd ex quodam præsupposito educantur propterea quòd generatio sine subjecto esse nequeat, & quòd formæ à caussis naturalibus producantur, quæ vim creandi aliquid ex nihilo non habent.* — Generationis duo Termini.

Forma Metaphysica *est tota rei quiditas: itaq; ultra formam Physicam aliquid includere videtur.* — 2. Metaphysica.

tur. Est enim quiditas corporis naturalis forma Physica cum connotatâ materiâ. Averroës 7. Metaph. text. 21. & ult. 8. Metaph. text. 12. Forma logica *est differentia, quæ generi, ut materiæ, addita, totum constituit.* Porphyr. in Isagog. Arist. ζ. Metaph. text. 43. *& sæpius tantùm portio quædam formæ est.* Scot. in Repor. 1. d. 33. q. 2. *In* formis accidentalibus *una eademq; res & Entitas est, à quâ desumitur genus & differentia: alias, verbi gratiâ, Color sive albedo non simplex forma existeret, sed haberet compositionem rei & rei in suâ Entitate, quod concedi nequit, ut patet ex præcedentibus.* Atq; hæc quoq; de formâ breviter.

3. Logica.

Formæ accidentales.

Theorema V.

Efficiens est illud, à quo primum mutationis aut quietis principium est.

Efficiens cur dicatur primum movens.

Definitio est Philosophi lib. 2. περὶ ἀκρο. c. 3. §. 29. & lib. δ. Metaph. c. 2. *Efficiens est, inquit,* ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς μεταβολῆς ἡ πρώτη, ἢ τῆς ἠρεμήσεως. *Dicitur* efficiens primum principium motus. *1. ut ostendatur efficientem esse inter omnes caussas realiter moventes primam. 2. quia definitur primarium efficiens, non secundarium & organicum, à quo etiam mutationis & quietis principium est, sed non primò. Nam à securi secare vel incipiente, vel desinente principium mutationis aut quietis est: sed non primum, quod ab artifice est,*

qui

qui securim moderatur. Deinde agitur hic de primo principio mutationis & quietis propriè ita dictarum. Nam caussa, quæ primò movet motu propriè ita dicto, efficiens est: finis enim licet prior sit & ab eo moveatur efficiens: tamen id non fit motu physico, ut loquuntur; sed motu metaphorico, nimirum Desiderij & Amoris. Dicitur autem principium motus sive mutationis: *omne enim efficiens aut efficit motum aut per motum efficit. Alij* μεταβολῇ mutationi *substituunt*, ποιήσεως actionis *vocabulum, ut ita comprehendant omnem efficientem, adeoq; ipsam creationem includant, quâ nihil verè immutatur, quam Aristoteles vel verè ignoravit, vel certò non credidit.* Videatur Thom. 5. Met. lect. 2. *ubi actionem pro Caussalitate efficientis agnoscens in hæc verba loquitur: efficiens est caussa inquantum agit:* Albertus Magnus. 2. Phys. tr. 2. c. 6. *Dicitur* principium quietis. *Omnis enim quies habet suam efficientem, cujus vi & à quâ quiescit. Vnde Philosophus,* lib. 2. de cœlo duobus capitibus ultimis *ostendit terram per propriam suam naturam quiescere. Atq; hinc efficientem hanc caussam vocat Philosophus.* 2. Phys. c. 3. αἴτιον τὸ ποιοῦν, καὶ ποιητικὸν ὅθεν ἀρχὴ τῆς μεταβολῆς: *& 2. post. cap. 11. §. 1.* αἰτίαν ἡ τί πρῶτον ἐκίνησε. Caussalitas efficientis est duplex: una materiæ respectu, *quam præparat efficiens, disponit quoq;, & ad formam suscipiendam reddit habilem:* altera totius compositi respectu, *quod producit. Atq; posterior hæc principalis*

Discrimen inter motum finis & efficientis.

Principiũ quietis.

Caussalitas efficientis duplex.

Conditiones efficientis tres. *cipalis & vera efficientis caussalitas est. Tenendæ quoque hic sunt tres conditiones, quæ ad caussæ hujus actionem requiruntur.* 1. *ut distinguatur agens à patiente & quidem in actione transeunte realiter, in actione verò immanente tantùm secundùm diversas potentias.* 2. *ut agens contingat patiens sive immediate per virtutem, sive per suppositum.* Aristot. 7. Phys. 1. de generat. c. 6. 3. *ut patiens aliquo modo agenti sit contrarium: inter similia enim actio nulla est.*

Nomen caussæ efficientis porrò quia latissimè patet, *& varij caussandi dantur modi efficientis, variè quoq; dividitur.* 1. Divisio efficientis in per se & per accidens. *Primùm dividitur in eam, quæ per se efficit; & in aliam, quæ per accidens. Quid caussa per se sit, itemq; per accidens manifestum est ex theoremate primo. Hic tantùm teneatur, quòd caussa efficiens per se & κυρίως non efficiat nisi in se aliquod bonum; cum talis efficiens non efficiat effectum toto genere à se distinctum: Ergo efficit Ens: atqui nullum Ens dici potest malum in quantum Ens est, sed in quantum caret quodam esse, ut eleganter docet Thomas.* 1. part. quæst. 5. art. 3. item quæst. 3. de potent. art. 6. & quæst. 1. de malo art. 1. Malum. *Atq; hinc Dionysius* c. 4. de divin. nomin. *malum vocat defectum proportionis debitæ & convenientis, juxta naturæ restitutionem. Et August.* lib. de nat. bon. c. 3. & 4. *inquit, malum nihil aliud esse, quàm corruptionem modi vel speciei vel ordinis naturalis. Item* lib. 11. de civit. DEI. c. 9. *mali nulla natura*

tura est, sed amissio boni, mali nomen accepit. Ambrosius lib. de Isaac. & anim. c. 7. *quid est, inquit, malitia nisi boni indigentia? Et Damascenus* lib. 2. de fide c. 4. & lib. 4. c. 2. *nihil, inquit, est malum, quàm boni privatio, sicut tenebræ luminis. Idem sentit Chrysostomus* hom. 2. in Act. circa finem: *& Iustinus* quæst. 46. & 73. ad gentes *ait, malum nihil esse præter boni corruptionem & depravationem & privationem: In eâdem sententiâ sunt Athanasius* orat. cont. Idola: *Nazianzenus* orat. 9. circa finem & oratione. 38. *Chrysostomus* hom. 2. in Act. circa finem. *Epiphan.* contra hæres. 24. & 66. &c. *Non itaq; subsistit pravitas (ut loquitur Basilius* in homil. quod DEUS non est autor malorum) *neq; essentiam ipsius substantem producere possumus. Privatio enim boni est malum. Quemadmodum monstrum, quâ monstrum, non est corpus naturale, sed ejus ἁμάρτημα.* 2. Physic. text. 82. *Unde & monstri, quatenus monstrum est, κυρίως dicta efficiens, non datur, sed deficiens; nempe defectus vel excessus materiæ, vel aliquid simile. Idem sentiendum est de reliquis malis. Quod enim jam de monstro dicimus, quod non habet κυρίως dictam efficientem; idem rectè pronunciavit universaliter Augustinus de omni malo* lib. 2. de civitat. DEI. cap. 7. *In quam sententiam Thomas quoque* lib. 3. contra gent. cap. 10. & in quæstion. de malo articul. 3. *Caussa, inquit, per se defectus non est aliquid positi-*

Monstrum.

positivum, sed alius defectus: qualis enim caussa per Furtum. *se, talis etiam defectus, verbi gratiâ, furtum non est effectus, sed defectus & ἀταξία in motu, quæ non proficiscitur ab animâ per se; sed est defectus hic ab alio defectu, nempè ἀταξία appetitus. Quia itaque est DEVS prima caussa κυρίως agens sine omni omninò defectu, sequitur omnia à DEO sine defe-* Caussa mali nulla per se. *ctu producta esse. Quocirca cùm mala DEVM, ut per se primam caussam, non habeant; sequitur quòd neq; secundas caussas habeant, quatenus in agendo à DEO dependent. Meridianâ itaq; luce clarius est, nullum agens à DEO esse conditum, ut per se suamq; naturam, & essentiam ad malum moveatur; sed tantùm ad bonum, quod etiam de ipsâ hominis vo-* Voluntas hominis & intellectus. *luntate, intellectuq; intelligendum est. Voluntas, prout condita est divinitus, hoc est, suâ naturâ & essentiâ non fertur ad malum, quemadmodum neq; intellectus ad errorem: verùm potius ut illa semper per naturam bonum; ita hic verum ubiq; appetit. Malum itaq; per accidens venit in mundum.* Quod 2. Divisio efficientis in Physicam & moralem. circa quæstionem hanc quasi obiter annotent studiosi Theologiæ. Secundò caussâ dividitur in Physicam & Moralem. Caussa Physica. Physica *est, quæ verè & realiter influit in effectum. Non enim hic per caussam Physicam intelligitur caussa corporalis agens per motum corporeum & materialem; sed universalius sumitur secundùm descriptionem positam. Hoc modo DEVS, dum creat mundum, caussa Physica dici potest.* Caussa mo- Moralis duplex. raliter efficiens dupliciter porrò sumitur: uno modo *dicitur id, quod liberè efficit, quò non*

omnino à caussâ Physicâ distingvitur, generatim sumtâ: sed tamen ab illâ, quæ realiter & necessariò agit: alio modo *distingvitur plenius à Physicâ, quæ nimirum per se non verè efficit, ita tamen quasi moraliter affecta est, & se gerit, ut ei imputetur effectus: quomodo caussa consulens, aut rogans, aut non impediens, cum possit aut debeat, dicitur caussa moralis.* Vide Suarez disp. Metaph. 17. sect. 2. d. 6.

Tertiò: alia caussa agit immediatione (*ut loquuntur*) virtutis, alia suppositi. *Hæc distinctio ut rectius intelligatur, tenendum est, in agente duo cerni, nempe* virtutem, *per quam operatur, uti est calor in igne: &* res ipsa, *quæ principaliter agere dicitur, ut est ignis.* Illud igitur agit immediatè immediatione virtutis, *quod per propriam & insitam virtutem agit, ut ignis agit immediatè proprio & innato suo calore. Atq; hoc est duplex ratione patientis sive subjecti, in quod agit. Aut enim patiens immediatè jungitur agenti; ut quando ignis ingenito suo calore aquam appositam calefacit: aut patiens ab agente loco & intervallo distat, tali modo sol radiis, per intermedia corpora trajectis, illuminat terram.* 3. Divisio efficientis. Immediatio virtutis.

Immediatè immediatione suppositi id agere dicitur, *inter quod & ipsum subjectum nullum aliud suppositum, sive singulare, per se subsistens, est interjectum; hoc modo aqua manum, quam abluit, refrigerare dicitur.* His opponuntur quæ mediatè mediatione virtutis agunt, *quæ per virtutem sibi commendatam agunt, sive etiam distet patiens sive non: Vt cum orbis Lunæ communicatum lumen à sole in aërem emittit.* Mediate mediatione suppositi- Immediatio suppositi. Mediatio virtutis. Mediatio suppositi.

ti agere *dicitur id, inter quod & effectum, sive patiens, aliud cadit suppositum: ut inter fabrum & statuam securis.* Videatur collegium Connimbr. lib.2.Phys.c.7. q.14. art.2. *Huc etiam referri potest distinctio, qua* efficiens *aliud dicitur aliquid efficere* per contactum, *aliud* per virtutem.

4. Divisio efficientis. Quartò. Caussa aut est vera, aut sine-quâ-non. *Divisio hæc ex Platone desumitur, qui* in Phædone *ponit* αἴτιον ὃ οὐκ ἄνευ. *Quam caussam retinuit, Platonem secutus, Galenus* in 3. de diff. sympt. & 3. de Method. med. *ubi remotionem puris dicit caussam-sine-quâ-non sanandi vulneris.* Caussa vera. *Est itaq; vera caussa, quæ vi sive caussalitate suâ operatur ad effecti constitutionem:* Caussa sine quâ non. *Caussa-sine-quâ-non est, ut loquitur Galenus, eorum, quæ nihil conferunt, nec tamen à conferentibus separari potis. Ex quâ definitione intelligitur* αἴτιον ὃ οὐκ ἄνευ *revera Caussam non esse: quocirca rectè eam caussæ veræ opposuimus, neq; Aristoteles hoc caussæ genus agnovit, cum sit in caussatione plane ociosa. Exempla omnia, quæ ad hanc caussam referuntur, aut ad antecedentia pertinent, aut ad instrumenta. Et si caussæ-sine-quâ-non, veræ caussæ sunt; efficax est argumentum Senecæ, quo contra Aristotelem abutitur* epist.65. *nam, inquit, si quocunq; remoto quid effici non potest, id caussam judicat esse faciendi pauca dixerunt: ponant inter caussas tempus; nihil enim sine tempore potest fieri: ponant locum, si non fuerit, ubi fiat aliquid, ne fiet quidem: ponant motum; nihil sine motu fit aut perit.*

5. Divisio efficientis. Naturalis. Quintò. Caussa efficiens aut est naturalis, aut voluntaria. Naturalis est, *quæ propria & natu-*

naturali suâ vi absq; ullâ deliberatione effectum producit: atq; hæc semper uno eodemq; modo agere dicitur, quippe quæ determinata est ad unum tantùm oppositorum. Sic enim Aristoteles lib. 8. Phys. text. 8. & 18. ἡ φύσις ἓν πρὸς ἓν τάττει. Atq; hinc Canon ille Scholasticorum: Caussa naturalis agit ad extremum suæ potentiæ seu virium, hoc est, non certum agendi constituit modum, sed cum impedimentis careat, omnem simul vim exerit.

Voluntariæ caussæ sunt, quæ cum deliberatione agunt, unde à Philosopho lib 2. Phys. tex, 59. & 65. αἴτια κατὰ προαίρεσιν dicuntur. Liberæ enim & indifferentes sunt ad actiones; nempe sic agunt, ut actionem etiam poßint intermittere; sive non agere. Quæ libertas tamen in omnibus non est æqualis. Quædam enim sunt merè liberæ plenoq; appetitu effectum volunt, & ut volunt, ita producunt: & dicitur talis caussa à Philosopho αἴτιον αὐθαίρετον πρόθυμον ἑκούσιον 3. Eth. c. 1. talis caussa ad veram virtutem postulatur. 2. Eth. c. 4. Quædam verò tantùm secundum quid sunt liberæ, quæ quidem effectum volunt & producunt, sed non sine appetitu tristi: ut quando mercator suas merces in mare projicit ad naufragium evitandum. Quia itaq; tales actiones partim sunt voluntariæ, partim violentæ, Aristoteles vocat illas πράξεις μικτάς.

Voluntaria. Libertas agendi duplex. 1. 2.

Sextò. Caussa efficiens alia est formalis, alia virtualis. Formalis est, quæ per formã agit & producit rẽ specie sibi similẽ: ut homo hominẽ generat formaliter. Virtualis caussa efficiẽs est, quæ ἐντελεχείᾳ sive virtute agit, nec est ejusdẽ speciei cũ re genitâ, ut

6. Divisio efficientis.

cum frigus duritiem producit: motus generat calorem. Cum divisione hâc coincidit illa, quâ efficiens dicitur esse vel univoca vel æquivocâ. Univoca *est illa formalis, nempè quæ effectum ejusdem rationis sive speciei per virtutem formæ suæ producit.* Thom. part.1.q.63.art.1. *Vt quando homo generat hominem; leo, leonem.* Æquivoca *est virtualis, quæ effectum alterius rationis, hoc est, specie à se diversum producit. Vt quando sol generat anguillas, ranas, mures, muscas &c.*

Efficiens caussa univoca & æquivoca.

Septima divisio.

Septimò: Alia efficiens producit per transmutationem: alia per emanationem: Videatur Zabarella lib.1. de motu lev.& grav. c.11. Per transmutationem *agit omnis caussa efficiens naturalis in objectum à se distinctum. Atq; hæc caussa efficiens propriè caussa dicitur, de quâ talem ponit cationem Zabarella* lib.de prop.necess.c.10. Efficiens propriè ita dictum sive transmutativum semper producit effectum extra positũ, quia idem non agit in seipsum. Per emanationem *forma substantialis producit certas proprietates in subjecto suo: ut ratio sive forma hominis producit risibilitatem.*

Octava divisio efficientis.

Octavò. Efficiens aliâ est perficiens, alia disponens. Perficiens *finitur, quæ ultimam perfectionem effecti largitur & constituit: hoc est, quæ formam, ut rei absolutam perfectionem, in materiam præparatam inducit.* Disponens *dicitur, quæ materiam tantùm disponit, formam autem ultimam inducere nescit. Vt ipse Architectus, quia formæ ædificij caussa est, & ut in materiam rectè inducatur efficit; caussa*

caussa perficiens dicitur: Disponentes sunt operarij & manuarij, qui ligna exossеant, dolant, lapides cædunt. &c.

Nona divisio efficientis.

αἴτιον.

Nono. Efficientium *aliud dicitur* αἴτιον, *aliud* συναίτιον, *aliud* σύνεργον. Ἄιτιον *sive (græcis specialiter ita dictum)* κύριον αἴτιον *caussa propria & prædominans est, à quâ primus fit motus, quâq; non agente cæteræ caussæ nihil producunt.* Συναίτιον *vel* ἀφορμὴ, *ut à Polybio vocatur, est caussa minus principalis, nempe inclinatio bona vel mala, vel aliqua levis* προκαταρκτικὴ, *vel circumstantia temporis; vel loci: quæ non est caussa; sed facultatem præbet flagrantibus aliquâ cupiditate agendi, quod volunt; ut eam describit Philippus* lib. 4. Dial. *Inter divisionis hujus membra est referenda caussa* προηγουμένη *&* προκαταρκτική. Προηγουμένη *est antecedens aliquod, vel interior aliqua ad effectum dispositio: ut potentiæ naturales sunt interior dispositio ad virtutes adquirendas.* Προκαταρκτικὴ *sive* προκατάρχουσα *est irritatrix exterior, quæ interiorem movet & irritat: ut quotidiana exercitatio ex potentijs naturalibus habitum virtutis producit. Harum caussarum exempla talia dat Philippus: Amanti, inquit, tenebræ sunt occasio* ἀφορμὴ, *ut dicitur:*

Συναίτιον.

Προηγουμένη.

Προκαταρκτικὴ.

Nox & amor, vinumq; nihil moderabile suadent.

Nox *occasio est, non caussa;* Amor *est* αἴτιον *& quidem antecedens: sed* vinũ *est* προκαταρκτικόν. *Redemtionis nostræ caussa principalis est* DEUS: *προηγουμένη est* amor DEI. Ioh. 3. Sic DEUS di-

lexit mundum, &c. προκαταρκτικὴ est Christi obedientia & meritum. Σύνεργον generaliter significat caussam instrumentalem, quæ alias ὄργανον vel ὀργανικὸν αἴτιον dicitur: Estq; talis caussa, quæ ad effectum producendum à caussa principali assumitur. Debet itaq; principali servire per omnia. Vnde Thomas 1. part. sum. q. 44. a. 5. Omne instrumentum, inquit, agere debet dispositivè ad virtutem agentis principaliter. Circa divisionem hanc notandum venit, Platonicos omnes caussas in principales & instrumentales dispescere, accipientes instrumentum, pro omni illo, quod ab alio dependet. Quomodo & Trismegist. Dial. 9. & in Pimand. mundum instrumentum Dei dicit. Verumenimvero quia instrumentaliter agere opinantur, quæcunq; ab alio actionis trahunt initium, instrumenti significatione abutuntur. Ita enim voluntas instrumentum esset intellectus, & medicamenta essent instrumenta naturæ: non enim agunt nisi à calore naturali in actum deducantur. Rectius sentit Scotus 4. dist. 1. q. 1. ubi dupliciter ait caussam agere principaliter 1. Independēter: atq; ita solus Deus caussa est principalis. 2. Per formam propriam & intrinsecam: atq; ita caussæ inferiores principaliter agere rectè dicuntur. Quandoquidem instrumētum propriè id dicitur, quod suæ speciei similem effectum nō producit, sed per caussam principalem exaltatur, ut effectum, instrumento nobiliorem, producat. Et tenendum hâc occasione est, quòd in instrumento duplex sit actio: una propria & à formâ instrumenti dependens: altera, ad quam vi caussæ principalis elevatur. Quæ tamen re non distin-

Σύνεργον.

Nota.

Instrumentum.

Principaliter agere duplici modo dicitur.

Instrumentum.

Instrumenti duplex actio.

gvuntur vel separantur: hæc enim in illâ semper fundata est. Videatur Cajetanus 1. p. q. 45. art. 5. Ferrar. 2. cont. gent. c. 2. *Hoc itaq; modo si sumitur instrumentum, Caussæ inferiores instrumentum non sunt, cum virtute sibi communicatâ agant, attingentes effectum per formam propriam. Intelligitur etiam inde, quòd tota vis & natura instrumenti in usu consistat: quando enim in usu & actu non ponitur, instrumentum non est, sed aliud quiddam. Vnde etiam instrumenta semper à fine & operibus definiuntur, & iisdem discernuntur.* Aristoteles lib. 2. de an. tex. 38. lib. 1. de part. animal. cap. 5. Oecon. lib. 1. cap. 6. Alexand. Aphrod. in 1. prior. cap. 12. Amm. in Porphyr. Albertus M. in post. analyt. Alexand. de Ales. 7. Met. t. 34. Thomas de Vio Cajet. in post. analyt. Zabarel. lib. de constitut. scientiæ naturalis. c. 32. *Specialiter* συνεργὸν *dicitur* instrumentum animatum, *quemadmodum Aristoteles ipse* lib. 1. polit. c. 4. instrumenta in animata & inanimata *dividit. Ita animatum* ὄργανον *est servus, qui à Domino regitur. Huc referri quoq; potest* divisio, quâ efficientium aliæ dicuntur motæ ab alijs, aliæ tantùm moventes. Moventes *potissimùm sunt vel* finales caussæ, *nempè cogitatio de fructu & utilitate effecti producendi: vel* impulsiva, *quæ in ipsâ efficiente consideratur, & est vel affectus, vel objectum, vel lex, vel meritum.* Caussæ motæ, *sive quæ ab alijs moventur, sunt à quibus effectum immediatè proficiscitur.*

Instrumenta sunt duplicia.

Alia divisio in moventes & motas.

10. Divisio efficientis. Solitaria. Decimò: Efficiens alia est solitaria, *quæ* ὁλικὴ αἰτία, *totalis caussa, dicitur: sic simpliciter* ὁλικὴ αἰτία *& solitaria caussa redemtionis nostræ est* Christus *Salvator noster, sufficiens* λύτρον *persolvens*. Non *itaq; vel angelis, vel sanctis, vel nostris operibus aliquid illius adscribendum est. Alia* Socia, *quæ* μερικὴ αἰτία *partialis caussa dicitur, quòd cum aliis effectum producat*. Efficientis sociæ *aliæ adeò sunt copulatæ, ut una sine aliis minimè efficere possit: ut nisi prius Sol aurum & argentum in terræ visceribus operaretur, & deinde è fodinis metallicis erueretur, non posset moneta excudi. Sic mas & fæmina sunt necessariò sociatæ caussæ in producendo homine. Aliæ nō sunt necessariò conjunctæ: ut quando bini equi trahunt currum. Atq; hæ caussæ copulatæ sive particulares (inquiunt Scholastici) in toto concursu stant pro unâ.*

Socia.

11. Divisio. Vndecimò: Efficientium aliæ sunt remotæ, aliæ propinquæ. Remotæ *sunt, quæ longè distant ab effectu*: Propinquæ, *quæ proximè effectum constituunt & efficiunt. Effectus itaq; non remotis, sed proximis caussis sunt assignandi.*

12. Divisio. Tandem: Efficientes aliæ sunt universales, aliæ particulares. Vniversales *uno actu diversa effecta producunt*: Hæ dividuntur in primā caussam, *quæ à nullâ caussâ priore dependet, & est Deus ter Opt. Max.* Arist. lib. λ. Metaph. c. 7. & 8. & alibi: & secūdas, *quæ à superiori dependent*. Thomas de pot. q. 3. a. 7. *& quarum vis Deo subordinatur: ita tamen, ut simul propriā agendi potentiā habeant: ut sunt intelligentiæ & corpora cælestia*: Nā astra regūt homines, sed Deus astra regit. *Atq; hæ caussæ quoq;*

primæ

primæ dicuntur. Arist. lib. 5. de gener. animal. c. 7. *sed secundùm quid, nempè ratione caussarum cæterarum: secundæ autem simpliciter sunt, quia à* DEO, *ut simpliciter primâ caussâ, sunt ortæ: sic etjam prima dicitur caussa, quæ in quolibet genere caussarum prima est: sic* πρῶτον αἴτιον *motuum animalium est anima, unde reliquæ caussæ omnes, itemq; effecta in animalibus dependent. De summâ sive primâ caussâ loquitur Philosophus*, lib. 2. Phys. 3. t. 38. δεῖ ἀεὶ αἴτιον ἑκάςου τὸ ἀκρότατον ζητεῖν. Sunt itaq; (*uti diximus*) in genere secundæ caussæ, quæ à primis dependent. *Ex quibus apparet caussas universales, juxta sententiam Peripateticorum, in triplici esse differentiâ.* Primùm *&* *quidem prima caussa, uti diximus, est* DEUS, *cujus efficientia in creando, conservando & cooperando consistit.* In eo enim sumus, movemur & vivimus. Act. 17. v. 28. *Notetur, quòd inter alia statuamus*, efficaciam primæ caussæ in cooperando esse. *Termino enim isto nos opponimus primùm illis, qui putarunt caussas inferiores nihil agere & ad* DEUM *omnes actiones retulerunt.* Vide Averroëm 12. Metaph. text. 18. 9. Metaph. text. 7. Thom. cont. gent. c. 69. 1. p. q. 105. a. 5. Albert. Magn. 2. Phys. Tolet. 2. Phys. Fonsec. 5. Metaph. c. 5. q. 7. Connimbr. 2. Phys. c. 8. q. 11. Suar. disp. 18. f. 1. *Deinde illo ipso termino contrariam Durandi. 2. d. 1. q. 3. sententiam rejicimus, quâ statuebat,* DEUM *planè non concurrere cum actionibus particularium caussarum, propterea quòd caussæ istæ inferiores vi suâ agant. Contrarium*

Caussæ universales sunt in triplici differentia.

1. DEUS.

Efficientia DEI in cooperando.

enim liquidò patet per actionem illam divinam, quæ omnia regit, gubernat, conservat : quippe quæ influit in res omnes existentes, & quidem non duntaxat permanentes; sed in ipsas quoq; actiones : neq; enim sine DEO, ejusq; concursu agens incipere, neq; finire posset motum. Cum omni itaq; motu concurrit DEUS. Nemo enim unquam ibit inficias, nullam motus particulam esse posse, quæ non conservetur à DEO. Quin imò si DEUS res conservat quando sunt sive in esse, conservat utiq; easdem tum, quando fiunt sive in fieri : quoniam in hoc statu majore indigent conservatione, quod sit imperfectior; quàm in illo, qui perfectior.

Quæstio de modo cooperationis Dei in actionibus caussarum secundarum.

Quæritur autem de modo, quo DEUS, ut prima caussa, cum caussis secundis in actionibus concurrat : an immediatione virtutis tantùm, an etiam immediatione suppositi? Item, an sit nova influentia, aut creatio; an verò cum actione inferioris caussæ ad eundem recurrat terminum?

Resp. 1.

Ad priorem quæstionem dicimus, quòd DEUS cum caussis secundis concurrat, non tantùm immediatione virtutis, sed etiam immediatione suppositi, ita nimirum ut per suppositum omnem intelligas substantiam, & immediationem suppositi non tantùm dicas, quando Virtus prodit immediatè in subjecto principali; sed etiam quando ipsa essentia agentis sine omni medio tangit effectum: quo pacto DEUM omnibus cooperari caussis nemo inficiabitur : quandoquidem omnibus intimè præsens, juxta illud: Enter, Præsenter, DEus hic, & ubiq; potenter.

Resp. 2.

Ad alteram quæstionem respõdemus, concursum DEI novam influentiam non esse; sed esse actionem DEI, immediatè ab Essentiâ ejus promanantem, quæ

tem, quæ cum actione caussæ inferioris concurrat ad eundem Terminum. Proximæ sub DEO caussæ sunt intelligentiæ, quæ immediatè, secundùm doctrinã Aristotelis, movent orbes cœlestes, non quidem ut formæ informãtes; sed aßistentes: nempè quarũ vegetatione cœli etiam motus quasi animatur & fæcundus efficitur. Nam quòd cœlum ex materiâ putri res producat animatas, non animæ cœli est adscribendum, quæ nulla est in cœlo: sed virtuti intelligentiæ, ut defendunt Averroës. 7. Metaph. text. 3. lib. 12. eor. tex. 18. lib. 2. de cælo text. 8. Thomas 7. Met. Tandem sub intelligentiis universalis caussa est etiam cœlum, quod non tantùm per motum & lucem in hæc inferiora agit, ut videtur statuere Philosophus lib. 2. de cœlo t. 42. q. 1. & li. 1. Meteo. sed etiam peculiares & occultos quosdam influxus habet, uti id manifestißimũ est ex Eclipsiũ & aspectuũ operationibus.

2. Intelligentiæ.

3. Cœlum.

Particulares caussæ sunt, quæ ad unum aliquem effectum producendum sunt ordinatæ: non quidem disponendo materiam tantùm; sed ipsam ultimam formam virtute suâ inducendo: atq; hæ caussæ sunt inferiores elementares. Duplices has caussas conjungit Philosophus, quando inquit: sol & homo generant hominẽ. li. 2. c. 2. Phys. §. 26. & Averroës lib. 12. Meta. Comm. 13. p. 322. c. Sol est caussa universalis remota: homo est particularis & proxima. Atq; divisione hâc continetur ordo caussarũ in naturâ, quẽ Philosoph. li. δ. Meta. c. 11. l. λ. eor. t. 52. inculcavit: & Speusippus in defin. Platonicis descripsit, quòd sit concentus caussarũ & operationũ ad invicem, & Plutarch. de fat. Fati nomine intelligi putavit. Quẽ ordinem meritò retinemus, observamus & scrutamur.

Particulares caussæ.

Rerum efficiendarum divisio.

Quæstio.

Vltimò,cum res efficiendæ *sint duplices*, ſubſtantiæ &accidentia : *Quæritur primùm*: an ſolum accidens poſſit producere ſubſtantiam? *Affirmativam defendit Pererius*, lib. de cauſſ. c. 13. *Negativam verò veram eſſe nos omninò ſtatuimus, cum nihil ſit in effectu, quod non præexſtiterit in cauſſâ vel formaliter vel virtualiter. Quod Axioma falſum eſſet, ſi ſolum Accidens produceret ſubſtantiã, cum poſt hanc illud maximo intervallo relinquatur. Atq; hinc* Ariſt.lib.2.de gen.& corr. text. 53.*inſectatur illos,qui ſolis qualitatibus aſsignabant actiones.* & ibid. text. 52. *manifeſtò ſubſtantiali formæ actionem tribuit,ut materiæ paſsionem : atq;* lib. 2. Phyſ. text.70.*formam ſubſtantialem trium cauſſarum,formæ,finis, & efficientis rationem ſubire docet. Deinde in inveſtigatione cauſſæ accidentium diſtinguendum eſt inter* principium quo & quod, *item inter* accidentia,quæ à ſubjecto per emanationem reſultant, & quæ per actionem tranſeuntem producuntur. *Illa, nempe ab Ariſtotele* 2. poſt. text. 48. *ex neceſsitate materiæ prodire dicta,nemo negabit immediatè à ſubſtantiâ prodire. Si enim,uti rectè colligit Scotus, accidens ſemper prodiret per accidens,eſſet proceſſus in infinitum. Accidentia contra per realem transmutationem producta, non provenire immediatè à ſubſtantiâ, ſatis demonſtrat Philoſophus.* lib. de ſens. & ſenſib. c. 4. *ubi ignem calefacere docet,non quatenus ignis, ſed quatenus calidus eſt. Quare verò accidentia hæc non immediatè à ſubſtantia provenire queant,vix à priori demonſtrabitur : niſi forſan hæc cauſſa ſit, quòd*

tantum

tantùm accidentia, substantiis eminenter inclusa, ab illis immediatè prodeant. Iam verò substantia creata ac finita, cum habeat perfectionem determinatam, non potest eminenter alia includere accidentia, quàm quæ ipsi valde consimilia sunt & immediatè ab ipsâ prodeunt. Extera verò accidentia cum longius abeant à substantiis, non possunt produci nisi aliis accidentibus mediantibus: Vbi tamen accidentia ipsa pro principiis haberi nequeunt, ut quæ, sed ut quibus; *Cum actiones primò debeantur suppositis, uti ferè apud omnes concessum est: actiones suppositorum sive substantiarum existentium esse.* Habentnè igitur tantùm instrumenti rationem? *In generatione quidem substantiæ id asserimus: verùm in accidentis productione accidentia principaliter quoq; agere statuimus non instrumentaliter. Instrumentũ enim suâ virture non producit effectum sibi similem,* Scotus 4. d. 12. q. 3. *sicut calor producit calorem: Efficientia autem hæc non de omnibus accidentibus intelligenda est; sed de qualitatibus tantùm.*

Alia quæstio.

Theorema VI.

Finis est caussa, cujus gratiâ res est.

Finis.

Definitio hæc desumta est ex Arist. 2. Physs. c. 3. tex. 29. 5. Metaph. c. 2. τέλος ἐστι τὸ οὗ ἕνεκα. 2. *post.* c. 11. §. 1. τό τινος ἕνεκα. *Oritur enim à potentiâ activâ.* Caussalitas *fini gemina assignatur: una respectu efficientis, quod ducit, movet, & ad effectum producendum sui, ceu boni alicujus, desiderio*

Caussalitas finis gemina. 1.

siderio allicit. Hoc autem modo non motu movet finis evidenti; qui tantùm efficienti competit; sed, comparatè loquendo, Metaphorico, amoris & desiderij, quo sub ratione boni, vel veri, vel apparentis, agens ad agendum quasi exstimulatur & impellitur: Vt ita fundamentum finis, propter quod appetitur & cujus gratiâ agens agit sit bonitas in rebus sive vera sive apparens. Thom. 1. secund. q. 1. a. 1. & 3. cont. gent. c. 2. & 3. *Hinc Philosophus bonum & finem idem esse dicit.* 2. Phys. t. 31. & 1. Eth. c. 1. Omne quod appetitur sub ratione boni appeti do-
2. cet. *Altera finis caussatio respectu mediorum est, prout nimirum illis amabilitatem, bonitatem, ordinem & mensuram conciliat. Quandoquidem multa per se non amarentur, multò minus appeterentur: quæ tamen propter illud, ad quod consequendum conducunt, amantur & appetuntur. Atq; hoc sibi peculiare vendicat finis, ut actu non sit, dum actu caussat. Sufficit enim ut tum in mente agentis per cognitionem, vel in inclinatione rerum naturalium contineatur. Non verò propterea cum Avicenna.* 6. Meta. *& Soncinate.* 5. Metaph. q. 5. *censendum est, finem caussare tantùm secundùm esse objectivum & intentionale, quod in anima habet. Imo secundùm esse reale caussat, quod extra animum in re ipsâ obtinet.* 1. *Quia definitio finis competit fini non prout in animo, sed prout in re existit. Vt sanitas, propter quam agit medicus, non ea est, quam ipse in mente concepit: sed ea est finis medici, quæ in corpus induci potest.* 2. *Deinde is verus finis est, cujus præsentia replet appetitum agentis: At hoc non facit secundùm esse*

intentionale. Vnde rectè dixit Averroës. 2. Metaph. tex. 36. Quod est in animâ est agens motum: quod verò est extra animam est movens secundum finem.

Finis *quoq; variè dividi potest.* 1. Finis alius est principalis, alius secundarius. Principalis *est, ad quem omnia opera tendunt : hic tantùm unicus est.* Subordinatus *sive secundarius est, qui ad principalem tendit, & ad illum consequendum est necessarius : hujus generis plures possunt esse in re unâ : Quando itaq; dicitur,* unius rei tantùm unicum finem esse, *id de principali, non de subordinatis, intelligendum est; atque is finis, quia ultimus est, nunquam quæritur, nunquam in deliberationem cadit, uti autor est Philosophus.* lib. 3. Eth. c. 3. *quandoquidem is nunquam ignobilis esse vel proponi potest. Non itaq; de fine; sed de mediis perveniendi ad finem consultatio instituitur : Vt architecti finis est domus; qui quando operationem vult instituere, nunquam de illo deliberationem instituit, an nimirum domus sit extruenda : neque studiosus dubitat de suo fine, an velit fieri eruditus.* Finis divisiones. 1.

2. *Penè simili modo* Finis dividitur in externum & internum. Externus *finis est principalis & nobilissimus, qui actionem ultimò terminat & agentis intentionem plenè satiat :* Internus *est huic subordinatus, & habet quodammodo medij rationem.* Duplex *hic finis in artibus, ijsq; disciplinis, quæ quàm proximè ad illorum naturam accedunt, potissimùm observatur. Atq; ibi internus est is,* 2.

qui

qui in ipsis artibus earumq; operationibus manet, & ab eis nunquam divellitur. Externus verò non semper est in manu & arbitrio artificis vel artis, sed abesse potest artis essentiâ & operatione illæsâ. Vt artis piscatoriæ finis internus est ipsa piscatio, quæ, ut in arte continetur, ita neq; ab operatione abesse potest. Externus verò est piscium captura, quæ sæpissime piscationem non sequitur.

3. 3. *Aliam divisionem finis habet Philosophus* lib. 2. Phys. context. 24. 37. lib. 2. de animâ cap. 4. contex. 35. 37. In finem οὗ & finem ᾧ. Finis οὗ sive cujus, *est ipsa res, in quâ ratio boni invenitur: vel ut Pacius loquitur, est id, cujus consequendi gratiâ laborat agens.* Finis ᾧ sive cui, *est usus illius boni, vel adeptio rei: ut Finis οὗ in arte Architectonicâ est domus: finis vero ᾧ est in habitatio. Vel etiam finis ᾧ est, in cujus gratiam prior ille οὗ expetitur: verbi gratiâ, finis medicationis οὗ est sanitas ipsa: ᾧ verò ægrotus, cui medicus pro sanitate restituendâ advigilat.* Arist. lib. 2. Phys. t. 37.

4. 4. Finis alius producitur per actionem & motum. *Cujus respectu Philosophus Finem definit Terminum motus continui,* lib. 2. Phys. text. 23. *Huncq; in rebus immobilibus, hoc est, mathematicis inveniri negat* lib. β. Metaph. t. 3. Alius efficientem caussam præcedit, *eamq; movet, non quidem ut se producat, sed ut sibi conjungat. Sic* DEVS *est finis omnium rerum: & spirituum, nempe intelligentiarum* lib. κ. Metaph. t. 37. *& naturalium corporum* 2. de gener. & corrupt. t. 50.

Atq;

Atq; hæc breviter de caußis. Effecti natura ex hâc caussarum explicatione facilè intelligitur.

Theorema VII.

Caussatum est, quod ex causâ suum esse habet.

Effectum *vulgo vocatur per synecdochen, quod alias propriè respondet* caussæ efficienti, *ita ut res dicatur* effecta, *quatenus à caußâ efficiente dependet:* Caussatum *autem generale est, & respondet Græco termino* αἰτιατὸν, *qui generalem rei respectum ad caussam, qualiscunq; etiam ea sit, exprimit.* Effectum.

Vt caussa est quadruplex, ita & caussatum quadruplicem habet dependentiam: aliam ab efficiente, cujus respectu specialiter Effectum; aliam à fine, cujus respectu finitum; aliam à forma, cujus respectu formatum; & tandem aliam à materiâ, cujus respectu materiatum dici potest. Caussatum quadruplex.

Effectum est, quod à caussa efficiente dependet: *hoc est, res effecta dicitur, quatenus à caußâ efficiente dependentiam habet. Tot ergo jam erunt distinctiones, quot efficientis fuerunt: nempe quod aliud dependeat à caußâ vniversali, aliud à particulari, aliud ab vniversali & particulari simul. Vbi quæstio movetur:* an effectum plus debeat caussæ vniversali, an particulari. *Respondet Pererius* lib. 8. de causs. cap. 10. *Effectum partim debere plus caussæ vniversali, partim autem* Effectum quid sit. Quæstio.

particulari. Debet enim plus vniversali, quatenus ab eâ dependet non solùm in fieri, veluti à caußa particulari, sed etiam in esse & operari: quamdiu enim est, & quotiescunque operatur, eget concursu & ope vniversalis caussæ. Debet autem plus caussæ particulari, quatenus accipit & habet ab eâ conditionem, speciem & gradum naturæ, eique aßimilatur. Adde, quòd cum quæritur caussa alicujus effecti, non debet afferri universalis sed particularis & proxima: Vt si quæratur, quæ sit caussa hominis; non bene respondebis, esse Solem sed hominem. Vnde etiam definitiones & demonstrationes hujusmodi caussas præcipuè complectuntur. Porrò effectum aliud erit per se, aliud per accidens; aliud remotum aliud proximum &c.

Quæstio. *Quæri etiam hic potest*: an effectum excedere possit virtutem suæ caussæ efficientis. *Quatenus effectum est non potest. Certæ enim & immotæ sunt Philosophorum maximæ:* Impossibile est caussam toto genere esse deteriorem effectu suo. *Item* Caussa efficiens nihil largitur, quod non habet vel formaliter vel eminenter. *Sic Sol licet formaliter in se non habeat calorem, quem dat; habet tamen eminenter; hoc est, habet in se aliquod longe excellentius & dignius calore, nempe lucem purißimam. Item:* Quicquid est in effecto, præexistit in caussâ æque perfectè si sit univoca, perfectius autem, si sit æquivoca. *Item*: Nihil agit ultra speciem suam seu essentiæ proportionem. *Item*: Vt se res habet in esse, ita etiam in caussando.

Fini-

nitum est, quod à fine pendet. *st: Res finita dicitur quatenus fine determinata* — Finitum quid sit.


Materiatum est, quod à mate- pendet. *hoc est: Res materiata quatenus à riâ dependentiam habet. Tales res sunt corpora alia.* — Materiatum quid sit.

Formatum est, quod à formâ det. *hoc est: Res formata dicitur, quatenus à suum esse & dependentiam habet. Cæterum ho- mnium divisiones & subdivisiones facile intelli- r ex distinctionibus suarum caussarum.* — Formatum quid sit.

XERCITATIO QUINTA.

DE NECESSITATE ET CONTINGENTIA.

Typus hujus Exercitationis.



Theorema I.

Ens aut est necessarium, quod non po
non esse: aut contingens, quod potest non e

De

e caussis actum est: sequitur necessitatis ontingentiæ θεωρία. *Nam & hæc Entis af-* est, *ad id immediatè pertinens, ut nimirum sit* necessarium aut contingens. *Cujus conside-* *quia à præcedentibus dependet, (nam res in or-* *ad caussas dicitur necessaria vel contingens) or-* *ratio manifesta est. Diligenter autem hæc do-* *a de necessitate & contingentiâ observanda &* *da est, quippe quæ &* Theologo & Philo- *o jucundissima, utilissima & maximè necessa-* *idetur.* Quandoquidem Philosophus *in do-* *â hâc de necessitate & contingentiâ percipit &* *igere discit, qualis sit & cohærentia & ordinatio* *arum & effectuum: quâ intellectâ & perspectâ,* *e rerum necessitate duntaxat; verùm etiam de* *tiarum rectitudine rectè judicare ei erit haud* *ile.* Theologus *verò ex doctrinâ hâc occasio-* *sibi sumere potest ostendendi providentiam divi-* *neq; necessitati neq; contingentiæ obstare.*

Ordinis ratio.

Vsus hujus doctrinæ.

Cæterum nos formaliter necessitatem & contin- *iam considerantes*, Necessarium *dicimus* id, d non potest non esse: Contingens, quod est non esse. *Formalis namq; necessarij ratio in* *t, ut sit res, quæ quando est, non possit non esse.* *ingentis verò, ut necessario oppositi, formalis ra-* *n eo consistit, ut sit res, quæ quando est, respiciat* *m non esse. Quando enim est, potest non esse. Nam* *quidem verum sit illud Philosophi:* Omne quod uando est, necesse est esse: *loquitur tamen id* *taxat de necessitate hypotheticâ, quâ etiam con-* *ens necessarium dici potest.*

Formale necessarij & contingentis.

Theorema II.

Necessarium complexum enunciatio necessaria.

Necessarium aliud est complexum, a incomplexum. *Quemadmodum enim supra* E cit. 3. Theoremate 3. *Ens dividebatur in co xum & incomplexum; ita hoc loco necessarium contingens, in complexum & incomplexum re spescimus.* Iavell. lib. 5. Metaph. text. 6. q. *enim & consideratur necessitas, item conting vel in rebus, vel in propositionibus. Necessitas c tingentia, quæ in propositionibus est, est com Vnde etiam* necessarium complexum *di* Enunciationem necessariam, *nempe quæ ternæ veritatis, & terminorum habet cohærent leges & regulas propositionum apodicticarum gruentem. Hoc necessarium & contingens ad potissimùm spectat, qui, quemadmodum totam disciplinam in formalem & materialem divid & hoc ipsum dupliciter considerant: formaliter terialiter. Formalis consideratio est, quæ fit habitudinis terminorum, & habetur apud P phum* lib. 2. περὶ ἑρμ. & 1. prior. Analy *multæ de modalibus, in formâ necessitatem & gentiam habentibus, sine rei ipsius consideratio ponit. Atq; refertur huc propriè* necessitas co dictionis, *de quâ dicitur, quòd alterutra co ctoriarum enunciationum, licet non determin in sensu diviso sed composito semper sit necess ra, etiam in futuris contingentibus. Nam isthæ*

Necessitatis & contingentiæ duplex consideratio.

Formalis consideratio necess. & conting. complexi.

sitas non in simplicibus terminis invenitur: sed in lege & natura contradictoriæ oppositionis fundata est. Quæ porrò cum in affirmatione & negatione consistat, intelligitur necessarium, hoc modo sumtum, & consideratum, duplex esse: Affirmativum & negativum. *Matarialis consideratio est apud Philosophum* in libris posterioribus Analyt. *ubi plura de neceßitate materiæ agit. Ita necessarium consideratum, etiam* affirmativum & negativum *est: & affirmativum iterum dividitur: vel enim componitur ex terminis, quibus non respondet esse, ut Chymera est Chymera: vel componitur ex terminis, quibus esse respondet: idq; iterum duplex est: vel enim est simpliciter & absolutè necessarium, nempe quod constat terminis intrinsecis divinis: ut Deus est omnipotens, infinitus, æternus, summum bonum &c: vel quodam modo saltem necessarium, quod constat ex terminis significantibus Ens productum & factum sive creatum: ut homo est animal.* Et *notandum est, quòd omnia hæc necessaria dupliciter considerari possunt, vel habitâ ratione habitudinis subjecti & prædicati simul; vel subjecti tantùm: verbi gratiâ, complexum hoc:* homo est animal: *vel consideratur prout prædicatum per naturam suam simpliciter aptum sit convenire subjecto, sive* animal & homo *existat, sive non: cū* animal *sit de essentiâ & ratione* hominis. *Potest enim cōsiderari complexum hoc* ((homo est animal) *quatenus* homo & animal *actu existūt, & quatenus non potest esse* homo *actu, quin sit* animal *actu, quæ connexio per copulam significatur. Quocirca quando*

Materialis consideratio necessarij & contingentis complexi.

Nota.

ita intelligitur, actu homo est actu animal, est complexum reale actu. Subjectum *porrò* complexi necessarij *potest considerari, vel in sensu diviso, vel in sensu composito: Vt positi complexi* (homo est animal) *subjectum* (Homo) *accipitur in sensu diviso, quatenus consideratur* homo, *prout actu existit. Quemadmodum enim album dupliciter consideratur & sumitur, vel pro subjecto albedinis, vel prout actu stat sub albedine: ita homo considerari potest prout*
Quæstio. *homo est, & prout actu existit. Quādo itaq; quæritur, an necessarium complexum habeat caussam efficientem, non vno modo respondendum est. Quoddam enim*
Necessarium. *necessarium caussam efficientem habet, quoddam ea*
1. *caret. Primum itaq; necessarium constans ex terminis, qui neq; esse actuali, neq; esse potentiali respondent, caussam efficientem habere negatur. Ratio manifesta est. Nam omnis caussa efficiens dicitur & est efficiens vel ratione Entis producti, vel ratione Entis producibilis. Atqui necessarium complexum, constans ex terminis nudis, quibus nihil reale respondet, neq; productum, neq; producibile est: Ergo ejus efficiens*
2. *non datur. Deinde complexum necessarium compositum ex terminis, Ens divinum significantibus, nullam habet efficientem. Quòd enim Deus sit, nulla datur caussa: cùm sit simpliciter primus, absoluteq; absolutus & perfectè perfectus, adeoq; à nullo dependeat, originemve trahat.*
3. *Tertiò necessarium complexum ex terminis, significantibus Ens productum, compositum,* dupliciter *consideratur, vel in habitudine terminorum, quæ est resolutio rationis, vel in esse reali actuali: illo modo efficientem non habet.*

habet. Ens enim rationis, quatenus distinguitur contra Ens reale, à nullo effectivè & in nullo subjectivè esse videtur. Necessarium complexum, consideratum quoad esse reale actuale, caussam effectivam habet. Quod manifestum est: nam homo est animal, homine existente, est Ens reale actu. Omne Ens reale actu existens, aut est creatum, aut increatum. Est autem necessarium hoc compositum non increatum Ens: esset enim DEVS, quippe qui solus increatus est: Ergo est creatum. Quicquid verò creatum est, id habet caussam effectivam. Ergo & tale Ens complexum habebit caussam effectivam. Quærenti, quæ, qua- Quæstio. *lisve* illa caussa sit: *respondetur, quòd eadem caussa, quæ homini, itemq; animali dat existentiam, det quoq; homini, quòd existat animal. Quod enim alicui convenit secundùm id, quod est, eodem modo illud habet caussam sicut id, cui convenit: sed complexum necessarium, realiter consideratum, convenit rebus secundùm illud, quod sunt: Convenit enim homini existere animal, secundùm quod existit; quia homo aliter existere non potest: Implicat enim contradictionem, hominem existere, & non existere animal. Ergo hoc totum:* Homo est animal: *eodem modo habet caussam: sicut homo existens & animal existens. Atqui quilibet intelligit hominem existentem, & animal existens, habere caussam efficientem; non enim existunt à semetipsis: Ergo &c.*

Theorema III.

Necessitas incomplexa rebus

inest simplicibus, simplicią; termino effertur.

Necessaria incomplexa. *Hic agendum est de necesitate incomplexorum: ut* DEUS, intelligentia, cœlum &c. *sunt necessaria incomplexa. Circa necessarium hoc movetur*

Quæstio. *quoq́; quæstio:* An habeat caussam effectivam, nec ne? *Variè hic disputatur: Nos verò statuimus, excepto summo Ente, DEO optimo maximo, qui absolutè necessarium Ens est, omnia: intelligentias, cœlum, & similia necessaria incomplexa à suis caussis & per suas caussas esse: Cum nihil sit à semetipso, nihilą; æternum, præter supremum illud Ens, DEUM nostrum, à quo effectivè sunt omnia: quod ipsemet Philosophus,* lib. α ἐλάτ. Metaph. c. 1. contex. 4. *innuit, cum id, quod est maximè Ens & maximè verum, caussam esse Entitatis & veritatis in cæteris doceat: Atqui DEUS est maximè Ens: imò ipse solus reverâ Ens est, & reliqua omnia, collata ad Deum, non Entis rationem habent: Ergo est caussa omnium Entium: & per consequens necessaria incomplexa habent caussam effectivam.* Iavell. 12. Metaph. sup. text. ult. quæst. 28. *Quæ consequentia ita breviter probatur: Extra controversiam est apud Philosophum, Intelligentias non habere caussam materia-*

Intelligentiæ. *lem; cum careant omni materiâ,* lib. λ. Metaph. cont. 30. *neq́; formalem, cum sint simplices formæ, & formam formæ esse absurdum sit. Relinquitur ergo Intelligentias habere caussam efficientem & finalem simul: vel finalem tantùm. Si prius concessum fuerit, confirmatur sententia vera, nimirum intelli-*

gentias

gentias habere caussam effectivam. Si posterius, confirmatur idem: Nam quicquid habet caussam finalem, id quoq; habet caussam efficientē: Atqui omne Ens, præter primum, adeoq; intelligentiæ habent caussam finalem Arist. li. λ. Meta. text. 51. Ergo. Major est manifesta ex definitione finis. Nam finis sive caussa finalis est, cujus gratiâ aliquid fit, Arist. δ. Metaph. c. 2. Ergo omne, quod habet caussam finalem, habet id, cujus gratiâ factum est. Ab omnibus enim conceditur, etiam ab illis, qui effectivam caussam hic negant, cœlum, intelligentias &c. dependere à primâ caußâ, ut à fine: Ergo cœlum & intelligentiæ habent id, cujus gratiâ factæ sunt, & caussam effectivam habent. Dependere autem omnia Entia essentialiter à primo probari potest firmißimâ ratione. Nam si daretur aliquid in universo non dependens à primo Ente, non pertineret id ad universum: Quandoquidem unitas universi hujus in eo est, quòd omnia alia Entia habeant ordinem ad primum. lib. λ. Metaph. text. 51. Quodcunq; verò habet ordinem essentialem ad primum, illud à primo essentialiter dependet: Ergò omne Ens extra primum essentialiter à primo dependet. Hinc iterum infertur: quicquid dependet essentialiter ab Ente primo, illud ab eo est, ut à caussâ efficiente; atqui cœlum, intelligentiæ &c. dependent essentialiter à primo Ente; Ergo &c. Hinc ipsemet Commentator, qui alias nostræ sententiæ videtur contradicere, lib. 2. Metaph. Com. 4. cogitur concedere nulla Entia acquirere esse & veritatem nisi à primâ caußâ.

Omnia primo pendere

Theo-

Theorema IV.

Necessarium incomplexum aliud est simpliciter necessarium, aliud tantùm secundùm quid.

Ita arbitramur commodè nos dividere Incomplexum necessarium. Simpliciter necessarium dicitur Ens ratione cohærentiæ cum caussâ suâ necessariò agente, quæq; vel nunquam, vel difficulter, vel non frequenter mutationem recipit. Necessarium secundùm quid dicitur Ens, quod certâ hâc conditione, nempè quatenus jam est, necessariò existit. Estq; duplex: vel violentum, vel ex suppositione sive ἐξ ὑποθέσεως.

Violentum *vel contingit illis, in quibus est cognitio & dicitur* coactio, *nempe quando animal invitum aliquid facit, & contra voluntatem suam parere cogitur: vel contingit illis, quæ cognitionis facultatem non habent, & est præter ipsorum nutum ac propensionem, vocaturq;* violentum *in specie ita dictum. Alias generaliter quando voce hâc utimur, etiam de iis, quæ cognitione prædita sunt, dicitur, describiturq; in generali illâ significatione* violentum, cujus principium extrà rem est, ita ut nullam conferat vim ad id, quod patitur: *ut si quis violento impetu in alium ab aliquo trudatur, ut eum perpellat, necessitate coactus id fecisse dicitur, si modo displicentia in actione accedat. Ita nauta, ingruente tempestate, ventoq; jam jam navem quassante,*

ſante, ſi merces exoneret, quo vitam ſervet nec navim perdat, neceßitate coactus merces abjeciſſe dicitur, proindeq́ à magiſtratu quoq́ excuſatur. Verùm ſi quis irâ aliisq́ animi perturbationibus, item impietate impulſus & abreptus aliquid contra leges committat: is venia non eſt dignus, propterea quòd principium ſit internum, & rationis imperio poßit compeſci. Imò juxta legem Pittaci, *ebrij, ſi quem pulſaſſent, graviori pœnâ, quàm ſobrij plecti judicabantur.* Ariſt. lib. 2. de republ. cap. ult. & 3. Eth. Nicom. c. 7.

Neceſſitas ex ὑποθέσει ſive conſequentiæ *eſt propriè quoq́ rerum contingentium: quæ neceſſariæ dicuntur, quòd poſitis quibusdam neceſſariò ſequantur alia: vel, ut Philippi verbis utar, ſequuntur ex cauſsis, quæ non mutantur, cum mutari potuiſſent: vel, quia cum fiunt, contradictoriæ ſimul veræ eſſe nequeunt: ut neceſſum eſt puniri genus humanum magnis calamitatibus, quia cauſſæ non mutantur, hoc eſt, multorum ſcelera irritant iram* DEI. *Hoc nequaquam neceſſe eſt, ſed quisq́ (inquit Philippus) ſe regere poteſt diſciplinâ. Atq́ hâc occaſione accuratè notandum venit, quid diſcriminis ſit inter neceßitatem conſequentiæ & neceßitatem conſequentis. Non enim eædem, ſed ſunt ſpecies oppoſitæ.* Eſt enim conſequentis neceſsitas ipſius rei neceſſitas, quæ conſiſtit in eſſentiali cauſſæ & effectus dependentiâ, quando nimirum res ſequitur ex cauſsâ antecedente neceſſariâ: *vel, ut eam definit* Ant. Andr. 5. Metaph. quæſt. 4. *quando*

Neceſsit[as] ex ſuppo[ſi]tione.

Diſcrim[en] inter ne[ce]ſsitat[em] conſequ[en]tiæ & c[on]ſequent[is]. Conſe[-]quentis.

tàm

tàm antecedens quàm consequens in se est necessarium: ut cras orietur Sol, necessarium hoc est, non quidem necessitate consequentiæ sed consequentis: habet enim caussam necessariam, nempè naturæ ordinem à DEO sancitum. Item si homo est animal, necessariò est sensibilis.

onse- entiæ. Consequentiæ verò necessitas, *ut ex dictis intelligitur*, non est ipsius rei necessitas, cum illa sit in suâ naturâ mutabilis & contingens: sed illius est necessitas, quod ad rem illam positam sequitur: *vel, ut necessitatem hanc definit* Ant. Andr. loco allegato: *quando consequens non est necessarium, nisi posito antecedente; si tamen tàm antecedens, quàm consequens, sunt in se contingentia. Verbi gratiâ, si homo currit, movetur. Sic si homo aliquando lapsus est, necessum est* (sus minum mo- n.) *DEVM id ab æterno præscivisse, dicunt. Verum id est, si rectè intelligatur, & necessitas consequentiæ & consequentis rectè distinguatur. Labi in primis parentibus erat contingens & non necessarium: poterant enim non labi: illud autem quod sequitur, est necessarium, nempè DEVM ab æterno id præscivisse necessitate nimirum consequentiæ, non consequentis. Necessitas enim consequentiæ cum contingentia stare potest. Quemadmodum enim quem ego ambulantem video, illum necesse est ambulare, quam diu ambulare à me prospicitur: licet interim contingenter ambulet, cum possit ambulare & non ambulare: Ita DEVS quia omnia videt in uno nunc potentialiter, ut cum Scoto loquar* in Report. 1. d. 39. & 40. *quæ videt necessitate consequentiæ eveniunt,*

eveniunt, sed tamen Contingenter. Videatur Eusebius de præparat. Evang. lib. 6. August. de civitat. DEI lib. 5. cap. 9. & 10. Vives ibid.

Pertinent etiam ad hunc necessitatis gradum omnes promissiones & omnia decreta DEI, quæ limitationem sive conditionem habent annexam. Sic rectè dicitur: necessariò erit resurrectio mortuorum: quia DEVS de ea edidit decretum. Necessariò erit judicium extremum: quia DEVS id futurum promisit. Ad hunc necessitatis gradum is quoque referendus est, quem habet Philosophus lib. περὶ ἑρμ. c. 9. §. 11. τὸ εἶναι τὸ ὂν ὅταν ᾖ, καὶ τὸ μὴ ὂν μὴ εἶναι ὅταν μὴ ᾖ, ἀνάγκη: quod est, necesse est esse quando est: & quod non est, necesse est non esse quando non est. *Rectè hoc vocatur necessarium, (ut utar verbis Pacij super hunc locum) non* ἁπλῶς, *hoc est simpliciter; sed* ἐξ ὑποθέσεως, *id est, ex suppositione. Solem moveri (exempli caussa) est necessarium* ἁπλῶς. *Diem esse, non est necessarium* ἁπλῶς, *sed* ἐξ ὑποθέσεως, *si supponatur Solem esse supra terram: sic necesse est quidvis esse, si supponatur esse: quia non potest idem simul esse & non esse: implicaretur enim contradictio. Verbi gratia, si Aristoteles disputat, quando disputat, non potest non disputare. Non autem posse non disputare, est necessariò disputare, ut ex modalium propositionum consecutione intelligitur. Quando itaque disputat Aristoteles & non potest non disputare, tum necessarium est Aristotelem disputare, non necessi-*

Promissiones DEI.

necessitate consequentis: quia caussa disputationis non est necessaria & essentialis: quandoquidem disputatio in suâ naturâ contingens est, quæ fit necessaria propter conditionem additam, nimirum propter actum illum in hoc vel illo tempore, quo nimirum disputatio in hoc tempore existit: aliàs verò possibile erat non disputare, antequam disputaret. Tenendum itaq; est illos effectus simpliciter necessarios statuendos dicendosq; esse, qui habent caussam proximam necessariam: illos contingentes simpliciter, qui proximam caussam habent contingentem, ut ex sequentibus intelligitur: non igitur ad remotiores est transiliendum. Quocirca quoniam hi positi effectus caussam proximam contingentem habent: simpliciter necessarij non sunt: quando autem jam actu existunt, necessarij dicuntur, ne implicetur contradictio. Verùm de hiscè necessitatis gradibus propriè hoc loco non agitur; sed de ultimâ illâ necessitate, quæ fundatur in cohærentiâ caussarum & effectuum.

Theorema V.

Necessarium hoc quòd ἁπλῶς ita dicitur, aut est in generibus caussarum externarum efficientis & finis: aut in generibus caussarum internarum, materiæ & formæ.

Necessarium enim, simpliciter ita dictum, quia consistit in cohærentiâ caussarum & effectuum, merito

ritò etiam secundùm caussarum distincta genera distinguitur. Quomodo itaq; se habeat necessitas in genere caussarum efficientium, primo loco videndum est.

Theorema VI.

Necessarium in genere caussarum efficientium dividitur in independens & dependens.

Necessarium independens vocamus, quod primum est, & aliunde existere non potest. *Tale necessarium est Deus, qui cùm prima sit caussa & nihil præsupponat, absolutam & independentem necessitatem habet. Quod enim simpliciter primum, illud à nullo alio: quod à nullo alio, id à semetipso, per semetipsum, in seipso: Ergo verè Deus, ut eũ vocat Plato,* αὐτοφυὴς, *vel ut Scaliger eruditè & piè,* αὐταυτός. *Ergo sibi caussa, sibi effectum, sibi omnia, sibi semper: Summa, in Deo nulla caussæ vel caussati distinctio. Ergo quam diximus independentem necessitatem meritò Deo tribuimus.* Necessaria dependentia vocamus species in naturâ rerum, quæ voluntate Dei conditæ, è nutu ipsius Dei dependent. *Dicuntur itaq;* dependentia, *quòd neq; Entitatem, neq; necessitatem à se habeant, sed à suo conditore: Dicuntur* necessaria, *quòd necessariam essentiam & definitionem, adeoq; caussas necessarias proximas, habent.*

Independens necessarium.

Dependentia necessaria.

Esse autem in caussis naturaliter efficientibus quandam necessitatem (uti id in sequentibus demonstrabitur) omninò statuimus, si nimirum omnia actionum requi-

Actionum requisita.

requisita supra exerc.3.th.8. adsint: 1. Vt caussa habeat integram ac sufficientem virtutem: 2. Vt habeat subjectum passivum capax & sufficienter approximatum, uti loquuntur: 3. Vt medium, si quod interjectum est inter agens & subjectum, sit expeditum & agentis actionis capax: agentia enim naturalia in distans non nisi per medium agere possunt: 4. ut nihil detur impediens, sed ut virtus activa excedat: 5. Vt subjectum non sit in Termino, hoc est, ut non habeat totam formam per agens introducendam sive efficiendam: atq; hanc solam ob caussam gravitas non movet terram, quia in Termino, hoc est, in centro est: 6. Vt passum ab agente sit dissimile: 7. Vt caussa non sit libera: Quibus addunt. 8. Ne caussa naturalis sit æquè indifferens inter plures caussas. Videatur Scotus in 9. Metaph. quæst.14. Anton. Andr. quæst.1. Zimmera theor.112. *Quæ contra Magicos & Magicam artem excercentes, qui solis figuris, imaginibus, signis, & gesticulationibus, vel nocere vel prodesse, sive juvare putantur, notari volumus.*

Cur gravitas non moveat terram.

Dubium.

Circa ultimum verò requisitum dubitatur: an detur caussa naturalis æquè indifferens inter plures effectus. Suarez. disp. Metaph. 19. sect. 1. dist. 5. p.474. *Exempla, inquit, solent adhiberi multa: afferemus tamen ea, quæ sufficiant ad radicem hujus indifferentiæ explicandam.* Primum *est de igne existente in centro terræ, in figurâ circuli, qui secundùm omnem suam partem æquè distet à supremo loco: ille enim non moveretur in unam partem potius, quàm in aliam: quia nulla est ratio vel caussa determinans. Neq; etiam moveretur versus omnem partem: quia aliás*

tas divideretur in omnem suam partem. Secundum est de vitro perfectè plano superposito lapidi perfectè plano, super quod cadat aliud saxum perfectè planum: non enim franget illud; quia vel dividet in omnem suam partem, quod impoßibile est; vel nō est major ratio, cur quasdam partes potius, quàm alias dividat. Tertium vulgare est de bruto, habente duo simul objecta æquè amabilia, quod ad neutrum moveatur. Quartum de caussis superioribus valentibus efficere contraria, quæ ex se non possunt ad alterum determinari, si cum eâ indifferentia ad agendum applicentur. Quintum & difficilius est de omni caußa naturali, quæ licet definita sit ad formam efficiendam in unâ specie; est tamen indifferens ad varia individua illius speciei. Atqui concludimus cum eodem, Suarez, hanc cōditionem reducendam potius esse ad aliquam ex præcedentibus sive ad defectum alicujus. Quod itaq; attinet primum exemplum, dicimus ignem, tali modo constitutum, ab interno principio moveri non posse: ubiq; enim datur æqualis activitas & resistentia omnium partium. Ad secūdum: Impoßibile esse perfectè planum æquè primò supra planum perfectum cadere: vel separari posse; daretur enim vacuum: vel si non vacuū, aër in instanti repleret totum locum. Ad tertium: Neq; tale objectum naturaliter dari poterit: non enim possunt objecta illa æquè considerari & objici: Et si omnino objicerentur simul; tum etiam simul amarētur: ita tamen ut prius ad unum, quàm ad alium, distinctè dirigeretur amor. Ad quartum: dicendum, non dari "
aliquam caussam naturalem, quæ ex se sit æquè indif- "
ferens ad contrarios effectus producendos; sic Sol sem- "

Solutio dubij.

per eâdem neceßitate Physicâ agit, licet in aliâ atq; alia materiâ alium atq; alium effectum producat. Ad quintum. *Etsi virtus naturalis sit indifferẽs ad multa individua per modum caussæ superioris, universalioris, & sufficientis ad illa omnia: tamen particulariter applicata ad hoc subjectum patiens sive passum cum his circumstantiis, est naturaliter determinata ad talem formam in individuo efficiendam. Quando autem de neceßitate caussæ quæritur, quæritur de eâ non*
„ *nudâ; sed cum omnibus requisitis. Constat itaq; in*
„ *caußis naturalibus propriè loquendo indifferentiam*
„ *non esse. Fusius hâc de re disputat* Suarez loco alle-

Necessitas Physica.

„ gato & sequentibus. Necessitas itaq; Physica est, quando agens naturaliter non potest non talem edere effectum, propterea quòd illius natura ita ordinata est. *Vt ignis naturaliter urẽs, non potest non comburere: ita per naturam cælum non potest non moveri. Atq; dicitur hæc neceßitas tam ratione caussæ, quàm effectus. Et licet quidem neceßitas hæc immutabilis sit naturaliter (videtur enim tanta esse, ut non solùm per intrinsecam virtutem ipsius facultatis; verùm etiam per quascunq; alias naturales caussas auferri non poßit aut impediri, quo minus prodeat in actum): auferri tamen & impediri potest vi omnipotentis Dei. Atq; id propterea, quod omnis caussa naturalis neceßitate naturæ agens, dependeat (quæ etiam inter conditiones caussarum naturali neceßitate agentium numerari solet) à primâ caußâ, nempe à Deo, vimq; agendi ab eo obtineat. Vnde intelligitur quòd solus Deus poßit edere miracula; cum solus naturæ ordinem mutare sciat. Hinc Deo jubente stetit sol immo-*

Necessitas naturalis auferri potest omnipotentia Dei.

Miracula sunt Dei propria.

immotus in medio cæli. Ios.10.v.13. *hinc ignis in fornace Babylonicâ injectos pueros non comburebat, astantes consumebat.* Dan.3.v.94.

Differentia igitur inter Deum, & alia agentia creata, sive naturalia, in ijs est. 1. *quòd positis omnibus, quæ extra Deum requiruntur, ad actiones naturalium agentium, potest ipse solâ suâ voluntate impedire actionem, negando id, quod ex parte suâ necessarium est: ut Deus impedivit actionem ignis, negando igni concursum suum, hoc est, non applicando virtutem suam ad operandum cum igne: aliud certè hic mens cogitare non potest: cum per resistentiam vis urendi non impedita sit.* 2. *Quod non positis omnibus requisitis naturalibus, illa, quæ desunt, voluntariâ & omnipotenti suâ actione supplere, atq; ita effectum producere potest. Atq; hinc sine virili semine, sed virtute altißimi & obumbratione Spiritus sancti virgo fieri potuit gravida & parere filium. Hoc verò aliæ res creatæ non possunt. Primùm non possunt naturalem actionem solâ suâ voluntate impedire, negando id, quod ex parte suâ necessarium est, sive sint liberè agentes sive naturales: & liberè agentes, sive sint angeli, sive diaboli, sive homines. Diabolus itaq; dicto modo suas vetulas & incantatrices in igne conservare nequit: quia ignis actio à diabolo non dependet. Neq; naturales hoc possunt. Nam naturales concurrentes adjuvant & promovent naturalem actionem, nec possunt eam non promovere. Impedire autem possunt tantùm per actionem vel resistentiam oppositam, aut quia per aliquam motionem localem possunt aliquod impedimentum ponere, vel materiam, aut aliam conditio-*

Discrimen inter Deum & alia agentia.

1.

2.

Virgo gravida sine viro.

Liberè agentes.

ditionem auferre. Quando autem necessario caussæ non concurrunt, nihil efficere possunt. Atq; hinc videre est, quid sit statuendum de nonnullorum disputatione de duplici opposità & contraria vel contradictorià veritate, Philosophicâ & Theologicâ. Veritas simplex & una est: & Philosophica axiomata vera Theologiæ subordinantur, non opponuntur vel contrariantur. Semper enim & Theologicè & Philosophicè. (Intelligimus autem veram & genuinam Philosophiam, non opiniones absurdas, ex Ethnicismo in Philosophiam invectas, variorum Philosophorum; cum semper distingvendum inter artem & artificem, inter Philosophiam & Philosophum, nec error artificis arti, nec Philosophi Philosophiæ imputandus sit.) verum est, ignem virtute naturali non posse non urere; & iterum semper & Theologicè & Philosophicè verum est, virginem virtute naturali non posse parere filium: & iterum & Theologicè & Philosophicè verum est, fieri posse, ut virgo virtute divinâ filium pariat. Quis enim adeo hospes in Logicâ, qui hæc contradicentia statuere possit:

Veritas una est.

Natura non facere potest, ut ignis non urat;
Deus facere potest, ut ignis non urat.
Natura facere non potest, ut virgo pariat filium.
Deus facere potest, ut virgo pariat filium.
Natura non facere potest ex nihilo aliquid:
DEus facere potest ex nihilo aliquid?

Cùm enim ratio contradictionum sit, ut idem de eodem, respectu ejusdem affirmari debeat & negari; quidem, respectu ejusdem affirmari debeat & negari; quicunq; vel Philosophorum vel Theologorum hæc con-

Ratio contradictionis.

tradictoria adservare audebit, vel statuere; fieri non posse ut ignis, propterea quòd necessariò naturaliter urat, virtute divinâ non urat: & fieri non posse, ut virgo, propterea quòd naturaliter filium non pariat, virtute divinâ filium pariat: & Deum, propterea quòd naturaliter ex nihilo nihil fiat, aliquid ex nihilo producere non posse? Necesse enim est, illum aut idem esse Naturam & Deum, creaturam & creatorem statuere; aut Stoicorum vanis & absurdis opinionibus, Deum ad caussas secundas alligantibus, adstipulari. Quemadmodum enim Stoici propter ignorantiam graduum necessitatis Deum caussis secundis alligabant; ita qui contrariam, & è diametro oppositam contradicentemq; veritatem fingit, Theologicam & Philosophicam; hosce gradus non rectè distingvere videtur. Quod studiosis tam Philosophiæ, quàm Theologiæ ulterius & accuratius considerandum relinquo.

Theorema VII.

Necessarium independens tantùm est absolutum: Dependens est partim absolutum, partim determinatum.

Absolutum illud est, quod à perfectione rei oritur, cujusq; actio vel omninò vel secundùm quid impedimentũ externum perpeti nequit, & opponitur cõtingentiæ, *uti loquũtur*, extrinsecæ. Cũ *igitur* Primũ Ens *sit omniũ perfectissimũ; sequitur, quòd hæc necessitas primò illi cõpetat, ejusq; actionẽ nihil impedire possit. Hâc necessitate rectè dici potest*, Deũ *creasse mundum ex nihilo & quidem in*

Absolutum independens.

tempore: siquidem nullum externum obstaculum ejus voluntatem impedire potuit. Verùm conservatio rerum non simpliciter ex hoc necessitatis gradu est pensitanda: ,, *ibi enim non ad primam statim caussam & providentiam divinam est recurrendum, quando de necessitate & contingentiâ quæstio instituitur: sed considerandum, qualis sit ratio caussarum secundarum ad effecta, exindeq́ de necessitate & contingentiâ est statuendum & pronunciandum.* *Nam omnis caussa agens cum conditione, tali modo agere dicitur, qualis ipsa in se est conditio annexa. Vt autem Deus sapientissimus, ita etiam opus Dei est sapientissimè effectum, constitutum & elaboratum: pulcherrimum itaq́. Nam quod sapientissimè à sapientissimo est efformatum, id pulcherrimum sit oportet: quod pulcherrimum est: id quoq́ optimo ordine dispositum est: Optima autem dispositio in variis & distinctis est speciebus. Vt igitur in partibus hujus universi esset pulchritudo, esset dispositio, ordo, subordinatioq́ optima, non omnes æquè perfectas, sed alias necessarias, alias contingentes esse voluit omnipotens & sapiens* DEVS. *Quare illis rebus, quas voluit contingenter fieri, contingentes & liberè agentes caussas attribuit: rebus contrà, quas necessariò fieri placuit, caussas adornavit necessarias, determinatas, naturaliterq́ deficere nescientes, atq́ id propter universi hujus complementum & perfectionem. Vt itaq́ Deus res & partes hujus universi creavit; ita easdem providentiâ suâ conservat, regit, gubernat. Atq́ hujus caussæ necessitas dici potest absolutè absoluta, vel independenter absoluta.*

Deus sapientiss.

Caussa-

Caussarum naturaliũ necessitas *quidem absoluta dicitur: verũ secundùm quid: quandoquidem omnes à primâ caußâ, simpliciq́; ejus neceßitate aliquo modo deficiunt, & quò longius ab illius perfectione recedunt, eò minorem & imbecilliorem continent neceßitatem.* Absolutum dependens.

Summa neceßitas Physica videtur esse in motibus cœlestibus; quandoquidem in illis optima est æquabilitas, nulla contrarietas, nulla resistentia, nullum impedimentum. Hinc corpora cœlestia infallibili constantia suas repetunt vicißitudines, ac per eadem semper intervalla ad eadem puncta, unde erant digressa, certo, determinato, & infallibili tempore redeunt. Ita motus Lunæ, ejus quòd incrementa & decrementa ad certas leges sunt determinata: Item Eclipses certo temporis puncto in ordinem revoluuntur, & quidem Solis in conjunctione, Lunæ in oppositione. Idem quoque de elementis, secundùm totum consideratis, dicitur. Neceßitate enim hâc Physica singula elementa secundùm totum, suum occupant locum. Ita terra in centro consistit: quam includit aqua; aquam aër; aërem ignis; ignem sphæra lunæ &c. quem ordinem nulla Physica caussa impedire potest: DEUS verò omnia ista liberè potest immutare: Nam ut verè Philippus cecinit: Necessitas summa in motu cœlesti.

Non DEUS est numen Parcarum carcere clausum,
Quale putabatur Stoicus esse DEUS.
Ille potest Solis currus inhibere volantes,
Ille velut scopulos flumina stare jubet.

Si progrediamur ad ordinem caussarum universalium & particularium, in quo pulchritudo hujus

Caussæ universalis & particularis efficacia.

universi potißimùm consistit; observamus quidem necessitatem quandam, tum ratione corporum cœlestium, sive caussarum universalium: tum etiam ratione particularium. Verùm longè minorem & imbecilliorem, quàm in superioribus illis, jam enumeratis. Ibi enim per caussas naturales nullum impedimentum; hic verò aliquid obijci potest. Vnde hic magis permixta est contingentia, quàm ibi. Exemplis *res est manifesta. Maximus solis æstus est sub zona torridâ, adeo ut veteres arbitrati sint meridionalem terræ plagam inaccessibilem & inhabitalem esse. Quod licet nonnullis in locis verum esse observaverint* Lusitani; *constat tamen sub æquatore regiones nonnullas fertilißimas esse, idq; sine omni dubio, propter multitudinem fluminum illis in locis scaturientium, quæ maximum illum solis ardorem mitigant & leniunt. Hæc itaque caussa inferior contraria impedit efficaciam superioris & universalioris: Vnde universalis ejus effectus non sequitur, sed particularis. Sic motus primi mobilis ab ortu in occasum secum rapit Oceanum: quod optimè observant nautæ* Americam occidentalem *petentes, qui iter suum triginta dierum spacio absolvunt: Verùm vix tribus mensibus Hispaniam repetentes.* Lusitani *idem experiuntur versus* Indiam orientalem, *&* Hollandi *versus* Hispaniam *navigantes. Verùm hunc motum in mari mediterraneo non observabis: Ibi enim cùm angustiæ Herculeæ mare intercludant & exitum impediant, in orbem retorquetur. AEstus quoque maris sequitur motum Lunæ: At in partibus Oceani, sub æquatore sitis, nullus est: in mari verò rubro minus.* Ex

Lusitani.

ximus. Ex quibus luce meridianâ clarius est, effe- "
ctus cœli & caussarum universalium, pro diversâ "
dispositione caussarum inferiorum etiam naturali- "
ter impediri posse. Vnde in ejusmodi effectis con- "
tingentia quædam est conspicua. Quemadmodum plura exempla infra de contingentiâ agentes, enumerabimus.

Necessarium determinatum est, quod ex determinatione caussæ ad effectum, uno eodemque modo producendum, oritur, & opponitur contingentiæ intrinsecæ, vel contingentiæ (*ut loquuntur*) ad utrumlibet. *Quem necessitatis gradum* DEO *tribuere non possumus: sed potius statuendum esse censemus, omnia à* DEO *liberè & contingenter, contingentiâ nimirum intrinsecâ, esse creata & producta, atque adhuc etiam conservari. Reperitur verò in omnibus caussis naturaliter agentibus, nempe quæ semper uno eodemq; modo agunt, nisi forsan illarum actio externo quodam objecto impediatur, atq; contingentia extrinseca oriatur. Cùm autem necessitatis hic gradus exactè opponatur contingentiæ intrinsecæ, sequitur, quòd hæc contingentia in agentia naturalia nullo modo cadat. Hac necessitate ignis semper calefacit: quia ex se & per se non potest non calefacere: Ita Eclipsis solis semper fit in novilunio; & per motum, virtutemq; cœli naturaliter insitam & propriam non potest fieri, nisi talis sit conjunctio &c.*

Necessarium determinatum.

Theorema VIII.

Necessitas à fine quæ oritur, duplex

duplex est: vel est ex suppositione finis, vel expedientiæ.

Necessitas hæc, quia propè accedit ad necessitatem ex hypothesi, quòd sit necessitas quidem, sed præsupposito hoc vel illo fine, ultimum absolutæ necessitatis gradum tenere, adeoque ultimo loco explicari debuisset: Verùm nos distributionis nostræ catenam observantes, necessitati, quæ ab efficiente est, hanc statim subjungimus, eamq; duplicem facimus; ex suppositione ipsius finis & expedientiæ.

Necessitas ex supposito fine. Necessitas ex finis suppositione est, quæ tanquam concaussa rei adest, ita ut sine ea non liceat esse vel subsistere: *ut omni animali necessaria est respiratio, & nutritio, necessitate hâc finis, nempe ut vivere possit. Si enim animal vivere debeat, necesse est respiret & nutriatur. Item omni rei naturali necessaria est materia, necessitate hâc finis, ut generari possit. Si enim generari res in natura debet, necesse est materiam præstò esse: quia naturaliter non fit aliquid ex nihilo, sed ex aliquo. Ita ad conservandas rerum perpetuas vicissitudines, in inferioribus pluralitas motus est necessaria. Ob commodam hominum, omniumq; animalium habitationem necessarium est terram quiescere. Homini necessarius est somnus ad virium restitutionem &c.*

Necessitas expedientiæ. Necessitas expedientiæ est, quando aliquid requiritur, sine quo non licet bonum aliquod acquirere. *Atq;* necessitas hæc duplex est, aut simpliciter confert ad esse rei, *ut quæ in materiâ propter finem sive formam expetuntur:* aut ad

melius

melius esse, *ut quæ parantur ab hominibus ad commoditatem vitæ: ut susceptio itineris propter divitias acquirendas: & qui fluvium transire velit, expeditius & commodius multò navi aut ponte transibit, quàm vado: Est itaque navis vel pons illi necessarius, sed necessitatis hoc gradu: Ita commodiùs ad sedendum est scamnum, sive sella, quàm quod scamnum sive sella non est: Scamnum itaq; vel sella ad cõmoditatem sedendi necessaria est. Sic propter commodiorem Philosophiæ cognitionem necessarium est, Logicam addisci separatim: alias enim confunditur* ἐπιστήμη καὶ τρόπος τῆς ἐπιστήμης, *quod prohibet Philosophus* lib. ά. minor. Metaph. cap. 3. & ult.

Theorema IX.

Necessitas formæ est, quæ formam sequitur. Oriturq; necessitas hæc tam à formâ immateriali, quàm à formâ materiali, totali nimirum & partiali.

De Necessitate, ex caussis externis ortâ, hactenus: quæ ex caussis internis est, sequitur, vocaturq; IMMUTABILITAS: *quandoquidem caussæ internæ*, materia & forma, *immutabilitatem rebus afferre videntur: eo quòd illas, ut principia interna & necessariò immanentia, constituant: Unde etiam, quæ ab illis fluit necessitas, in rebus naturalibus summa est, & rectè* immutabili-

tatis

tatis necessitas *dicta: quippe quæ sine contradictione mutari nequit, adeoq; nullo modo mutari potest.*

Manifestum hoc est de necessitate ex formâ orta: Homo enim necessariò per suam formam homo est, nec fieri potest, ut præsente illâ formâ & materiâ, non sit homo: quemadmodum neque fieri potest, ut ablata humana formâ sit homo. Necessitas hæc formalis à Philippo necessitas definitionis *dicta est. Quemadmodum enim forma definit & determinat materiam: ita definitio describit vel circumscribit definitum sive subjectum, potiorq; pars definitionis à formâ petitur. Et quemadmodum negatâ formâ, negatur formatum & contra; ita negatâ definitione, negatur necessariò definitum:* Cui enim non competit definitio, ei neq; definitum, & contra. *Vocatur etiam* necessitas demonstrationis, *quandoquidem accidentia, ut ex Logicis discimus, de subjecto demonstrantur, per propriam & simpliciter proximam caussam sive definitionem. Quocirca si fingatur oppositum eidem secundùm idem, respectu ejusdem, fit implicatio contradictionis: ut si trigonus non habet tres angulos, non est trigonus.*

Necessitas definitionis.

Theorema X.

Necessitas materiæ est, quæ conditiones materiæ sequitur.

Necessitas formæ quoq; fuit: de necessitate materiæ tandem quædam sunt subjicienda. *Vt itaq; se habet materiæ natura: ita etiam est necessitatis ratio. Hinc omne generabile & corruptibile, sive omne, quod generatur & corrumpitur, necessariò materiam*

Necessitas materiæ.

materiam habet;sed non contra,omne quod materiam habet,generatur & corrumpitur,ut cœlum materiam quidem habet,neq; tamen generationi neq; corruptioni est obnoxium. Arist. lib.1.& 2. de cœlo.lib. de mundo c.2.*Neq; absurda hæc nostra sententia est in ipsa Theologia:Vera enim Theologia cum verâ Philosophia generationem cœli negat. Quandoquidem* generare est ex præexistēte materiâ aliquid formare & producere.*Creatum esse cœlum,vera Philosophia non negat simpliciter,sed probabiliter asserit. Hinc Philosophus* li.1.Top. c.11.§.3. *non dicit mundum esse æternum ; sed inter problemata Logica illam quæstionem numerat,de quibus inquit:* Problemata sunt, quorum sunt Syllogismi contrarij: *& addit rationem :* quia dubitationē continent,utrum sic se habeant; an secus,propterea quòd in utramq; partem sunt rationes probabiles. *Ergo etiam secundùm* Aristotelem, *Philosophum Ethnicum, rationibus probabilibus dici potest mundum creatum, atq; ita ex nihilo (* Creare enim est ex nihilo aliquid facere) *productum esse ; Cùm secundùm* Aristotelem *mundum generatum esse, nullo modo concedi possit. Quod autem probabiliter asserit vera & germana Philosophia ; id vera Theologia confirmat : In cujus confirmatione vera Philosophia,ut obsequens ancilla,quiescit. Hinc utrumq; verum est,& creationem ratione humanâ videri, quod inculcare videtur Apostolus Paulus*Rom.1.20.Nam, *inquit,* quæ ejus sunr invisibilia dum per res conditas intelliguntur,ex creatione mundi pervidentur,æterna scilicet ejus, tum potentia,

Cœlum non generari.

Creare.

tia, tùm divinitas: *& deinde fide Catholicâ confirmari & credi, quod habet Symbolum Apostolicum, ubi quisq; confitetur:* se credere in DEUM, patrem omnipotentē, creatorē cœli & terræ. *Videt itaq; aliquo modo τὸ ὅτι, quòd mundus creatus sit, ratio nostra: quia verò actio illa supra captum rationis, fides conjungenda est, fitque simul creatio hujus universi ex nihilo, articulus fidei.* Notandum autem est, *quando ita conferimus veritatem Philosophicam cum Theologicâ*, nos agere de veritate & fide historicâ, non salvivificâ. *Verum itaque etiam tàm Theologo quàm Philosopho; quodcunq; non generatur naturali vi, id quoque non corrumpitur vi naturali: nam quicquid vi naturali corrumpitur, ex eo, aliud generatur; cum unius corruptio sit alterius generatio: & quemadmodum ex nihilo nihil fit virtute & necessitate naturali; ita etiam virtute & necessitate naturali aliquid non desinit in nihilum.* Corrumpitur *autem & corrumpi potest, dicit cum verâ Theologiâ sincera Philosophia corruptione supernaturali, nutu videlicet & jussu omnipotentis* DEI; *quæ corruptio, ut ita loquar, metaphorica est, cum propriè sit annihilatio. Vt itaq; ad rem revertamur, quando in communi axiomate dicitur:* materiam esse potentiam contradictionis: *omnem quidem quodammodo materiam intelligere possumus; sed non omnis contradictionis. Quo solvitur argumentum A*verrois *in hunc modum disputantis: Materia est subjectum contrariorum: Ergo & generationis & corruptionis: Atqui cœlum neque generatur neq; corrumpitur: Ergo cœlum non habet materiam.* Re-

Materia est caussa contrarietatis.

sponde-

spondetur ad Enthymematis consequens, quòd non rectè educatur & colligatur ex antecedente ob dictam rationem, quòd nimirum omnis materia sit caussa contrarietatis; sed non omnis cujusvis. Licet itaq; contrarietas generationis & corruptionis in cælo non sit; nihilominus necessariò ponenda in cælo est contrarietas: datur enim in illo, ut loquamur cum Scaligero, unde & quò. Necessitate verò absoluta materiam sequitur quantitas. Vndè rectè infertur: quodcunq; est quantum, id necessariò habere materiam: Cælum est quantum: Ergo Cælum necessariò habet materiam.

Cœlum habere materiam.

Non autem tantùm respectu materiæ primæ, ejusq; potentiæ, quæ in ea est, necessitas in rebus oritur; sed etiam secundarum materiarum ratione. Hinc non adeò absurdè statuitur, primam materiam cæli communem quidem esse cum cæteris elementis; materiam verò secundam ad solam formam cæli esse restrictam. Propter materiam itaq; secundam, semper & necessariò formam suam appetentem, appetituq; suo, quem cõplacentiæ sive dilectionis, vocant, se necessariò & semper cum suâ formâ vnientem, fit quòd cælum non generetur, neq; corrumpatur. Complacentia autem inde oritur, quia forma cæli in naturâ est forma perfectissima & optima, ad quam formam quia res sublunares pervenire non possunt, nunquam desiderium recipiendi formam aliam in illis expletur. Quia itaq; materia cæli perfectissimam formam habet; illius desiderio satisfactum est. Vnde impossibile est, ut possit teneri desiderio amplius recipiendi aliam formam; cum natura semper tendat ad perfectius; omnes verò aliæ formæ, collatæ ad cæli formam, sint imperfectæ; il-

Cæli forma perfectissima.

lius autem, uti dictum, in naturâ sit formarum corporearum perfectißima. Deinde quando forma materiam informat, oriuntur in eâ, nempe ex congressu materiæ & formæ, quædam proprietates peculiares, & quidem necessariò, ita tamen, ut aliæ magis à materiâ, aliæ magis à formâ, dependeant: Verbi gratiâ, risibilitas est affectio, quæ oritur ex formâ specificâ, ita tamen ut sit forma illa in tali subjecto & materiâ. Quocirca à formâ quidem est; sed ita ut producatur in tali materiâ: ita à materiâ in metallis est ductibilitas: si enim esset à formâ, tum omnia metalla non essent ductibilia: Atqui ductibilia sunt. Ergo. Ibi autem est major ductibilitas, ubi est materia purior, verbi gratiâ, aurum magis ductile est, quàm ferrum; In illo enim plus & purius est argentum vivum. Unde materia non adeò impedita, magis suam proprietatem demonstrat. Ad necessitatem hanc materiæ & formæ, omnes Mathematicæ affectiones referuntur, quæ consequuntur Quantitatis est figuræ essentiam: licet interdum ob demonstrationum certitudinem & evidentiam maximam, per quandam externam affectionem, non eâdem necessitate cohærentem, demonstrentur. Ita Trigonus habet tres angulos æquales duobus rectis, quatenus trigonus: Quadrilaterum habet quatuor angulos æquales quatuor rectis; quia ex duobus trigonis est compositum &c. Atq; hæc de necessitate.

Ductibilitas metallorum unde.

Mathematicæ affectiones.

Theorema XI.

Contingens aliud est in universali, aliud in particulari.

Sequitur contingentia, *quam facilè intelligimus,*

nimis, quando praecedentia, quae de necessitate proposita sunt, tenemus. Contingentia *namq;* est mutabilitas, quae opponitur necessitati. *Cùm enim omnia necessaria esse nullo modo ferat natura, necesse est dare quandam contingentiam & mutabilitatem.* Contingentia, an sit:

Quae porrò esse in hunc modum probatur: Primum *quidem ipsorum sensuum judicio. Videmus enim & observamus multa in rerum naturâ sic se habere, ut possint esse & non esse, atq; proinde fieri & non fieri; ut hominem nasci bipedem, unum caput, duas manus, & in singulis manibus quinos digitos habentem, ferè semper ita contingit: nonnunquam tamen aliter accidit. Maximam hanc rerum evidentiam, & tàm constans sensuum judicium, qui negat, ille audiendus non est; sed ex Philosophiâ explodendus. Et rectè faceteq;* dixit Scotus in 1. sent. dist. 39. eos (*nimirum negantes contingentiam*) tormentis exponendos esse, & tamdiu cruciandos, donec concedant possibile esse, se non torqueri. 1.

Secundò contingentiam esse in sublunaribus, tali probatur demonstratione: Quodcunq; habet materiam, potentiam contradictionis ad esse & non esse, est contingens: Atqui omnes res sublunares habent materiam, quae est potentia contradictionis ad esse & non esse. Ergo res sublunares sunt contingentes. Demonstrationem hanc esse à priore rectè Perer. lib. 9. de comm. omn. rer. nat. prin. & aff. c. 12. p. 535. *educit* ex Aristot. *qui* lib. ζ. Met. text. 22. lib. 1. de caelo tex. 136. *docet materiam caussam esse, cur res possint esse & non esse.* 2.

Tertiò videmus multa futura pendere, tanquam 3.

à suo principio, à voluntate, deliberatione, & actionibus hominum liberis, quòd fieri non posset, si omnia essent necessaria, & nulla contingentia. Antecedens qui negat, contradicit omni authoritati, universæq; antiquitati, nec non rectæ rationi. Hominem enim sæpius operari liberè, probatur partim authoritate, partim ratione. Autoritate quidem primùm omnium Philosophorum: Plato *hominem in multis actionibus suis non ferri necessitate, sed voluntate suâ & libertate, testatur, ut videre est ex* Gorgiâ & lib. ult. de Republicâ. Arist. lib. 3. Eth. *statim ab initio libertatem voluntatis humanæ totius moralis disciplinæ statuit fundamentum,* & lib. 9. Metaph. c. 12. & seqq. *distingvit potentias rationales & irrationales, illisq; tantùm concedit & attribuit internam vim per se operandi contraria, internam nimirum voluntatem. Imo ipsimet* Stoici, *ut testis est* D. Augustinus lib. 5. de civit. Dei c. 10. *à necessitate fati, quam aliis in rebus asserebant, voluntatem humanam excipiebant. Et ex* Plutarcho lib. 1. de placitis *refert* Vives, Stoicos *idem cum* Platone *de libertate voluntatis humanæ statuisse. Et* Cicero *propter summam rei evidentiam, divinam negavit præscientiam, ut libertatem hominis defenderet: putavit enim hanc cum humanâ libertate pugnare* lib. de divinat. & nat. Deor.

Hominem liberè operari.

Patres etiam & Sholastici omnes nostram de libertate humanâ sententiam constantissimè defendunt. Damasc. lib. 2. de fide. c. 25. August. Tom. 1. tribus libris de libero arbit. item Tom. 7. disputans contra Pelagium. Eusebius lib. 6. de præ-

parat. Evang. per totum. Greg. Nissen. in ultimis quatuor libris de Philosoph. qui ei attribuuntur & reperiuntur apud Nemes. lib. de nat. hominis. Irenæus lib. 4. c. 71. *Posuit Deus, inquit, in homine* ἐξουσίαν προαιρέσεως *potestatem electionis, quemadmodum & in angelis.* Et Chrysosthomus hom. 60. in Matth. ἐξουσίαν *opponit* ἀνάγκῃ. Hieronymus lib. 3. dialog. *dicit, græcis appellari* αὐτεξουσίαν, *quod Latini vocant liberum arbitrium.* Tertullianus *appellat libertatem & potestatem arbitrij: Item liberum, inquit, & sui arbitrij, & suæ potestatis invenio hominem à Deo institutum.*

Ratione probatur: *Si enim nulla in rebus contingentia, nulla quoq; erit in rebus moralibus libertas, nulla in homine liberè agendi facultas. Quod argumentum maximè contra* Stoicos *inculcat* Plotinus, *uti videre est* En. 2. lib. 1. & 2. En. 3. lib. 1. & apud Marsil. in sum. de fato ad Med: *Si porrò nulla liberè agendi facultas homini sit concedenda, quare utimur discursu deliberationeq;, ut in unam partem potius inclinemus, quàm in aliam? ad quid usitatus ille modus gubernandi actiones humanas per leges, per præcepta, per admonitiones, exhortationes, reprehensiones, præmiorum promissiones, pœnarum comminationes; omnia nè essent supervacanea? Et sanè, si nulla libera actio est tribuenda homini, neq; vitium neq; virtus in homine erit. Rectè enim* Damascenus lib. 2. de fid. c. 7. *ait, neq; virtutem neq; vitium esse in eo, quod à necessitate fit. Idem docet* Augustinus lib. de verâ relig. c. 13. & 14. & Epist. 46. *ablato libero arbitrio, ait, auferri judicium & justam pœnam*

vel etiam objurgationem. Nam necessitas hæc & Fatum esset caussa peccati, & non voluntas, vel arbitrium peccantis: recteq; apud Lucianum *se fur excusasset per id, quod fato coactus fuisset ad furtum: cui tamen optime respondit Iudex: Ergo nunc fato quoq; cogeris ad patibulum.* Videatur etiam hac de re August. lib. 5. de civit. Dei c. 8. Eandem sententiam confirmat Dionysius c. 4. de divinis nominibus. Chrysostomus hom. 60. in Matth. item in orat. de provid. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromaton &c. Videatur etiam Arist. lib. 3. Eth. c. 5. & lib. 7. eor. c. 3.

Caussa contingentiæ ubi sit.

Cum itaq; voluntas hominis liberè agat, & cum δυνάμει ἀντιφάσεως, *nemo negabit eam caussam contingẽtiæ in rebus humanis esse. Dantur porrò caussæ per accidens, quæ nullâ necessitate aut respiciũt, aut effectum inferunt; ut sit effectus:* Cajus occiditur: *educatur ex caussis:* exivit domo, quæsivit fontem *(forsan ut biberet): ad illã autem caussam sequatur aliud, nẽpe,* invenitur ab inimico, lethaliter vulneratur, & occiditur. *Quis hic dicet, quòd* Cajus exiverit domo, *per se caussam esse & quidem necessariam, itemq;* quod quæsiverit fontem, *vulneris & occisionis? Potest etiam idem effectus diversis existere caussis. Potest quis interire aut per violentiam, aut per infirmitatem sive morbum. &c. Non igitur necessariò effectus vni caussæ determinatæ semper adscribitur.* Contingens itaq; in natura datur.

Objectio.

Objiciunt nonnulli providentiã divinam, quam putant rebus simplicitẽ inferre necessitatem, ut Cic. lib. 2. de divinat.

Resp.

Sciendum autem est, providentiã divinã rebq nullam afferre fatalem necessitatem. Quemadmodum

modum enim visus humanus (ut utamur exemplo Euseb.lib.6.de præp.Evangel.c.9.)*rebus nullam infert necessitatē, licet dum videntur, aliter se habere nō possint: ita etiam Deus providentiá suá omnia intuetur & conservat, ut creata sunt; verùm novam illis necessitatem non infert. Distinguendum enim est inter necessitatem consequentiæ & consequentis; quam distinctionem in præcedentibus inculcavimus. Quando itaq; dicitur: quicquid Deus providet, est necessarium, si intelligatur de necessitate consequentis, falsum est; sin verò de necessitate consequentiæ, est verum: hæc enim cum contingentiá stare, illa verò non, potest.*

Falsa itaq; & maximè hoc loco reprehendenda est Stoicorū *opinio & error, qui omnia Fati legibus fieri asseverabant, quibus etiam ipsum Iovem constrinxerunt: quemadmodum ille apud Homerum queritur, quòd Sarpedona filium suum, quem fata mori cogebant, à morte non possit vel eripere vel liberare: & Neptunus, quòd Vlyssis reditum in patriam contra fatales leges nequeat prohibere. Hoc fatum, quod rebus omnibus necessitatem inducit, & contingentiam collit,* Cicero & Plutarchus in ll. de fato *meritò exagitant, item* Alexand. Aphod. de Fato ad Anton. *Vt autem falsam* Stoicorum *de Fato opinionem rejicimus: ita etiam ex alterâ parte* Epicureorum, *fortuitum omnium rerum eventum fingentium, furorem repudiamus & detestamur, ut quos satis superq; omnium hominum confessio, monstra errorem naturæ dicentiū, refellit. Quomodo enim naturam aberrasse diceremus, si ad omnes omnino eventus fortuitò & casu ex æquo ferretur? Imo ipsa conscientia & recta ratio eos falsitatis convincit:*

Stoicorum opinio rejicitur.

Rejicitur Epicureorum opinio.

ut interim taceamus & omittamus naturam & definitionem finis, ordinemq́; rerum omnium pulcherrimum. Res certè naturales in suum quæq́; finem, conservationis nempe suæ semper studiosæ, feruntur. Cum enim consciæ sint sui in individuo interitus, in specie quandam æternitatem assequi satagunt, atq́; ita potius pro totius hujus universi, quàm sui ipsius conservatione laborant; quemadmodum id planum perspicuumq́; est satis in metu vacui. Si itaq́; nulla sit mens intelligens, provida, dic sodes, unde illa in naturá irrationali sit discretio, & unius ex altero collectio: ac quomodo finis; qui nondum existit sine concurrente cognitione poßit movere? Cum itaq́; hæc sine intellectu quodam neutiquam dari poßint, necessariò quædam mens intelligens, quæ ipsas naturæ actiones suá providentiá dirigat, & ad certos fines determinet, concedenda est.

Contingentiæ vox dupliciter sumitur.

1\. Vocabulum *porrò* contingentiæ *dupliciter accipitur:* Primùm *generaliter pro omni eo, quod non est impoßibile, sive sit cõtingens, sive necessarium. Hoc itaq́; modo etiam necessaria sæpenumero contingentia dicuntur: sic contingere quidem dices terram stare, & cælum moveri: quia id videas ita fieri.* De *lata hâc significatione agit* Aristoteles lib. 1. prior. Anal. c. 3. §. 3. *verba Philosophi sunt:* καὶ γὸ καὶ τὸ ἀναγκαῖον, καὶ τὸ μὴ ἀναγκαῖον, καὶ τὸ δυνατὸν, ἐνδέχεσθαι λέγομεν. Contingere quidem dicim9, & quod est necessarium, & quod non est necessarium, & quod est possibile. *In hoc igitur significatu non distinguitur à necessario.*

2\. *Alio modo sumitur in propriá significatione, nempe pro eo,*

pro eo, quod nec est impoßibile, nec necessarium; sed antequam existit actu, atq; in suis adhuc caußis esse suum obtinet, produci vel non produci potest. Definitur ab Aristotele lib. 1. prior. Anal. c. 13. §. 2. λέγω δ', *inquit*, ἐνδέχεσθαι, καὶ τὸ ἐνδεχόμενον, οὗ μὴ ὄντος ἀναγκαίου, τεθέντος δ' ὑπάρχειν, οὐδὲν ἔσται διὰ τοῦτ' ἀδύνατον: Contingere sive contingens est, quod cum non sit necessarium, si tamen ponatur in esse, nihil sequitur impossibile, *hoc est, contingens est, cui & necessitas & impoßibilitas derogata est. Estq; à nobis divisum in* contingens in universali, & contingens in particulari.

Contingens in universali, est ipsa contingentia formaliter sumpta, pro universali illo ipsius caussarum & effectuum cohærentiæ modo seu determinatione. *Hoc contingens necessitatem quandam involvit. Per naturam enim rerum necessariò datur contingentia: unde omnis varietas & diversitas oritur. Sed obyicis: si contingentia statuitur necessaria in naturâ: Ergo quæ contingenter fiunt, necessariò fiunt. Cujus enim caussa necessaria datur, illud necessarium esse intelligitur. Respondetur hâc distinctione, contingentiam quidem in universali necessariam esse, non autem contingens in particulari, id est, contingentiam quidem necessariò dari; sed quòd hoc vel illud, hoc vel illo modo contingenter fiat, necessarium non esse. Necessarium enim non est, Socratem legere, vel venenum bibere. Caussas hujus contingentiæ lege apud* Pererium lib. 9.

Contingens in universali.

Objectio.

Resp.

de Comm. rerum caussis & affectionib. c. 15. pag. 543. & seqq.

Contingens in particulari. Contingens in particulari, est contingentia materialiter accepta, pro rebus ipsis particularibus contingenter se habentibus, *hoc est, quæ per suam naturam fieri & non fieri possunt.* **Hujus divisio prima.** Cõtingentia hæc primo modo dividitur, quòd vel æqualiter se habet ad hũc vel illum effectum producendum, *atq; utramq; ex æquo respicit: ut est in homine liberum arbitrium, in angelis & Deo libertas. Dependet itaq; cõtingentia hæc à libero aliquo agente, quod suæ est potestatis, & potest agere & non agere. Atq; vocatur hæc contingentia nonnullis* intrinseca. **Contingentia intrinseca.** *Vel* habet se inæqualiter, *nempe per quam sunt res magis alterutro modo aptæ fieri: atq; oritur à caussis, quæ licet à suâ naturâ determinatæ sint ad producendum suos effectus; tamen propter externa obstacula interdum impediuntur: unde aliis dicitur* contingentia extrinseca. **Extrinseca.** Res hæ contingentes sunt duplices, *vel sunt sæpè & plerunq; contingentes; vel sunt rarò contingentes.* **Plerunq; contingentes.** Plerunq; contingentes *sunt ex caussis naturalibus, quæ tamen interdum per caussas accidentales impediuntur: ut hominem nasci bipedem, habentem duas manus, & in singulis manibus quinos digitos, ferè semper ita contingit. Nihilominus fit nonnunquam ut infans monstrosè nascatur; unum brachium, duodecim vel undecim digitos habens, vel ob copiam vel defectum materiæ, vel ob aliam caussam. Nam licet quidem materia adæquata caussa contingentiæ non sit; in naturalibus tamẽ propter illam, multa dicũtur contingere.*

Rarò contingentia *sunt, quæ fiunt ex caussis per accidens, ex quibus sæpius non fiunt, quàm fiunt: ut rarò contingit hominem nasci bicipitem, aut uno brachio, vel pede, vel duodecim digitis: contingit tamen.* Rarò contingentes.

Secundo modo dividitur contingentia particularis, *quemadmodum necessitas, secundùm divisiones caussarum. Caussa est vel externa, vel interna; Externa caussa est, vel efficiens, vel finis. Efficiens caussa vel est absoluta, vel dependens & determinata. Absoluta & independens caussa efficiens est solus* DEVS, *in cujus actiones non cadit contingentia extrinseca, sed intrinseca tantùm. Non extrinseca: nam actiones divinas, profectas nimirum à caussâ infinitâ, nullum externum obstaculum potest impedire. Dicitur autem ibi intrinseca contingentia: Omnia enim, nullâ necessitate coactus, sed liberrimè facit & producit præpotens* DEVS. Scotus in primum, dist. 38. & 39. Capreol. ibi distinct. 38. q. 2. ad argument. Aureoli cont. 2. & 3. conclus. *Efficiens caussa* dependens, *vel est libera, vel naturalis.* Libera *caussa est homo & angelus. Atq; in horum actiones cadit contingentia intrinseca & extrinseca.* Intrinseca: *nam quemadmodum homo ex libero suo arbitrio; ita angelus ex libertate suâ agit. Sic homo potest cessare & suspendere actionem, quando vult: ut scientia præditus, potest speculari, quando & quamdiu vult: potest exercere virtutem, quo tempore & loco illi placuerit: Ita enim, ut* Horatij *verbis utamur,* latitasse.

Divisio secunda.

An in Deũ cadat contingentia.

Intrinseca.

Filium dicunt Thetidis sub lachrymosâ Trojæ

Funera

Funera, nec virilis
Cultus in cædem & Lycias proriperet catervas.

Extrinseca. Extrinseca *contingentia ibi reperitur, quia, externis obstaculis illæ actiones sæpius præpediuntur: Unde de humanis actionibus natum proverbium:* Homo proponit, DEUS verò disponit. *Non verò contingentia hæc in omnibus humanis actionibus reperitur æqualiter. Sunt enim actiones humanæ in duplici differentiâ:* quædam à solâ voluntate, *atq; ejus in reliquas potentias imperio perficiuntur: Atq; hæ quando primùm ex habitu proficiscuntur, rarò & difficulter impediuntur: Indeq; est, quod in Ethicis dicimus; virum bonum non quolibet fortunæ afflatu impelli; aut à statione suâ dejici.* Quædam *porrò actiones humanæ externis adjumentis indigent, antequam ad effectum pervenire poßint. Tales actiones proficiscuntur ab artibus, quas conjecturales vocant: istæ enim sæpiusculè propositum non assequuntur. Sic nauta non semper, quem vult, portum attingit: neq; orator semper dicendo persuadet; nec medicus semper ægrotum sanat, ut rectè dictum sit ab Ovidio:*

Actionum humanarum duplex differentia.

Non est in medico semper relevetur ut æger,
Interdum doctâ plus valet arte malum.

Cùm itaq; utraq; contingentia intrinseca & extrinseca cadat in actiones humanas, manifestum est, in illis nullam propriam reperiri neceßitatem, nisi conactionis: vel nisi quis etiam actionem illam, quâ noster intellectus primis cognoscendi principiis adhæret, & appetitus communiter fertur in bonum, vocare velit ne-

lit necessarium. *Quæ tamen ex parte tantùm necessaria est, nempe quoad specificationem actus, cùm non possit voluntas & appetitus nisi in bonum, sive apparens id sit, sive verum, tendere: Quoad exercitium verò, contingens est: potest enim homo bono proposito actionem suam suspendere. nec statim in illud ferri.*

Efficientis naturalium contingentia.

Caussas efficientes naturales quod spectat, constat, ex illis, quæ supra disputata sunt, quòd in omnes illas cadat externa sive extrinseca contingentia. Nam *licet quidem in motibus cœlestibus sit maxima necessitas, tamen is immutari, impedirique potest pro beneplacito & voluntate* DEI. *Hinc ad vocem Iosuæ sistitur* Sol. Jos. 10. v. 13. *retrocedit decem gradibus ad petitionem Ezechiæ & preces Esaiæ* 2. Reg. 20. v. 11. *obscuratur in oppositione* Matt. 27. v. 45. Marc. 15. v. 33. Luc. 23. v. 45. Dionysius Epist. 7. *In actionibus inferioribus major apparet contingentiæ ratio: quippe in quibus facilius contrarium supervenire potest impedimentum; & quidem à caussâ naturali: unde effectus suspenditur, sæpiusque aliquid diversum ab eo evenit, quod caussa intendebat.*

Cœli vis quomodo agat.

Non moramur hic illorum sententiam, qui statuunt, cum cœlum immutabile sit, respectu ejus contingenter evenire nihil posse: cum dudum illis responsum sit à Ptolomæo, *dicente*: licet virtus cœlestis in se necessaria sit & immobilis; non tamen participatur immobiliter ab ipsis inferioribus, sed secundùm quod recipitur in materiâ diversimodè dispositâ: ita recipit esse mutabile & contingens. *Quemadmodum etiam illud est manifestum exemplis supra theoremate septimo allatis:*

sequitur

sequitur mare motum primi mobilis; verùm Herculeis angustiis in mari mediterraneo hic motus impeditur: Sic nutritionem & accretionem crebriores vigiliæ impediunt. Productioni quoque similis multa obstant. Potest enim impediri seminum confusione, abundantiâ & defectu; imbecillitate quoque virtutis formatricis: receptaculi pravitate, primarum qualitatum intemperie, accedentibus influentibus cœlestibus, varijs commotionibus affectuum, vi imaginatrice in parentibus. Hi igitur & similes effectus contingentes rectè dicuntur: verùm quia rarò eveniunt & „ impediuntur, inter rarò contingentia numerantur, „ atque propterea adhuc sub scientiam cadunt, atque „ demonstrationem ingrediuntur, additâ saltem re„ strictione, sine impedimento: Impedimentum enim illud cum rarum sit, à scientiâ non curatur.

In fine habemus necessitatem expedientiæ, *cum quâ aliqua certè conjuncta est contingentia. Vnde in actionibus voluntarijs agitur de illâ, in consultationibus & deliberationibus: atq; in rebus naturalibus sæpius eundem finem alijs medijs obtineri experimur. Sic necessaria quidem est pluvia ad fœcunditatem terræ: Verùm in Ægypto exundatio Nili eundem finem obtinet.*

A materiâ & formâ licet summa fluat necessitas, uti patet ex superioribus: veruntamen actus secundi potentiarum materiæ & formæ impediri possunt. Potest enim actus primus consequi ipsam essentiam, ut interim actus secundus ab externa caussâ impediatur. Ita potentia videndi sequitur formam hominis in materiâ; sed actu videre dependet à liberâ hominis voluntate.

luntate. Atq; hæc etiam de necessitate & contingentia.

EXERCITATIO SEXTA.

DE UNO IN GENERE.

Typus hujus Exercitationis.

- (E.) Modi Entis (th. 1. 2. 3.) sunt vel
  - Absolutus, & dicitur Vnum (th. 4.) quod consideratur (th. 5.)
    - Primùm in suis divisionibus.
      - 1. Communiter (th. 5.)
      - 2. Contractè. (F.)
    - Sic consideratur
    - Secundo in suis Modis (I)
  - Respectivi sunt
    - Verum (N)
    - Bonũ (O)

Theorema 1.

Universales unitæ & simplices Entis affectiones vulgò quinque numerantur; Unum, Verum, Bonum, Res, Aliquid.

Priorem & universalem Metaphysices partem duobus membris; quorum prius agat de ipso Ente: posterius de modis, qui sequuntur Ens; absolvi, intelligitur ex superioribus, Exerc. 3. theor. 1. Ratio ordinis.

De priore membro, ipsum Ens concernente, hactenus; consequens est, ut ad alterum

rum progrediamur, quod est, uti diximus, de modis Entis universalibus, quos affectiones unitas & simplices vocant.

Modi Entis.

Sunt autem affectiones unitæ, quæ cum Ente solitariè sine disjunctione convertuntur; & sunt UNUM, VERUM, BONUM, *& quæ ab* Avicennâ *additæ perhibentur*, RES, ALIQUID: *quæ & vulgò à Metaphysicis hodie ita numerantur & probantur. Omnis, inquiunt, affectio vel modus Entis, sequitur Ens, quando consideratur vel in se absolutè; vel relatè in ordine ad aliud.*

Demonstratio modorum Entis.

Entis duplex consideratio.

1.

Ens in se consideratur vel affirmativè vel negativè. Quod de omni Ente absolutè affirmatur, aliud nihil est, quàm ejus essentia, secundùm quam dicitur Esse: unde ENTI *imponitur nomen* RES. *Distinguitur enim* RES, *juxta illos, ab* ENTE; *quòd* ENS *significat actum essendi;* RES *verò ipsam essentiam & quiditatem. Quod absolutè negatur in omni Ente, est divisio in se: unde sequitur* indivisio, *quam indivisionem dicit* UNUM *supra* ENS. *Est enim* UNUM ens indivisum. *In ordine ad aliud Ens consideratur dupliciter: primùm ratione divisionis unius ab alio; qui modus constituit* ALIQUID. *Nam, inquiunt,* aliquid *dicitur, quasi* aliud quid, Thom. quæst. 1. de verit. artic. 1. & Javellus 4. Met. q. 3. pag. 52. a. *Quemadmodum itaq; Ens dicitur Unum, quatenus est indivisum: ita dicitur aliquid, quatenus est divisum. Unde si quædam realiter sint idem, unum per respectum ad alterum dici non potest Aliquid: ut homo, comparatus rationali, falsò dicitur, Aliquid.* Secundus modus *in ordine ad aliud*

Differ: Rei & Entis.

2. In ordine ad aliud dupliciter:

1.

2.

ad aliud est secundùm convenientiam Unius cum alio: qui modus dari non potest, nisi detur communis quædam natura, quæ nata sit convenire cum omni Ente; atq; hæc est anima, quæ quodammodo est omnia, ex.3. de anima context.37. In anima autem est duplex potentia Intellectiva & Appetitiva. Convenientia Entis ad intellectum, quæ dicitur conformitas vel assimilatio, constituit VERUM. Convenientia Entis ad appetitum, constituit BONUM. Primùm itaq; (concludunt) est Ens, ad cujus conceptum omnium resolvuntur conceptus, quo differt ab omnibus aliis: quia ab actu sumitur Essendi: RES ab Essentiâ ENTIS: Unum à sui indivisione: Aliquid ab aliorum divisione: VERUM à convenientiâ ad intellectum: BONUM à convenientiâ ad Appetitum. Vide Thom. quæst.1. de verit. art.1. quæst.21. art.1. & alibi. Iavellum in lib.4. Metaph. loco allegato. Atq; juxta horum sententiam supra quoq; à nobis sex Transcendentia numerata sunt Exerc.3. theoremate 1.

Animæ duplex potentia.

Theorema II.

Qui rem accuratius scrutantur, Rem conjungunt cum ENTE; & aliquid ad unum referunt: atq; relinquuntur illis tantùm tres modi, Ens sequentes: UNUM, VERUM, BONUM.

Accurata modernorum divisio.

Probant hanc suam sententiam: Primùm *autoritate omnium scribentium de hac materiâ. Et ipse*

Thomas *licet quidem in locis allegatis sex transcendentium sufficientiam declaret, ejusq; rationem reddat: tamen in explicationibus particularibus tantum de illis tribus tractat, ut manifestum est ex* 1.p.q.5.11. & 16. Alteram *probationem sumunt ex communi modo concipiendi & significatione, ac interpretatione ipsarum vocum. Nam, inquiunt,* Vnum *ut sic, solùm significat, quod res in se sit integra & indivisa; unde formaliter negationem addit, in quo distingvitur à* Vero & Bono. *Hæc autem inter se distingvuntur, quia* Verum *dicit adæquationem vel habitudinem ad intellectum:* Bonum *autem ad voluntatem seu appetitum, tanquam conveniens illi, sive hoc dicat formaliter sive fundamentaliter. Hæ autem sunt rationes & habitudines valdè diversæ. Quod etiam à contrarijs facilè declarari potest.* Nam Vnitas *opponitur multitudini;* Bonitas *malitiæ;* Veritas *falsitati: hæc autem valdè distincta sunt.* Hæc illi. Vide Suarez disput. Metaph. 3. se. 2. dist. 3.

Rem cum Ente conjungi.

R E M porrò cum Ente conjungendam esse, manifestum est sequentibus rationibus: Rem dicunt esse & denotare ipsam Entis essentiam, & quiditatem: unde sic argumentamur: 1. Quodcũq; *significat essentiam & quiditatem Entis, illud non significat, sed est prædicatum maximè quiditativum Entis: Atqui, juxta A*vicennam, *Res significat essentiam sive quiditatem Entis. Ergo.* 2. Deinde *juxta communem loquendi usum* RES *& Ens ut Synonyma usurpantur, atq; modo de Ente actu existente dicuntur, modo de essentia & quiditate intelliguntur.* 3. Tertiò *omnis passio cum illo, cujus est passio, adjectivè conjungi potest &*

debet

debet, hoc est, denominativè de suo subjecto dici: ut corpus album, dulce: sic Ens bonum, Ens verum, Ens unum: Atqui Ens cum Re adjectivè non conjungitur, sed quiditativè, sive in quid, prædicatur; ut Ens est RES. Ergo Entis affectionem non exprimit; sed potius, uti diximus, prædicatum quiditativum & naturam positivi Entis, quod revera in natura Esse, inque eâ proxime & immediatè existere dicitur: uti sunt individua substantialia & accidentia in substantiis: itemque quæ respondent illis, quæ in natura fundamentaliter existunt sive subsistunt; ut sunt universalia, & quæ à singularibus abstrahuntur. Quæ omnia ad quiditatem & essentiam Entis pertinere quilibet intelligit.

Objici verò potest: quot sunt prædicata, quæ cum Ente convertuntur: tot quoque ejus sunt passiones: Atqui quinque sunt prædicata, inter quæ etiam Res numerantur. Ergo etiam quinque sunt passiones: & per consequens, Res est passio Entis. Rectè enim dicitur Ens est res, & Res est Ens. Respondemus ad majorem per negationem. Non enim tot affectiones unitæ & universales constituuntur necessariò, quot dantur termini cum Ente convertibiles: Quidam enim termini & prædicata sunt tantùm ex diuersa Etymologia & impositione vocis: quidam verò significant distinctas passiones; ut de tribus hisce, Vno, Vero, Bono, monstratum est. Quia itaque Res & Ens tantùm Etymologia & vocis impositione distingvuntur. (Hoc enim ab esse, illud à quiditate reali sumptum est) Ergo RES non constituit peculiarem affectionem Entis. Objectio. Responsio.

Idem statuendum de Aliquid: Cujus duplicem faciunt Etymologiam Metaphysici: Prior est, quod ALI- Aliquid.

QVID perinde sit, ac habens quiditatem aliquam: in quâ significatione ei opponitur contradictoriè & privative NIHIL. Cum autem Nihil sit idem, quod non-Ens, vel non habens Entitatem sive quiditatem; quilibet intelligit, in hâc significatione Aliquid *non affectionem Entis; sed ejus Synonymum esse.* Legatur Fonseca lib. 4. Metaph. c. 2. q. 5. sect. 2. *Altera Etymologia est, quam modo attigimus, quâ ALIQVID* Thomæ, Armando, Iavello & alijs, *dicitur, quasi ALIVD QVID, ita ut ALIQVID juxta hanc derivationem Entis diversitatem significet: Quandoquidem Ens, quod in se vnum est & indivisum, respectu aliorum est ALIVD QVID, unde oritur ALIETAS, ut loquuntur Barbari. Neq; in hâc significatione peculiarem Entis affectionem denotat; sed includitur in ratione VNIVS. Vnum enim est, ut modo audiemus, quod est in se indivisum & divisum à quolibet alio.* Explicatâ *itaq; ratione vnius, & quæ illi opponitur, multitudinis, itemq; Identitatis & distinctionis, quæ in ejus ratione fundatur; explicatum quoq; erit prædicatum hoc ALIQVID. Vt interim taceamus, quod Græcum τό τι ejusmodi Etymologiam non recipiat: quod tamen idem cum* aliquid *significat: item quòd conceptus etiam noster huic significationi contradicat. Nemo enim audiens vocem, ALIQVID, statim sibi format conceptum distinctionis vnius ab alio: quin potius rem concipit, quæ non sit omnino nihil, habeatq; quandam essentiam. Et si vel maxime Etymologia* Thomæ *concedatur; nondum tamen inde vera Entis affectio evincitur; includitur enim in ratione vnius, uti jam dictum est.*

Nihil.

Vnum.

Theo-

Theorema III.

Inter tria illa attributa & affectiones Entis VNUM obtinet primum locum; Verum secundum; Bonum tertium.

Restat itaq; nunc, ut ad ipsorum attributorum sive affectionum θεωρίαν accedamus. Ordinis ratio.

Tribuimus primum locum V N I T A T I. Nam semper absoluta sunt priora respectivis in suo genere: Atqui V N V M est absolutum prædicatum Entis: VERVM & BONVM respectiva: V N V M itaq; his præmittendum est. Minor probatur: V N V M enim convenit omni Enti ex se, & non per denominationem ab alio extrinseco, neq; propriè per relationem ad aliud: quod de V E R O & B O N O aliquomodo dici potest, quatenus nimirum convenientiam cum alio significant & dicunt.

Objicis: *quodcunq; dicit divisionem ab alio; illud habet habitudinem ad aliud: Atqui V N V M dicit divisionem ab alio*: Ergo. *Ad minorem respondemus, committi fallaciam à dicto secundùm quid &c. Nam de ratione vnius simpliciter non est, quod sit aliud à quo distingvatur; sed id solùm est consequens ad unum; nimirum quod sit aptum distingvi. Statim enim sequitur; si V N V M est; ab alio distingvitur & distingvi potest: verbi gratiâ; D E V S potest esse unus, licet nihil sit, à quo dividatur, ut ante mundum conditum si consideratur D E V S: imo negatio illa non est relatio, sed relationis negatio. Tandem ponatur*

Objectio.

Resp.

tur id relationem esse; adhuc tamen prior illa est relationibus Veri & Boni: Est enim quodammodo abstractior, quia tantùm aliud respicit sub ratione Entis. Dicitur enim quod Unum sit divisum à quolibet alio. Atq; hoc est, quod Philosophus UNUM cum Ente, tanquam primum attributum sive primam paßionem, conjungit. lib. γ. Metaph. c. 2. Et jota eor. t. 6. 7. Et Thomas 1. part. q. 11. art. 2. ad. 4. docet, *primùm in intellectum cadere Ens: Deinde quod hoc Ens non sit illud Ens, hoc est, quod Ens primò conceptum sit divisum à quovis alio. Tertiò, quod in se indivisum sit; in hoc est UNUM.*

Verum bono præferendum. *Ut autem* Unum *est prius* Vero *&* Bono, *ita* Verum Bono *præmittendum est.* Verum *enim ad intellectum,* Bonum *ad voluntatem refertur: Atqui intellectus potentia prior est voluntate: Ergo & id prius erit, quod ad Intellectum, quàm quod ad voluntatem, refertur. Consequentia manifesta est; nam paßio subjecti prioris prior est paßione subjecti posterioris; ut infra docebitur. Deinde alterum, quod in altero fundatur, posterius eo est, in quo fundatur: Atqui* Bonitas *fundatur in* Veritate: *Ergo Veritas Bonitate prior est. Minor probatur inductione sive exemplo: si enim sanitas bona sit, supponitur quod sit vera sanitas, ficta enim sanitas, bona non est. Probat quoq; hanc sententiam Thomas* 1. part. q. 16. art. 4. *Unde ejusmodi divisio institui potest:* Entis modi sive attributa sunt vel absolutum, nempe UNUM: vel respectiva, ut sunt VERUM & BONUM.

Divisio modorum Entis.

Theorema IV.

Vnum tranſcendentale eſt, quod in ſe indiviſum eſt, & diviſum à quolibet alio.

Ne initio vocis Vnius *ambiguitate decipiamur, cum erroris genetrix ſit æquivocatio ſemper: ſciendum eſt, aliud eſſe* Vnum *tranſcendens, modò definitum; aliud Vnum principium numeri, quod Arithmeticum vocant; aliud Vnum ſingulare ſive Individuale, quod diſtingvitur contra genericum & ſpecificum, atq; reperitur in quolibet Ente ſingulari. Falſa enim eſt opinio* Avicennæ, *quam illi tribuit* Aver. tract. 1. Epitom. Metaph. p. 371. D. & tract. 3. p. 387. F. & p. 388. A. B. C. item Thomas 1. part. quæſt. 11. art. 1. diſt. 14. quæſt. 1. art. 3. item 4. Metaph. lect. 2. (*Quanquam apud* Avicennam 3. Metaph. c. 2. & 7. eor. c. 1. *quibus in locis maximè videtur in hanc inclinare ſententiam, tale quippiam vix reperitur*): *Vnitatem Arithmeticam, Vnitatem tranſcendentalem eſſe, & ſupra Ens addere quantitatem. Aut enim juxta opinionem hanc omnia Entia erunt quanta; aut unum non erit affectio adæquata Entis. Vtrumq; abſurdum eſt. Vnde rectè* Averroës tr. 3. Epit. Metaph. Thom. p. 1. q. 50. art. 3. Iavellus. 8. Metaph. q. 11. Soncin. 10. q. 13. Elias Cretenſ. in comm. de vno: *non unitatem duntaxat quantam; ſed ipſum quoq; numerum extra quantitatis prædicamentum agnoſcunt, per quem differunt & numerantur incorporea. Nam ſi tantùm in quanti-*

Vnius æquivocatio.
1.
2.
3.
Falſitas Avicennæ opinionis.

tate esset numerus; tum angelus ab angelo numero non differret, neq; vnus esset, adeoq; non-Ens: Nam quatenus aliquid vnum est, eatenus quoq; Ens est. Thom.6.Metaph.lect.4.

Aliorum opinionis rejectio. *Neq; probari potest illorum sententia, qui* Vnum transcendens & Vnum singulare *confundunt, statuentes, Vnitatem transcendentem, esse Vnitatem Individualem uniuscujusq; singularis Entis.* Aristoteles *enim* lib.δ. Metaph. c.6. text.11. καθόλου *inquit* ὅσα μὴ ἔχει διαίρεσιν, ᾗ μὴ ἔχει, ταύτῃ ἓν λέγεται. Vniversaliter quæcunq; non habent divisionem, quatenus non habent, eatenus unum dicuntur. *Ergò secundùm hunc textum inter vnitates Entis non tantùm ponitur vnitas singularis; sed specifica quoq;, generica, & analoga. Quod expreßius adhuc monstrat Philosophus* lib.γ.Metaph.c.2.circa finem: *Docet enim Metaphysici esse agere* περὶ γένους, καὶ εἴδους, καὶ ὅλου, καὶ μέρους, καὶ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων, *quatenus nimirum comprehenduntur sub Ente. Non autem comprehenduntur nisi quatenus sub vnitate continentur. Tandem sic arguimus: De quocunq; dicitur Ens, de eo dicitur etiam vnum transcendens: Atqui Ens non tantùm dicitur de vnitate, quæ est principium numeri Arithmetici, neq; dicitur de solis individuis, de Platone & Socrate; sed etiam de communibus rationibus præcisè sumptis; ut de homine, de animali: Ergo. &c. Homo enim, quatenus Homo, Ens reale est: Ergo vnus est, non autem unitate numericâ, vel individuali; sed transcendentali:*

Ergo unitas transcendentalis latior est unitate numerica & individuali, quæ quid sit ex sequentibus magis innotescet. Imo neq; ipse numerus est unus unitate quantitativa: Senarius enim numerus unus est unitate transcendentali & non numerali. Senarius namq; non esset senarius; sed septenarius, cum unitas numeralis, numero addita, semper mutet speciem. Vnitas itaq; transcendentalis continet & cōprehendit omnem unitatem, quæ vel in aliquo Ente reali, vel in ratione formali Entis realis inveniri potest. Quocirca limitanda non est vel ad unitatem Arithmeticam, vel ad individualem sive singularem, vel ad universalem materialem & formalem.

In definitione hujus Unius *duo dicuntur*: *prius* est, quod sit in se indivisum: *posterius*, quod sit divisum à quolibet alio. Prius *describit formalem unius rationem. Quandoquidem unitas transcendentalis, ut utar verbis Suarez* disp. 4. Meta. sect. 9. dist. 14, *est quæcunq; ratio entis realis per se, quatenus indivisa est adæquatè & secundum se. Vbi* dicitur Entis realis per se: *quandoquidem, ut supra indicatum est, Ens per se tantùm subjectum hujus scientiæ constituit, excluso Ente per accidens & intentionali.* Dico, *pergit ille,* ut indivisa, *quia nec sola Entis ratio, nec sola negatio facit unitatem; sed ratio Entis indivisa.* Deniq; adæquatè & secundùm se: *quia unitas in unaquaq; re, seu conceptu objectivo reali, secundùm propriam ejus rationem attendi debet, & non secundùm aliquam superiorem, inferiorem, aut extremam. Nam hæc sunt aut inadæquata, aut quodammodo per accidens; Vnitas verò uniuscujusq;*

Vnius ratio duplex.

1. Formalis.

est illi adæquata, & per se illi convenit. Vnus homo dicitur Vnus essentialiter, quia secundùm propriam adæquatam rationem suam non est divisus in essentiali ratione, quamvis in Individuis Entitativè dividatur: non dicetur autem homo simpliciter unus illo modo, eò quod sit indivisus in ratione animalis: ea enim indivisio non sufficeret ad prædictam unitatem, eò quod non conveniat homini adæquatè & per se; sed ratione superioris. Hactenus Suaretz.

2. Respectiva unius ratio. *Posterius verò, quod sit* divisum à quolibet alio, *ad formalem jam explicatam rationem addit respectum, & est proprium unitatis consequens. Ens enim, quod in se & natura suâ est unum & indivisum, respectu aliorum est divisum, & est aliud quid, sive aliquid; qui respectus, licet quidem ut existens, non sit adæquatus omni Enti: tamen formaliter & aptitudine omni attribui potest. Nam esse unum, aptum est distingui ab alio. Atque hinc videmus verum esse, quod modò diximus:* Aliquid *singularem affectionem Entis non exprimere; sed unitatis consequens esse.*

Aliquid.

Quæstio. *Quæritur nunc,* quid Unum addat supra Ens. *Duplex circa quæstionem hanc opinio est.* Cajetanus 1. part. quæst. 11. art. 1. ad 2. Scot: Item Fonseca *docent, Vnum de formali dicere solam negationem divisionis in ipsomet Ente: quam sententiam amplecti videtur* Thomas 1. part. quæst. 6. art. 3. ad 1. Soncinas 4. Metaph. quæst. 20. & 23. Javellus quæst. 5. & 8. & alij in ea sunt sententia: *Vnum, de formali non dicere negationem solam; sed ipsam quoq; Entitatem sub negatione.* Quæ

1. Resp.

2. Resp.

duæ

duæ sententiæ verbis tantùm, non re discrepare videntur. Nos verò concludimus, Unum quidem cum Ente Concilia-
per omnia idem non esse: esset enim (ut rectè colligit tio.
Avicenna) *Enunciatio hæc* (ens est unum) *nugatio, in qua idem de eodem prædicaretur: falleretur etiam intellectus noster, dum aliter Ens concipit, nempe per id, quod habet realem essentiam; aliter Unum, nempe per indivisionem: Nihil tamen Enti superaddere reale positivum. Si enim (quam rationem magni facit* Averroës) *Unum, ut quoddam positivum, Enti addatur; necessariò Ens erit: cumque omne Ens sit unum, porrò quoque & ipsum erit unum. Quæri-* Quæstio.
tur itaque: an sit unum per aliud unum: *quod si concesseris, progressus datur in infinitum*; an per se ipsum: *atque tum si illi Enti super addito non repugnet per se unum esse, nulla dabitur ratio, cur Enti primo loco posito repugnet per se unum esse. Adde, quod nulla res in sua natura simplex esse potest, si unitas concedatur aliquid super additum.* Unum Vnum.
igitur aliud nihil dicit in latâ & adæquatâ sua significatione, quàm Ens indivisum: & indivisio nihil addit Enti, nisi divisionis negationem. Unde in uno nihil erit extra rationem Entis, quatenus tale, præter solam negationem: Ergo affectio Unius ratione Entis in solâ negatione divisionis est. Nihil itaque positivi addit supra Ens. Videatur Thomas 4. Metaphys. lection. 2. & in 1. part. quæstion. 11. art. 1. & Aristoteles ipse lib. δ. Metaph. c. 6. text. 11. & lib. ι. Metaph. c. 1. *ubi Unius naturam & rationem per indivisionem: indivisionem verò per negationem divisionis, quod ejus formale est, explicat:*

& lib.

& lib. γ. Metaph. c. 2. *ait Philosophus* τὸ ὂν καὶ τὸ ἓν ταὐτὸν, καὶ μία φύσις: *quia nimirum nullam rationem positivam dicit, præter rationem Entis. Ex jam dictis patet, Vnum tribus sumi modis:* 1. *pro ipsâ* Entitate, *quæ est fundamentum Indivisionis & à* Javello *rectè materiale dicitur.* 2. *pro ipsâ* indivisione, *quæ formale* Javello *appellatur.* 3. *pro* utriusq; conjunctione: *atq; ita hoc loco accipitur, & sic Indivisio pura privatio non est; sed realem quoque Entitatem, cujus beneficio fundamentum relationis esse, multitudinemq; componere potest, continet; De formali verò solum indivisionem denotat.*

Ens tripliciter accipitur. 1. 2. 3.

Theorema V.

Unum transcendentale, communiter consideratum est, quod contractè sumptis omnibus tribuitur. Unum contractè sumptum in unius communiter sumpti speciebus continetur.

Duplex consideratio unius.

Consideratur porrò unum transcendentale, primùm in suis divisionibus, deinde in suis modis.

1. In suis divisionibus.

Primùm igitur unum transcendentale vel communiter vel contractè consideratur. Thom. 1. p. q. 11. a. 1. ad 2. Ant. And. q. 3. Javel. 4. Metaph. q. 4. &c. *Vnum communiter acceptum est, quod reliqua contracta & specialia, sive (ut parum commodè loquitur Thomas) secundum*

quid

quid, suo carcere includit. Sumitur enim indistinctè pro quovis unitatis modo, atq; tàm latè patet, quàm latè se extendit Ens, ut autor est Philosophus. lib. γ. Metaph. t. 3. 4. & lib. 1. eor. t. 6. 7. Nihil enim (ut in præcedentibus monstratum est) tam indivisum est, quòd non modo quodam ad Vnum trahatur. Atq; hoc Vnum in præcedentibus potißimùm est explicatum. Vnum contractè sumptum in speciebus continetur, de quibus in sequentibus.

Ex hac divisione oritur oppositio, quâ Unum opponitur multitudini: quando enim nullum Vnum existere potest, quin contractè existat, & in certâ quâdam Vnitatis sit specie, fit, ut Vnum non amplius cum Ente reciprocetur solitariè, sed cùm disjunctione: ut nimirum hâc significatione rectè dicatur: omne Ens aut esse Unum aut multa: quare mēbra opposita simul cum uno transcendentali considerari jußit Aristoteles lib. γ. Met. tex. 3. 4. & 6. item lib. ι. eor. text. 9. Qualis autem est illa oppositio? Respondet Philosophus allegato loco lib. ι. Metaph. c. 3. eam non esse relativam, non contradictoriam, non contrariam, non privativam; sed quodammodo contrariam & quodammodo privativam. Et Thom. 1. p. q. 11. art. 2. ostendit propius eam accedere ad privationem; quod Vnum opponatur multis, sicut indivisum diviso. **Oppositio unius.**

Relativam hanc oppositionem non esse, monstrat Averroës tract. 3. Epit. Metaph. hac ratione: Vnum enim esse potest sine multis. Verùm quid Aristoteles lib. ι. Metaph. t. 2. statuit? Vnum referri ad multa relativè, ut mensura ad mensuratum. Verùm

rùm respondet Averroës, id non pertinere ad unitatis naturam; sed accidere illi, sicut DEO accidat esse caussam. Contrariè *non opponuntur. Contraria enim sunt sub eodem genere: at multa & Vnum sub eodem genere non sunt.* Averroës in Epit. Met. tract. 3. *Deinde contraria sunt positiva formaliter: unitas verò formaliter nihil ponit: Neq;* simpliciter privativa *est isthæc oppositio. Licet enim, si in suâ indivisione spectes formaliter Vnitatem, videatur privationem designare, quemadmodum multitudo habitum per divisionem: Veruntamen quia pura privatio non est; sed quæ cum Ente coaluit: Oppositio hæc pura privativa esse nequit. Rectè itaq; statuitur oppositionem hanc maximè ad privativam inclinare; quam tamen positiva quædam sequatur contrarietas. Ex hoc fundamento conciliari possunt* Avicenna lib.3.Metaph. c.6. & Averroës lib. 10. Met.t. 9. Epit. Met. tract. 3. *quando Vnum Multis modo contrariè, modo privativè, opponi scribunt.*

Multitudo duplex.

Multitudo *porrò in divisione hac dupliciter potest poni: vel ut intelligatur de* multitudine a-

Actualis.

ctuali, *quâ multa dicuntur, quæ actu divisa sunt, ut in numero senario, sex unitates. Atq; hæc propriè & formaliter multitudo est:* Arist. lib. δ. Metaph. c. 13. text. 18. *velut intelligatur de* multitudine

Potentiâ.

potentia, *quæ in continuo dicitur multitudo esse partium integrantium: & in humanâ naturâ multitudo partium essentialium, quæ actu divisæ non sunt; sed potentia tantùm. Atque hoc modo Vnum & multa non re, sed duntaxat ratione distinguuntur.*

Multitudo sub ratione unius concipitur.

Tandem nulla multitudo, qualiscunq; etiam sit, Ente parti-


participat, nisi unitatis ratione; cum Ens & Vnum sint convertibilia. Vnde nulla datur multitudo, quæ non Vno participat. Quæ enim multa sunt partibus, Vnum sunt toto: quæ multa sunt accidentibus, unum sunt subjecto: quæ sunt multa numero, aut virtutibus, Vnum sunt specie: quæ multa sunt speciebus sive formis, unum sunt genere: quæ tandem multa sunt processibus, unum sunt principio. Dionysius. c. 13. de divi. nom. Imò non tantùm non datur multitudo nisi sub ratione Vnius; sed ne cogitari quidem potest. Nam Vnitas secundum Plotinum En. 6. l. 9. c. 1. omnia Entia continet & circumscribit, adeo etiam ut ea multitudo, quæ ab unitate penitus & secundùm se & secundùm partes suas distincta fuerit, abyssum quandam obscurißimam impermeabilemq; præ se ferat, eodem prope modo, quo Non-Ens, quod penitus à quoquo Ente distinctum est. Unum itaque hoc transcendetale cővenit quibuscunq; multis, nec ulla multitudo ab hoc abesse potest. Ne enim in infinitum & indeterminatum defluat quævis multitudo, ab Vnitate hac transcendentali ad certam & definitam naturam contrahitur. Hinc quoque omnis numerus, sive magnus, sive parvus ille sit, propter determinationem & finitionem multitudinis suæ, unus est. Rectè enim statuunt Philosophi, nullam multitudinem actu infinitam esse. Determinatio autem & finitio hæc est ab Vnitate, non Arithmetica illâ, quæ principiũ numeri finitur; sed hac transcendẽtali, quæ cum Ente reciprocatur, verbi gratia, quaternarius sive denarius numerus non unus est, propter unitatem numeralem, quæ in illo quatuor, in hoc decem consti-

constituit, non Vnum; sed propter Vnitatem hanc, quæ Vnita Entis affectio est.

EXERCITATIO SEPTIMA.

DE UNO CONTRACTE SUMpto: de Uno per accidens: indivisibili: de toto in genere: de toto perfectionali: essentiali: integrali: & potentiali.

Typus hujus Exercitationis.



Theorema I.

Vnum per accidens eſt, quando ſubjecta & prædicata cohærent accidentaliter.

Vnum contractè ſumptum primum generali diviſione diſtingvitur in Vnum per accidens, & unum per ſe. Ariſt. lib. δ. Metaph. c. 6.

Vnum per accidens triplex facit Ariſtoteles. Primum, *quando unum accidit alteri, ſive quando accidens prædicatur de ſubjecto: ut Coriſcus eſt Muſicus.* Secundum, *quando compoſitum ex ſubjecto & accidente prædicatur de ſubjecto: ut Coriſcus eſt Muſicus Coriſcus. Hic enim, licet Muſicus accidat Coriſco, atq; conſequenter de eo prædicetur; non tamen Coriſcus accidit Coriſco.* Tertium, *quando utrumq; accidit tertio ſive ſubjecto: ut Muſicus eſt juſtus. ibi enim accidens de accidente dicitur, & utrumq; non ineſt ſubjecto, nempe Coriſco.* Vnum per accidens triplex.

Theorema II.

Vnum indiviſibile eſt unum actu & potentiâ. Vnum indiviſum eſt unum actu ſed potentiâ multum.

Vnum per ſe *eſt, quod habet unam integram eſſentiam, ſive compoſitam, ſive ſimplicem. Vnde dividitur in unum* indiviſibile, & indiviſum. *Diviſio hæc deſumitur* ex lib. jota Metaph. cap. 3. Vnum per ſe.

pag.545.E. *ubi Philosophus Vnum & multitudin[em] opponi dicit ut* ἀδιαίρετον καὶ διαιρετόν. Τὸ μ[ὲν] γὰρ ἢ διῃρημένον, ἢ διαιρετὸν, πλῆθός λ[έ]γεται: τὸ δὲ ἀδιαίρετον ἢ μὴ διῃρημένον, ἕ[ν].

Indivisibile unum. Indivisibile Vnum *definit* Thomas 1.p.q.6.a.[?] quæst.11.art.1. *quòd sit unum actu & potentia: [s]ecundumq; rationem: quia illud simplicissimè Vnum est, [qu]od neq; multa sit, neq; multa fieri possit. Quod Vnum si[ve] quam Vnitatem Philosophi in solo Deo cognoverunt; quippè in quem nulla omninò cadit divisio, adeò ut rectè dixerit* Boëtius, omnia prædicata, si dicantur de Deo, in substantiam mutari. *Multis [i]d probat* Hervæ. 1. d.8. q.2. ex primitate DEI in essendo & caussando, ex puritate summæ actualitatis. &c. *Definitio quoq;* unius divisibilis

Indivisum. sive indivisi Thomæ est alleg. loco. *Dicitur autem vnum actu & potentiâ multum, quod; licet actu non sit in multa diremptum; tamen potentiâ partes includit, sicut continuum uni communi quidem continetur termino; potentiâ tamen divisibile est in infinitum, ut docet Philosophus* lib.3. ἀκροασ. c.6.

Hoc unum alio nomine, & quidem proprio, vocatur Totum.

Theorema III.

Totum est, cujus nulla pars abest eorum, ex quibus naturâ Totum nominatur: & quod ita continet

tinet ea, quæ continentur, ut illa sint Vnum.

Definitio hæc est Aristotelis lib.δ.Metaph.c.26. ὅλον, *inquit*, λέγεται, οὗ μηθὲν ἄπεστι μέρος, ἐξ ὧν λέγεται τὸ ὅλον φύσει. καὶ τὸ περιέχον ἕν, καὶ τὰ περιεχόμενα, ὥστε ἕν τι εἶναι ἐκεῖνα. *Vnde duo ad Totius naturam requisivit* Thomas: *1. ut per partes constituatur: 2. ut partes in toto uniantur. Partes verò sunt multitudo vnitati Totius opposita. Quæ quia se mutuò explicant, simul quoq; explicari debent. Quæritur itaq; initio:* quomodo totum à partibus distingvatur, & quid partibus simul sumptis superaddat. *Quæstionis hujus decisio desumi potest ex* 2.de an.t.10.δ.Metaph. tex. 19.ζ.eor.text.ult.η.eor.text.15. *Est nempè totum à suis partibus secundùm rationem diversum; secundùm rem, idem: quod de partibus simul sumptis & unitis accipiendum. Si enim referatur Totum ad singulas partes distinctas, tum ab ijs differt realiter, ut plus aliquid includens. Nam præter unam partem, ad quam refertur, continet adhuc partes reliquas. Deinde quoq; si referatur Totum ad partes omnes, sed sejunctas; tum etiam ab ijs realiter sive per modum realem differt. Si enim per nihil aliud poni posse videatur differentia; datur tamen per unionem, quòd partes sejunctæ minimè totum constituant, priusquam uniantur. Ad partes verò unitas, uti diximus, reale, & à partibus entitativè distinctum nihil addit: cum ne fingere quidem possimus totius vel compositi absolutam Entitatem à partibus abstractam: de ratione namq;*

Totum.

Quæstio. de toto & partibus.

& eſſentiâ compoſiti eſt, habere partes. Si etiam to-tum aliquid reale ſive entitatem quandam ſuperadde-ret partibus ſimul ſumptis: tum illa entitas aut ſim-plex eſſet aut compoſita. Simplex eſſe nequit: nam ſimplex eſſe & partibus carere, eſt contra naturam Totius & compoſiti, ut patet ex jam dictis. Compoſita igitur? Tria inde maxima ſequuntur abſurda. 1. Ha-bebit in ſe partes peculiares; quòd de eſſentiâ totius ſit habere partes: ſi autem partes hæ fuerint unitæ & conjunctæ, iterum aliam ſuperadditam habebunt en-titatem, de quâ eâdem reiteratur quæſtio; atq; ita in infinitum. 2. Diſtingvetur à partibus vel per aliquid ſui vel per ſeipſam. Illud concedi nequit. Non enim primò à partibus eſſet diverſa: neq; hoc admitti po-teſt: involvit enim contradictionem: totum ſe toto à partibus diſtingvi. 3. Danda erit alia in rebus compo-ſitio præter eam, quæ ex materiâ & formâ eſt. Con-cludimus itaq;, Totum non diſtingvi à partibus unitis omnibus: quod non factæ rationes de toto duntaxat eſſentiali monſtrant: ſed etiam de toto integrali & numerali: imò de potentiali quoq; ſi à fundamento ri-ipsâ non diſtingvi concedantur potentiæ. Iand. l. Phyſ. q. 10.

Theorema IV.

Totum perfectionale ſive per-fectionis eſt, quod ponit perfe-ctiſsimum perfectiſsimæ ſub-ſtantiæ complementum.

Totius diviſio.

Totum vel eſt abſolutum, & dicitur totum perfe-

perfectionale sive perfectionis: vel est determinatum.

Bellovisius c.256. sex Totorum quasi species facit: Totum perfectionale, essentiale, integrale, potentiale, numericum & universale: *& quia oppositorum eadem est ratio, singulis Totis suas opponit partes. Verùm nos nostram sequemur methodum.* Totum *itaq;* perfectionis *definimus, quod ponit perfectißimum perfectißimæ substantiæ complementum. Redit enim in se hæc totalitas & omni parte destituitur. Vnde etiam* Bellovisius *testatur* cap. 257. *hoc totum propriè totius nomen non mereri, cum non habeat partes reverâ distinctas. Et ob eandem caussam. Totum hoc sub* toto *non continet Aristoteles* lib. 5. Metaph. c. 26. *sed sub nomine perfecti explicat* cap. 16. Et lib. 5. eor. t. 13. *Omne enim totum perfectum est* lib. 1. de cæl. t. 3. *aut ferè idem cum perfecto significat, ut censet Thomas* lib. 5. Metaphys. l. 16. *Tribuitur autem Totum hoc propriè soli Deo; qui cum reverâ indivisibilis sit, ut constat ex præcedentibus, iterum patet impropriè & tantùm analogicè hoc totum ita dici. Tribuitur autem Deo, qui hic totus dicitur sine omni parte: Cum simplicißimus & purißimus sit actus. Hinc totus dicitur esse ubiq;, & in singulis ubi totus, non quidem paßivè; sed activè. Dicitur verò propterea totus ubiq; & in singulis* ubi *totus, quòd partibus careat, & partium carentia huic toti essentiam tribuat, quippe quæ perfectißimam dat unitatem & absolutißimam perfectionem & totalitatem.*

Totum perfectionis.

Deus est totum perfectionale.

Omnis *igitur* compositio repugnat DEO.
Nam ut plures addamus rationes, non componitur ex
1. *esse & essentiâ.* Primum *enim* Ens *aliunde esse ha-*
bere non potest, quàm à suâ essentiâ: neq; enim Deus
est, neq; cogitari potest in potentiâ ad esse; cum ex
simplici necessitate simpliciter actu sit. Nec potest in
Deo potentia ad esse in actum reduci: reduceretur e-
nim vel ab externo agente, vel ab interno esse: utrumq;
fieri nequit. Illud enim repugnat primo Enti, quod si
esset à priore, non esset primum. Hoc repugnat ipsi Es-
se. Nulla enim res potest sibi esse caussa essendi. Thom.
1.p.q.3.a.4. *Si autem Deus non componatur ex esse*
& essentiâ; Ergo multo minus ex materia & forma;
2. *quod porrò hunc in modum demonstratur. Quodcunq;*
componitur ex materiâ & forma, illud est quantum;
& consequenter partibus quantitativis & integran-
tibus constituitur: quod de Deo negatur: Ergo &c. De-
inde omnis materia comparatur ad formam, ut poten-
tia ad actum. Materia enim significat potentiam re-
ceptivam actus substantialis: Atqui in primo Ente ta-
lis potentia dari nequit: cum Deus sit primus actus, seu
primum Ens actu. Ergo etiam est purus actus: Ergo il-
li repugnat admistio talis potentiæ sive materiæ. A-
3. rist.lib. λ.Metaph. c. 6. *ex eo, quod Deus æternus*
est, infert, eum carere materiâ. Quodcunq; enim æter-
num est, id est per se & ab intrinseco necessarium,
prorsusq; immutabile in suo esse: quod proprium est so-
4. *lius Dei. Porrò Deus quoq; nullo modo potest infor-*
mare materiam, verè & propriè si informationem su-
mas; nempe ita ut fiat pars essentialis & interna to-
tius. Aut enim esset forma naturâ suâ apta & pro-
pensa

pensa ad informandam materiam: aut esset forma sibi voluntariè uniens & informans aliquam materiam. Vtrũq; absurdum est. Illud enim manifestißimè divinæ perfectioni repugnat. Nam forma propensa ad informandam materiam est Ens incompletum & imperfectum. Hoc repugnat rationi formæ: Perfecta enim & completa substantia non potest munus formæ informatis, sive propriè ita dictæ, supplere: Repugnat enim divinæ substantiæ. Hæc enim, quia perfectißima, non potest ita uniri, ut cum alio constituat unam naturã, sive ut constituat rationem formæ. Nec obstat hic incarnationis mysterium: nam licet quidem Deus & Homo unione hypostaticâ arctißimè sit unitus, adeò ut jam Deus & Homo una sit persona: Vna tamen natura per unionem illam non constituitur. Quæ enim (verba sunt Hafenrefferi lib. 3. stat. 3. loc. 2. pag. 316) naturaliter unita sunt, illa ita sese mutuo perficiũt, ut neutrum sine altero, perfectionem suam obtineat: *Sic sine animâ (intellige humanam)* corpus mortuum est: & illa separata, CORPORIS RESURRECTIONEM CUM DESIDERIO EXPECTAT) Sed Naturarum in Christo longè alia est ratio. Nam Christus perfectus Deus est, & perfectus homo, ex animâ rationali & humanâ carne subsistens. *Contra rectam itaq; rationem & naturale lumen hallucinati sunt prisci nonnulli Philosophi, Democritus & Thales Milesius, qui Deum mundi animam & formale principium rerum omnium: hominis, leonis, bovis & alterius rei cujuslibet, fingebant, ut refert* Eusebius lib. 15. de præparat. Evang. c. 6.

Occupat:

& Auguſt.lib.7.de civit.Dei.c.6. & 16. item
3 lib.4.c.11.& 12. *Neq́ porrò componitur Deus ex*
Genere & differentiâ. Quandoquidem neq́ Genus
neq differentia Deo tribui poteſt,ut id infra libro ſe-
cundo demonſtrabitur ex Thomâ 1. part. ſummæ
Angeli:quæſt.3.art.4.& 5. Aug.lib,7. de Trin.
cap.5.*Adeo enim ſub Genere Deus nõ eſt,ut potius ſu-*
per omnem ſubſtantiam eſſe dicatur à Dionyſio & Da-
maſceno.Et Cyrillus Alexandr:lib:11.Theſau.cap.1.
ait: Videmus ſubſtantialem differentiam in
compoſitis ſolùm inveniri:Deus autem ſim-
4. pliciſſimus eſt.*Neq́ tandem componitur ex naturâ*
& accidente. Quippe accidentia ſemper quandam
compoſitionem in ſubſtantiâ,item finitatem & imper-
fectionem præ ſe ferunt.At Deus eſt ſubſtantiâ ſimpli-
ciſſimus,eſſentiâ infinitus,& virtute eminẽtiâq omnẽ
perfectionem ſuperat:Ergo in Deum non cadunt acci-
dentia:Sed ſi quid accidentariam videatur præ ſe ferre
rationem, illud eſt τῇ οὐσίᾳ σύνδρομον, *vel, juxta*
Auguſtinum tract.20.in Ioannem:Conſubſtan-
tiale illi eſt,quicquid ejus eſt,& quicquid eſt.
Item lib.5.de Trin:cap.16.*inquit*:Nihil Dei na-
turæ accidit, nihil Deus dicitur eſſe ſecun-
dùm accidens.*Eandem penè ſententiam apud Iuſti-*
num Martyrem in quæſtione ad gentes legimus:
οὐδὲν συμβαίνει θεῷ,*nihil accidit Deo.*

Atq́ ita manifeſtum eſt,ſupremum Ens,Deũ Opt.
Max.ſimpliciſſimè perfectiſſimèq́ eſſe Vnũ,habens to-
talitatem in ſe recurrentem,perfectiſſimã,abſolutiſſi-
mam, carentem omni parte extra partem,perfectiſ-
ſimum individuæ ſuæ ſubſtantiæ complementum.Hunc

Damaſce-

Damascenus lib. 1. de fide Orth. cap. 12 τὸ θεῖον ἁπλοῦν ἐστὶ, καὶ ἀσύνθετον. Τὸ δὲ ἐκ πόλλων καὶ διαφόρων συγκείμενον, σύνθετόν ἐστιν. Εἰ οὖν τὸ ἄκτιστον, καὶ ἄναρχον, καὶ ἀσώματον, καὶ ἀθάνατον, καὶ αἰώνιον, καὶ ἀγαθὸν, καὶ δημιουργικὸν, καὶ τὰ τοιαῦτα οὐσιώδεις διαφορὰς εἴποιμεν θεοῦ, ἐκ τοσούτων συγκείμενον οὐχ ἁπλοῦν ἔσται, ἀλλὰ σύνθετον. ὅσπερ ἐσχάτης ἀσεβείας ἐστί, id eſt, Deus ſimplex eſt incompoſitus; quod autem ex multis & differentibus coaleſcit, compoſitum eſt. Sic igitur increatum, non initiatum, incorporeum, immortale, æternum, bonum, conditorem, & id genus, ſubſtantiales differentias, differentesque ſubſtantias dixerimus in Deo, ex tot coalitum, minime ſimplex erit, ſed compoſitum: QUOD QUIDEM EXTREMÆ IMPIETATIS EST. Et iterum cap. 13. πάντα οὖν ταῦτα κοινῶς ἐπὶ πάσης τῆς θεότητος ἐκλυπτέον, καὶ ταυτῶς, καὶ ἁπλῶς, καὶ ἀμερῶς καὶ ἡνωμένως. *Simpliciſſimè igitur Deus Vnus eſt, & Totus dicitur propter perfectiſſimam identitatem: Reliqua tota omnia ob multitudinis determinationem talia dicuntur, excepto puncto, quod* Punctum *quidem Totum eſt, ſed partibus caret: Punctum enim eſt, cujus pars nulla eſt.*

Theorema V.

Totum eſſentiale eſt, quod con-

tinet in se plura, unam actu essentiam realiter constituentia, ita ut plura illa tanquam partes rei insint.

Totius determinati divisio.

Totum determinatum, est Unum vel ἁπλῶς, vel κατά τι.

Vnum ἁπλῶς est, vel totum essentiæ, vel totum existentiæ:

Totum essentiæ est, vel reale, vel rationis:

Reale vel habet partes veras, vel tantùm potentias:

Quod veras habet partes, est vel essentiale, vel integrale:

Totum, quod per potentias distinguitur, vocant Potentiale.

Totum essentiale.

Totum essentiale illud dicimus, quod ex actu & potentia unum existit, *sive actus ille & potentia sit esse & essentia; ut in spiritibus: sive materia & forma; ut in corporeis: Nam omnia & angeli & ipsamet materia prima ad DEVM collata sunt composita.* Vide Scaligerum Exercit. 359. sect. 12. p. 1107. *Quodcunq; igitur ex potentia & actu existit, id unum est essentialiter, essentialeq; totum dicitur: sic corpus & anima rationalis constituunt Vnum, nempe hominem. Partes hæ essentiales arctißimè cohærent cum Toto, adeò etiam ut sublatâ alterâ, totum omninò tollatur. Sublatâ enim animâ rationali, tollitur homo, & sublato corpore, hominem quoque tolli necesse est.*

Ad unitatem & totalitatem hanc quodammodo referri posse videntur. 1. Unum συμφύσει naturali: qualis unitas temperamenti est, quæ mixtorum elementorum συμφύσει definitur, atq; alterationibus violentis caloris præsertim & frigoris solvitur. 2. Quod ratione subjecti & materiæ Unum dicitur: materia est duplex: Prima & secunda: ratione primæ materiæ privationem sibi annexam habentis, omnia corpora naturalia generationi & corruptioni obnoxia uniuntur & unum dicuntur. Materia secunda duplici consideratur modo: vel prout est proxima in constitutione, atq; hujus ratione omnia mellicrata Unum, nempe ratione mellis; & fluvij omnes dicuntur unum, ratione aquæ; vel prout est ultima in resolutione; hujus respectu omnia, quæ liquescere possunt, imò omnia humida Unum dicuntur, nempe aquæ & aëris respectu, in quem, tanquam ultimam materiam, resolvantur. 3. quod ratione formæ est Unum. Forma est vel communis, sive generica, vel propria sive specifica. Formâ generica dicuntur unum esse omnia, quæ genere conveniunt; sive genus illud sit proximum, sive remotum: ut homo & leo, unum sunt genere proximo. Animal enim de utroq; prædicatur, & homo & stirps unum sunt substantia, ut genere remoto. Nam & homo est substantia, & stirps est substantia. 4. Tandem huc referri possunt ea, quæ essentiali definitione unum sunt, quà tantùm unum dicuntur esse illa, quæ in eâdem specie conveniunt. Verùm hæc potius ad Totum universale referri debent, ut suo loco videbimus.

Cognata hujus. 1. 2. Materia prima. 3. Forma duplex. 4.

Theo-

Theorema VI.

Totum integrale est, quod continet plura, quæ aliquid realiter constituunt, non quidem per modum actus & potentiæ; sed per modum continuationis & contactus.

Integrale totum.

Totum integrale *alias finitur, quod resultat ex partibus, quantitatem habentibus; Et pars integralis, quæ cum aliis partibus reddit quantitatem totius Vt ex capite conjuncto collo, & illo cum humeris, & his rursum cum brachiis & ventre atq; ita deinceps, integratur hominis quantitas.* Titelm. lib. 5. Dial. c. 7. *Vel, ut definitio Philosophi habet,* μόρια λέγεται, ἐξ ὧν σύγκειται τὸ ὅλον: partes dicuntur, ex quibus totum sive integrum componitur. lib. δ. Metaph. c. 25. Vide etiam Aristotelem ibidem c. 26. Averroëm. t. 31. Epit. Metaph. tr. 1. & 3. Thomas 5. Metaph. lect. 20. *Totum integrale ad solam quantitatem accommodavit.*

Differentia integralis & essentialis.

Differt totum integrale à toto essentiali: *1. Parte totius integralis sublatâ, non statim tollitur totum sive res; sed rei integritas: Atqui sublatâ parte essentiali, statim tollitur res: ut sublatâ anima rationali, homo tollitur: sublato brachio homo non tollitur. Nonullæ quidem partes integrales sunt, quibus sublatis, res esse definit: propterea autem non sunt*

essentiales censendæ: quia alia caussa subest; nempè quòd sublatæ illæ, vitæ caussa corpori animato subsistant. 2. Totum essentiale *est in partibus essentialibus sive essentiam constituentibus, nempe materiâ & formâ, vel omninò in actu & potentiâ sive esse & essentia:* Totum *verò* integrale *tãtùm in partibus quantitativis locũ habet, ut jam ex Thomâ retulimus.*

Ex theoremate intelligitur partes integrales in duplici esse differentiâ, unde & duplex totum colligitur. Quædam enim partes sunt continuæ: quædam non continuæ. Ergò & totum aliud continuum, aliud non continuum.

Continuum est, cujus partes non tactu sunt unum, sed uno communi termino clauduntur, *ut linea* Arist. lib. δ. Metaph. t. 8. lib. 1. de cœlo c. 1. lib. 5. Phys. c. 3. *Hinc* partes continuas *in toto illas dicimus, quæ non divisim sed continuo ductu rei insunt. Partes has cum Medicis divisit Damascenus Dialect. cap. 6. in* ὁμοιομερεῖς *&* ἀνομοιομερεῖς, similares & dissimilares sive organicas. Similares *dicuntur, quæ eandem rationem atque idem nomen cum toto obtinent. Tales partes habent caro, ossa, nervi &c. quælibet enim pars carnis, caro est; & oßis, os est; & nervi, nervus est. Huc quoque referri possunt partes lineæ, etiamsi sit inflexa & angulum faciat: quælibet enim pars ejus linea est: punctum enim non pars lineæ; sed principium dicitur.* Dissimilares *sunt, quæ eandem denominationem & rationem cum toto non habent, & dicuntur Unum* συνθέσει *sive concretione, quæ duplex est;* Similare. Dissimilare. σύνθεσις.

plex est; Naturalis & Artificialis. Naturali *συνθέσει & concretione Vnum est musculus: quippe qui naturaliter est ex substantiâ carnosâ & nervorum. Sic corpus humanum componitur ex collo, brachiis, pedibus.* σύνθεσις artificialis *aut consistit in ordine, aut in verâ conjunctionis vel mixtionis unione.* Σύνθεσις *in ordine ea est, ubi partes quodam ordine copulantur: ex ejusmodi partibus est exercitus, respublica, familia.* Σύνθεσις *in verâ conjunctionis unione consistens est in arbore, cui ramus alterius speciei est insitus.* Σύνθεσις *in verâ mixtionis unione consistens est in liquoribus mistis, qui compositi sunt ex simplicibus imperfectè alteratis: ut vinum lymphatum, Oxymel etc.* Totum integrale non-continuum est, cujus partes tactu sunt unum. *Est vel* contiguum *vel* colligatum. Contiguum est cujus partium superficies sunt simul, *hoc est, se mutuo tangunt, cum sequantur, hoc est, immediatè jungātur. Sic orbes cælestes sunt unum, & annuli in Catena.* Colligatum est, cujus partes per tertium & intermedium vinculum connectũtur. *Sic Mensa est una ratione συνθέσμου nempe glutinis, quod unitatis illius quasi forma est: Et fascis ratione vinculi unus est: &c. Toti huic integrali opponitur* κολυβὸν, *mutilum: videatur Aristoteles* δ. *Met. c. 27. Et ibid. Fonsec.*

Theorema VII.

Totum potentiale sive potestativum est, quod habet potentias

tias diversas à suo subjecto, vel suâ substantiâ, quæ principia operationum existunt.

Tale totum dicitur illud, quod neque essentiales, neq; integrales partes habet; sed tantùm potentias varias. Vt anima neq; essentialibus, neque integralibus partibus constituitur; sed illis destituitur; potentiis verò distinguitur. Sic pars sensitiva à potentiâ & facultate sentiente: pars vegetativa à potẽtiâ vegetante denominatur. Et anima rationalis in intellectum & voluntatem, tanquam partes distinctas, tribuitur. Hoc totum videtur partibus superaddere essentiam substantialem, in quâ uniuntur. Vt juxta Thomistas anima superadditur potentiis, tanquam partibus.

EXERCITATIO OCTAVA.

DE TOTO UNIVERSALI.

Typus hujus Exercitationis.

- G. Vniversale (th. 1.) Est vel (th. 2.)
  - Complexum: th. 2.
  - Incomplexum. Quod universale dicitur vel
    - Per quandam analogiam: Et est universale (th. 3.) in
      - Caussando.
      - Essendo.
    - Propriè: Et vocatur Vniversale in prædicando: quod vel (th. 4.)
      - Ἀνάλογον: quod vel (th. 4.)
        - Attributionis.
        - Proportionis.
      - Συνώνυμον: Quod explicatur à Theor. 4. usq; ad 10. Vbi dividitur in
        - Genus.
        - Speciem.

Theorema I.

Universale est unum quoddam ad multa pertinens.

Ordinis ratio.

Totum essentiæ Exer. 5. in reale & rationis *tributum est*. De Toto reali *in suis speciebus, quæ sunt:* essentiale, integrale, *&* potentiale, *hactenus: sequitur* totum rationis, *aliàs* Universale *dictum; quod Exercitatione hac nobis considerandum & explicandum venit.*

Universalis descriptio.

Universale *itaq; in maximâ suâ latitudine sumptum ita definitur*, quòd sit unum quoddam, ad multa pertinens: *ut Ens, essentia, substantia, quantitas. Vnde illa unitas sit, quomodoque ad multa pertineat, ex sequentibus manifestum erit.*

Theorema II.

Universale est vel complexum vel incomplexum.

Vniversalis divisio.

Quemadmodum τῶν λεγομένων, τὰ κατὰ συμπλοκὴν λέγεται, τὰ δὲ ἄνευ συμπλοκῆς. Aristoteles libro Categ. c. 2. §. 1. *ita dividitur* Universale *in* complexum *&* incomplexum. Illud *dicunt propositionem cum signo universali. ut omnis homo est animal: omnis arbor est substantia. Vniversale hoc huc non pertinet.* Incomplexum *vocant nudum terminum absq; signo: ut substantia, homo, leo.*

Theo-

Theorema III.

Vniversale incomplexum triplex faciunt, aut est universale in caussando, aut signando, aut prædicando.

Vniversale aut est propriè dictum universale, nempe universale in prædicando; aut est universale per quandam analogiam, quod est vel in caussando, vel in signando.

Vniversale in caussando *dicimus, quod quidem suâ naturâ singulare existit; ad multorum tamen effecta producenda concurrit; ut Deus, Sol, Cœlū &c. Vnde & caussæ universales dicuntur. Deus enim caussa est omnium rerum, quæ bonæ sunt* Gen. 1. Plato in Philos. p. 699: *ipse tamen individuum est, perfectissimáq; unitas, non universalis; sed singularis & individualis, ut in superioribus explicatum est.* Vniversale in causando.

Vniversale in significando *est conceptus, vox, & aliquod signum, plura significandi vim habens, non quidem sumptum communiter; sed prout unum conceptum Individualem in mente nostrâ constituit formaliter, eúmq; significat; ut humana natura, equina, bubula &c. res sunt singulares mente conceptæ.* Vniversale in significando.

Vniversale prædicando *definitur à Philosopho* lib. περὶ ἑρμ. c. 7. §. 1. λέγω *inquit* καθόλε, ὃ ἐπὶ πλειόνων πέφυκε κατηγορεῖσθαι. Vniversale appello, quod suâpte naturâ multis tribuitur. *Et alibi:* ὃ πλείοσιν ὑπάρχειν πέ- Vniversale prædicando.

φυκε quod aptum est, ut in pluribus insit. lib. ζ. Metaph. c. 13. lib. 2. post. analyt. c. 13. §. 2.

Theorema IV.

Vniversale in prædicando aut est ἀνάλογον aut συνώνυμον.

Vniversale in prædicando dupliciter sumitur.

Τὸ καθόλȣ in prædicando *dupliciter acceptum legimus apud Philosophum: alias in significatione latißima, quando ἀνάλογα includit* β. Metaph. c. 3. text. 10. & cap. 4. t. 16. *ut quando Ens & unum maximè universalia dicit, & tot species unius, quot Entis* γ. Metaph. c. 2 text. 3. *alias in strictißima significatione, quando Ens & Vnum distingvit, atq; non esse Vniversalia, & non eadem in omnibus dicit,* ibidem text. 6. *quod* Vniversale συνώνυμον *dicitur, quod non tantùm ratione; verùm etiam re unum, & quidem tale, quod definitiones præmissæ immediatè respiciunt, quodq; multis inesse potest per modum* ταυτότητος.

Vniversalia πρὸς ἕν.

Analoga *verò & potißimùm illa,* quæ ab uno ad unum & secundùm prius & posterius *dicuntur, universalia dici posse, & aliquam illorum unitatem esse, indè conspicuum est, quòd illorum una sit scientia; quemadmodum id manifestißimè asserit Philosophus* lib. γ. Metaph. c. 2. *Et si illorum una scientia non daretur, frustra Metaphysicam, ens, quatenus Ens est, considerantem, quæreremus: cum Ens non univocum, sed analogum genus sit, ut in superioribus: & alias sæpius à nobis demonstratum est.*

Divisio autem hæc Vniversalis in ἀνάλογον *&* συνώ-

συνώνυμον in scriptis Aristotelis accuratè observanda est: Neglecta enim illa & non animadversa, caussa esse poterit, ut suspicemur, contradictionem in Philosopho esse, ubi nulla datur, verbi gratiâ. lib. 1. Eth. c. 4. *refutans Aristoteles opinionem Platonis de Ideis, inquit:* præterea cum Bonum totidem modis dicatur, quot illud, quod est (nam & in substantia dicitur, ut Deus & mens: & in qualitate, ut virtus: & in quantitate, ut mediocritas: & in ijs, quæ ad aliquid, ut utile: & in tempore, ut occasio: & in Vbi, ut diversatio, & alia hujusmodi) perspicuum est, commune aliquod & vnum bonum universum esse non posse. *Et addit rationem hanc eodem loco*: quia non in omnibus prædicamentis; sed in uno solo diceretur. *Vbi sanè Philosophus non tantùm negat, Ens & vnam vniversalia esse; sed & manifestissimè docet universale nullum dari, quin sit in aliquo distincto prædicamento, vel in substantiâ vel in quantitate, vel in qualitate &c. Si itaq; per datam distinctionem non concilietur Aristoteles, sibi contrarius apparebit. Dicendum itaq; Philosophum hic agere de vniversali verè & propriè ita dicto, hoc est, συνωνύμως: quando autem dicit, Ens & Vnum esse Vniversalissima, universalium nomine simul analoga comprehendere. Cæterùm duplex datur* Analogia: vna attributionis; proportionis altera. Hæc *sumitur ex proportione plurium rerum in ordine ad aliquos terminos: & consistit in hoc, quod principale analogatum denominatur tale à sua formâ absolutè considerata: aliud verò similem quidem recipit denominationem*

nem à suâ formâ, sed non absolutè consideratâ, verùm quia in ordine ad illam servat quandam proportionem cum habitudine primi analogati ad suam formam. Et hæc analogia semper aliquid Metaphoræ & improprietatis includit: verbi gratiâ; Homo dicitur ridere à proprio actu ridendi absolutè sumpto: Pratum verò ridere dicitur à viriditate suâ non absolutè, sed prout servat quandam proportionem pratum viride ad hominem ridentem; atq; ita per translationem Metaphoricam RIDERE de Prato dicitur. Hæc Analogiam simpliciter Analogiam vocat Philosophus lib.δ. Metaph. t.6.2.post.c.16. Illa attributionis analogia nullibi à Philosopho analogiâ dicitur, sed semper exprimitur per hæc verba: De VNO AD VNVM. lib. γ. Metaph. t. 2. lib.1. Eth. c.6. eo, quòd id, quod posteriori tribuitur, tribuatur ei per prius. Analogia hæc duobus fit modis. 1. Quando forma denominans intrinsecè est tantùm in uno extremo; in aliis verò solùm intrinseca habitudo ad illud: sic sanũ absolutè dicitur de animali: de medicinâ autem & urinâ per habitudinem & attributionem ad animal. Prioris hujus modi analogia vicissim duplex est: alia mediata, quando nimirum denominatio duarum rerum non sumitur ex proportione ad se invicem; sed ad aliquod tertium, ut cum Vrina & Medicina sanæ dicuntur, illa significando, hæc efficiendo: neutra tamen sic dicitur ex proportione ad alteram, sed ex attributione ad animal sanum. Alia immediata, quæ est inter proprium analogatum & quodlibet ex reliquis; ut inter animal & medicinam, vel inter animal & urinam. Alter modus, quo analogia

gia attributionis *fieri dicitur, est, quādo forma denominans intrinsecè est in utroq; membro: quamvis in uno absolutè, in altero verò per habitudinem ad aliud. Hoc posteriori modo analogiæ, Ens de substantiâ & accidente dici diximus supra* Exercit. 3. th. 2.

Theorema V.

Vniversale univocum est unum quid nomine & ratione, quod aptum est, ut in pluribus insit, & divisim in illis multiplicetur, ideoq; de pluribꝰ etiā prædicetur.

Debet itaq; primùm Vniversale Vnivocum *esse unum* NOMINE ET *RATIONE*, *quod univocorū naturamaximè requirit: Cum univoca sint* ὧν τό,τε ὄνομα κοινὸν, καὶ ὁ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας ὁ αὐτός Arist.lib. Categor. c. 1. §.2. *Et in hoc consistit prima formalis ratio universalis naturæ, ut sit* unum *quodammodo: quod enim unum non est, universale non est, sed rerum multitudo sive aggregatio. Excluduntur autem hâc Vnitate primùm* æquivoca: *Deinde etiam universalia complexa. Quemadmodum enim illa non sunt ratione & definitione idem: ita hæc non sunt unum nomine.* Vniversale vnivocum, quatuor requirit. 1.

Additur, quod sit aptum, ut in pluribus insit, *quo altera formalis ratio vniversalitatis exprimitur; Non enim sola vnitas vniversale constituit, sed unitas conjuncta cum communitate. Si enim non sit apta illa unitas esse in pluribus, non erit universalis, sed singularis. Notetur nos aptitudinem, non actum essendi in* 2.

pluribus, formalem universalis rationem asserere. Verum enim est, quod vulgo dicitur ita: De ratione universalis est, non esse in multis, *scilicet per essentialem & veram Identitatem.*

3. *Dicitur porrò,* quod est aptum ut in illis pluribus divisim multiplicetur, *id est, ad particularia sive singularia distinctim contrahatur. Ut* homo, *species illa universalis, apta est ut in Petro, Paulo, Thomâ &c. divisim multiplicetur, sive ad illa individua contrahatur ita ut de Petro dici possit, hic homo; de Paulo, hic homo; de Iohanne, hic homo; atque ita alius atque alius homo. Nam licet quidem Iohannes sit homo & Paulus sit homo; tamen Iohannes non est ille homo, qui est Paulus; neque Paulus ille homo est, qui homo Petrus est. Est enim, uti diximus, alius homo Petrus, alius homo Paulus, alius homo Iohannes, adeoque sunt tres homines, Petrus, Paulus, Iohannes. Hâc igitur universalis affectione à nomine & ratione universalis excluditur Deus, qui licet quidem de tribus in sacrosanctâ Trinitate personis directe prædicetur: verè etenim secundùm fidem Catholicam & Christianam, pater est Deus, dicitur, filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus; non tamen multiplicatis personis, multiplicatur Deus; neque enim ad singulas illas hypostases ita per specificas differentias sive characteristicas personales contrahitur, ut tot oriantur Dii, quot dantur personæ. Quoniam non alius Deus est Pater, non alius Deus Filius, non alius Deus Spiritus sanctus, adeoque tres Dii: sed unus Deus est, qui multiplicatis personis minimè multiplicandus est. Contra fidem itaque Christianam & Catholicã veritatem pessimè impingunt, qui Deum*

Deus excluditur ab universali.

trium personarum Divinitatis vel genus, vel speciem, statuere audent. Solvitur enim Trinitatis mysterium, & tres Dij impiè finguntur, & ἀθεολόγως producuntur. Notetur etiam secundùm hanc universalitatis affectionem, nos aptitudinem, non actum ipsum divisim multiplicandi in pluribus astruere: partim quia id natura & unitas vniversalis per se requirit, ut ex sequentibus intelligetur: partim quia dantur naturæ universales, quæ quidem aptæ sunt, ut divisim multiplicari possint in pluribus; sed actu nunquam multiplicantur, ut natura lunæ; essentia solis; & omnium illorum, quæ non multa sunt numero; sed ut specie, ita & numero unum existunt. Tandem concluditur: ideoq; de pluribus etiam prædicetur. *Quo etiam propria Vniversalis affectio declaratur. Nam quia vniversale est unum, & inest in rebus à quibus abstrahitur, atq; ita indifferens redditur, de omnibus suis inferioribus prædicari propterea potest.*

Nota.

4.

Theorema VI.

Vnitas Formalis & Vniversalis est tantùm ratione, sive solo modo distincta ab vnitate Individuali.

Vnitatem vniversalem & formalē *ab unitate Individuali sive numerica distincta esse, præter nominales, doctissimi quiq; Metaphysici defendunt.* Thom. in opusc. de natura generis c. 7. Scotus in 2. dist. 3. q. 1. & 7. Metaph. q. 10. Cajetanus de Ente

Vnitas duplex materialis & formalis.

& essentiâ c.4.q.6.Iavellus lib.8.Metaph.c.11.
Probatio. 1. *Probatur etiam tali argumento: Quicquid est Ens indivisum; illud est unum: Vnum enim nihil aliud, quàm ens indivisũ est,* Arist.γ.Metaph.text.3.& ι.Metaph.text.2. *Atqui præter materialem indivisionem, quæ numerica & Individualis dicitur, datur adhuc alia, nempe formalis sive essentialis, quâ, verbi gratiâ, plures homines (licet materialiter & individualiter sint distincti) eandem specie essentiam & definitionem habent. Ergo præter unitatem numeralem adhuc datur formalis & universalis.*
2. *Deinde ex eodem fundamento, nempe unius definitione, concluditur: Vnitas dicit carentiam divisionis: Atqui in rebus est duplex divisio: materialis, quam Entitativã; & formalis, quam essentialem vocant: Ergo tot quoq; erunt unitates.*
3. *Ex ipsorum quoq; individuorum consideratione hoc manifestum est.* Nam, *verbi gratiâ,* Iohannes *non tantùm unus numero dicitur; sed etiã unus essentiâ; quam essentiã communem habet cum* Petro *& alijs. Æque enim* Petrus *homo, sive animal rationale est, atq;* Iohannes.
4. *Tandem inter divisiones Entis hæc quoq; est; quòd omne Ens, aut universale sit, aut particulare sive singulare.* Arist.lib.περὶ ἑρμ.c.7.§.1.
Nominales improbantur. *Nominales itaq; reprehensione potius, quã refutatione digni sunt; quãdoquidem pessimã implicant contradictionẽ, ponentes nomina sine rebus: cũ aliàs cuilibet sit quàm notissimũ, nomina esse rerum nomina illarumq; Symbola.* Arist. περὶ ἑρμ. c.1. *Cõtradictio autẽ potissimùm in eo est, quòd defendant esse universalia, & negent iterũ universalia esse eo, quòd tantùm nomina universalia fingant. Sed abrumpenda hæc sunt.*

In eo ergo conveniunt Metaphysici doctiores & saniores, esse distinctas Vnitates; numericam sive individualem, & universalem seu formalem. *In modo verò, unitatem hanc formalem explicandi, discrepant.* Scotus & Scotistæ *censent unitatem formalem & universalem secundùm rem & rationem distingui ab unitate Individuali: alij verò tantùm rationis discrimen admittunt.* Scoti *opinione missâ, posteriorem sententiam veriorem esse statuimus:* Unitatem *nimirum* formalem ab unitate individuali ratione saltem distinctam esse. *Probatur hunc in modum: quæ unitates non distinguuntur à parte rei, sive ex naturâ rei; illæ tantùm ratione sunt distinctæ. Atqui Vnitates Individualis & Vniversalis non distinguũtur à parte rei. Ergo &c. Minor manifesta est. Nam essentia communis & Entitas singularis non distinguuntur ex naturâ rei; sed ratione tantùm: Ergo neque unitas formalis & Individua. Etsi enim natura universalis & formalis distinctè & secundùm se, ab Individuis præcisa, considerari possit: nihilominus tamen hujusmodi natura Ens reale non est, nisi in Individuis. Rectè enim Philosophus:* Destructis primis substantijs, nihil est reliquum, lib. Categ. c. 5. *Extra individua verò verè Ens reale neq; actu, neq; potentiâ esse potest. Neque igitur Vniversale veram realitatem habebit, nisi in Individuis: à parte verò rei nihil, nisi singulare & individuum, atq; in ipsis singularibus nihil est ab eis ex naturâ rei distinctum.* Nihil itaq; aliud est singulare, quàm universale coarctatum sive contractum per Individualem conditionem.

Vnitas formalis à materiali tantùm ratione differt.

Singulare.

nem. *Hinc Scholastici*: Genus, *inquiunt*, & Species idem sunt, sed inconvertibiliter: & genus & species non differunt à suis individuis reipsa, sed ratione.

Theorema VII.

Unitas formalis, prout existit in rebus ante omnem Intellectus operationem, non est multis Individuis communis.

Universalium distinctio, triplex.

Notanda est hic τῶν καθόλȣ *triplex distinctio: Alia enim sunt* πρώτων πόλλων Universalia ante multa; *quæ* ȣ̓σίαι ἀρχέτυποι *Platoni fuerunt: alia* ἐν τοῖς πολλοῖς in multis: *alia* ἐπὶ τοῖς πολλοῖς post multa. *Si itaque formalis unitas in rebus existens esset per se ante intellectus operationem communis; utique* ȣ̓σίαι *illæ* ἀρχέτυποι *& Ideæ Platonicæ introducerentur. Plato enim & Heraclitus posuerunt naturas quasdam separatas & per se existentes Universales*, *quas* Ideas *vocabant. Scientia enim est de universalibus, oportet insuper dari Naturam à rebus separatam, cujus actione similes effectus à particularibus caussis, dissimiliter agentibus, producantur. Cognitio denique nostra Rerum naturæ, quæ ipsius mensura, respondere debet. Quamvis autem Augustinus* lib. 83. qq. 46. lib. 12. de civitat. Dei cap. 16. Dionys. de divin. nom. c. 28. Arabes aliquot: Seneca 8. Epist. 66. Sim-

66. Simplic. Them. Cicero. 1. Thusc. qq. Plutarch. 1. de plac. cap. 10. Euseb. de præp. Evang. Patritius in discuss. & alij *judicent, Platonis sententiam ab Aristotele inversam & perversam: Id tamẽ discipuli reverentia, solennes protestationes*, 1. Ethic. ca. 4. lib. α. maj. Metaph. ca. 6. lib. ζ. eor. cont. 31. & alibi: *testimonium Laertij* lib. 6. *Scaligeri* Exerc. 6. s. 2. *plura item alia non permittunt. Universale porrò post multa fundatur in formali unitate, quæ in rebus est: quæ licet quidem conjuncta sit in præcedentibus cum unitate universali; tamen plane eadem non est. Est enim communitatis universalis tantùm fundamentum. Aliud enim est loqui de unitate formali, aliud de communitate ejusdem unitatis. Unitas in rebus est, ut ex præcedentis Theorematis expositione liquet: communitas verò, propriè & accuratè si loqui & rem considerare velimus, non est in rebus: cum nulla unitas, in re existens sit communis. Rectè enim Boëtius:* omne quod est, eo ipso quod est, singulare est, *hoc est, quemadmodum interpretatur Dominus Philippus:* quæcunque res in natura verè & positivè est quiddam extra intellectionem, est singularis per se. Erot. Dial. p. 12. *omne autem singulare est incommunicabile; incommunicabile verò, prout tale est, commune esse nequit. Ergò unitas illa formalis non est ex se, per se, & in se communis: Ergo neque communis erit ante intellectus operationem.*

Theo-

Theorema VIII.

Vnitas universalis non est ante operationem mentis; atque propterea universalitas naturæ non potest actu in rebus ipsis inveniri.

Theorematis hujus certitudo colligitur ex præcedente. Si enim formalis unitas non ante intellectus operationem communis est: neque universalis unitas erit ante mentis operationem. Hæc verò ut rectè intelligantur, notanda est distinctio inter unitatem formalem & unitatem universalem. Unitas universalis est universali rei, prout universalis est, propria, neque rei singulari, prout talis

Distinctio unitatis formalis & universalis.

1. est, & universali opponitur, convenire potest. Unitas verò formalis per se indifferens est ad naturam, vel universè conceptam, vel in individuis contractam. *In hanc sententiam dixit* Avicenna lib. 5. suæ Metaphys. *statim in initio:* Equinitas secundùm se tantùm est e-
2. quinitas, non una vel plures. *Deinde Vnitas universalitatis, ut universalis est, non potest multiplicari in inferioribus; sed multiplicatur tantùm divisim, quo unitas tollitur, & ad unitatem formalem abit. Alias enim inferiora potius unum sunt sub unitate universali, quod dixit Porphyrius:* participatione speciei plures homines esse unum hominem. *Vnitas verò formalis multiplicatur in individi-*

dividuis cum ipsâ naturâ. Vnde intelligitur eandem unitatem non esse universalem, & formalem.

Obijcis: *Quot sunt divisiones, tot sunt unitates: atqui duæ tantùm sunt divisiones, nempe formalis & materialis:* Ergò *tantùm duæ unitates: formæ, quæ formalis: & materiæ, quæ materialis dicitur:* Et *per consequens unitas universalis aut reducenda est ad formalem, sive eadem est cum formali: aut eadem est cum numerali: Atqui cum numerali eadem non est: est enim illi opposita:* Ergo *aut erit formalis, aut nulla erit.* Respondet Suarez. disput. 6. Metaph. sect. 2. dist. 9. *esse quandam unitatem ab his distinctam, habentem proprium nomen, propriamq; rationem.* Dicitur *enim hæc unitas universalis, ejusq; ratio consistit in indivisione alicujus naturæ in plures naturas similes, sub eodem nomine & ratione cum aptitudine, ut in eas dividatur. Itaq; hujusmodi unitas utrumq; includit, scilicet indivisionem & aptitudinem ad divisionem in plura ejusdem nominis & rationis; sed quæ talia sint, ut unumquodq; totum divisum, quoad ejus actualitatem in se includat & contineat.* Eo *itaque unitas universalis* à numericâ differt: *numerica enim non tantùm dicit indivisionem, sed etiam inaptitudinem ad divisionem in talia, quale ipsum indivisum est.* Differt à formali, *quòd quidem non repugnet illi communicabilitati, illam tamen non requirat. Distinguendum itaq;, inter divisiones & unitates, quæ sunt in ipsis rebus, quarum altera formalis, altera materialis tantùm est; & inter illam, quæ ab intellectu perficitur, qualis unitas universalis est: potest autem revocari unitas hæc ad unita-*

Objectio.

Responsio

Differentia numericæ & universalis unitatis.

unitatem numeralem, quæ tamen simpliciter non realis, sed rationis potius, sive objectiva, ut declarat id apud eundem Suaretz loco allegato dist. 12.

Vniversale.

Vnde colligitur, quod in theoremate positum est; Unitatem universalem non esse ante mentis operationem, neque in rebus ipsis inveniri, sed per intellectus functionem insurgere, sumpto fundamento sive occasione ex ipsis singularibus. *Si enim in rebus nulla alia datur unitas, præterquam formalis & materialis sive numerica: Vniversalis unitas in rebus, adeoq; realis, non erit: quippe quæ ab unitate formali & numerica est distincta. Erit itaq; unitas saltem rationis conveniens naturis, prout menti objiciuntur, indeq; per denominationem insurgens. Atq; hanc esse sententiam Philosophi colligitur* ex 1. de anim. c. 1. text. 8. *ubi inquit:* τὸ δὲ ζῶον τὸ καθόλου, ἤ τοι οὐδέν ἐστιν, ἢ ὕστερον animal autem universale, aut nihil est, aut posterius: *nempe post intellectus operationem, ut recte verba hæc interpretantur,* Thomas, Albertus Magnus *& alij: Et* Averroës *supra locum citatum* pag. 7. dist. c. intellectus est, *inquit*, qui facit in rebus universalitatem, & lib. 12. Metaph. c. 1. Comment. 4. p. 315. A. *distinguit Platonis & Aristotelis de Vniversalibus sententiam his verbis:* universalia apud Aristotelem sunt collecta ex particularibus in intellectu, qui accipit inter ea consimilitudinem, & facit ea unam intentionem: Plato verò ponebat universalia existētia extra animam per se &c. Ibid. c. 4. Comment. 27. pag. 331.

Differentia universalis Aristot. & Platonis.

Univer-

Universalia, *inquit*, non habent esse extra animam. Thomas in Opusc. de Ente & Essent. c. 4. *ait*: naturam secundùm se neque universalem neque singularem esse. *Idem probat Philosophus* lib. Categ. c. 5. §. 1. *quando substantiam in primam & secundam.* Item li. περὶ ἑρμ. c. 7. *quando res in singulares & universales dividit. Vt enim hic* Res *indifferenter se habet ad universale & singulare; ita ibi substantia se habet indifferenter ad primam, quæ singularis est: & ad secundam, quæ universalis.* Iterum Thomas 1. part. quæst. 85. art. 1. & 7. Metaph. text. 13. docet: intentionem universalitatis esse ab intellectu. *Idem statuisse videtur* Damascenus lib. 3. de fide c. 11. *ubi inquit*: naturam aut solà cogitatione contemplari: aut in omnibus ejusdem speciei hypostasibus, quas conjungit: aut in uno Individuo. *Per naturam enim solâ cogitatione consideratam intelligit naturam universaliter conceptā.* Substantia prima & secunda.

Obijcis: *in rebus non tantùm inveniri unitatem formalem; sed insuper etiam unitatem, quâ omnes humanæ naturæ dicantur habere eandem rationem formalem, adeoq; formalem unitatem, ratione cujus eandem definitionem participent, omnesq; homines ex parte rei dicantur esse ejusdem naturæ.* Respondemus *distinguendum esse inter unitatem & similitudinem.* In rebus quidem est similitudo, (*Damascenus* lib. 1. de fide Orthodox. cap. 11. συνάφειαν, *quod reddere possumus affinitatem, vocat*) sed non unitas. *Ita humanitas Petri similis est humanitati Pauli &c. Vnde res plures dicuntur* Objectio. Responsio.

quidem

Idem latè sumitur.

quidem ejusdem naturæ, vocabulo ejusdem *latè sumpto, nempe pro* simili. *Fundamentaliter itaq; vi nimirum illius similitudinis, res in se habere dicuntur eandem definitionem: formaliter verò per operationem intellectus: quandoquidem definitio opus mentis est. Similitudinem autem non esse in rebus ipsam universalis unitatem inde colligitur: quia neque necessaria, neque sufficiens est ad constituendam unitatem universalem. Similitudo enim illa partim actu in multis est, quod de unitate universali negatur: partim etiam nullo modo datur, ut natura cœli non habet similem, natura solis non habet similem. Ergo quoad actualem existentiam necessaria non est illa similitudo. In potentiâ autem quando similitudo illa accipitur, omninò necessaria est. Nisi enim talis similitudo esse posit; nulla quoq; dari potest universalitas. Quòd autem non sufficiat illa similitudo, sive accipiatur in actu, sive in potentiâ, ex eo manifestum est. Nunquam enim vi similitudinis illius aliquid ut unū; sed semper ut multa similia inter se concipiuntur. Universale autem, quatenus universale est, semper ut unum concipi debet. Deinde (ut retineam verba* Suaretz) Universale, ut universale, concipitur ut indivisum actu, quatenus tale est, & divisibile & communicabile aptitudine: res autem, prout à parte rei sunt similes, in naturâ potius sunt actu divisæ, & aptitudine sive fundamentaliter unibiles, ut sic dicam, in unâ naturâ universè concepta.

Definitio opus mentis.

Similitudo in rebus non est universalis unitas.

Object.

Obijcis (*Si universalia tantùm sunt per operationem mentis: Ergo nihil erunt in rebus, & falsa erit*

erit diviſio Philoſophi; quâ res dividit in univerſales & particulares ſive ſingulares lib. περὶ ἑρμ. c. 7. *falſoq; reprehendit* Heraclitum & Cratylum, *quod dicebant in reb9 nihil eſſe præter ſingularia*, lib. ά. μετ. Met. c. 6. & lib. γ. eorum c. 5. *Item falſum erit, quod habet* ζ. Met. text. 56. Vniverſalia non eſſe à rebus ſeparata: *neq; verum erit illud*, 1. poſt. tex. 5. 11. 33. 39. 43. ſcientiam eſſe de univerſalibus, quæ in ſingularibus exiſtunt. *Reſpondemus omnia hæc eſſe quàm veriſſima, & per illa, quæ à nobis hactenus diſputata ſunt, optimè ſtare poſſe. Quandoquidem & nos planè ſumus in eâdem ſententiâ: univerſales & communes illas naturas reales eſſe, & in rebus verè exiſtere: quandoquidem eas mens non fingit aut pingit; ſed potius apprehendit, & in rebus eſſe intelligit, de illiſq; ita conceptis definitiones tradit, demonſtrationem efficit, ſcientiamq; inquirit & conſtituit. Sed rectè intelligendum eſt*, quomodo res univerſales ſint reales. Vniverſale *eſt* duplex, aliud in actu, aliud in potentiâ. Vniverſale in actu eſt natura ab omni Individuatione abſtracta, conceptaq; per modum uni9 Entis indiviſi, & communis multis, habẽtisq; proximam aptitudinem, ut de illis prædicetur. Vniverſale in potentiâ eſt, quod non habet illam univerſalitatem actualem; ſed tantùm præbet intellectui fundamentum, ut illam poſſit concipere & formare. *Quod itaq; ſpectat* univerſale in actu, *illud, quatenus tale, extra mentem & intellectum non dari, per ſe manifeſtum eſt*. Vniverſale *verò* in potentiâ *reverâ datur in*

Reſp.

I. Vniverſale actu vel potentiâ.

rebus, quandoquidem in illis aliquod datur fundamentum abstractionis sive conceptionis universalis. Deinde distingvitur quoq; inter Vniversale abstractum, concretum, & relatum. Vniversale abstractum *metaphysicum vocant, & potest coincidere cum illo, quod supra ante multa diximus, atq; hoc universale propriissimè quidem diceretur vniversale, si quid esset reipsâ ab Individuis separatum: Atq; hoc esset maximè considerationis Metaphysicæ, ideoq; Philosophus* lib. ζ. Metaph. *accuratissimè de hoc universali inquirit, & demonstrat, tale nullum reverâ dari in naturâ: Sed illud non re, verùm ratione tantùm à rebus distingvendum esse.* Vniversale Concretum, *quod Physicum vocant, & universale in multis aliàs dicitur, est natura universalis, prout in rebus existit, atq; ita universale non formaliter; sed materialiter accipitur, nempe pro naturâ, quæ abstrahi potest, & universaliter cõcipi.* Vniversale relatum, *quod aliàs* Logicum *vocant, dicitur ipsum Vniversale in actu, quod per operationem intellectus formatum, in intellectu existit. Quod attinet hoc Vniversale, extra intellectũ in reb9 id esse, negatum jam est:* Vniversale verò Metaphysicum *fundamentaliter in rebus reverà est. De* Physico *nemo dubitabit. Duo itaq; porismata hæc tenenda sunt.* 1. Vniversalia, propriè ita dicta, dari extra mentem materialiter non formaliter. 2. Vniversalia concreta esse ex re & modo, *hoc est, continere conceptum formalem rei & universalitatem. Res itaq; extra mentem existens, est fundamentum conceptus formalis, quo ipsa res, ut est,*

2. Vniversale triplex. 1. Abstractum.

2. Concretum.

3. Relatum.

est, in mente repræsentatur: Cõceptus formalis est fundamentum proximum, sive materia in quá, vel ex quâ ipsius universalitatis. Hæc quando observantur, facillimè respondebitur ad frivolam nonnullorum objectionem, qua contra nos ita inferunt: Si universalis materia est extra mentem & forma in mẽte, Vniversale erit monstrum. *Distingvendum est inter materiam objectivam, sive objectum, sive conceptum objectivum, & inter materiam ex quá. Monstrum certè esset Vniversale, si statueremus, materiam ejus ex quá, extra mentem existere, formam verò in mente esse: Imò plus quàm monstrum esset. Monstrum enim vnum est, constans ex materia & formá actu cohærentibus & unum essentiale constituentibus: Hic verò nulla esset essentialis unitas. Vbi enim materia & forma locis & subjectis sunt distinctæ, unum essentiale, adeoq; monstrum constituere nequeunt. Verumenimvero nos quando dicimus, materiale sive materiam universalis extra mentem existere, non intelligimus materiam ex quá, sed materiam objectivam, & fundamentum ipsius universalis: quæ loco distincta esse potest, ab intentione, sive spiritali suá repræsentatione in subjecto alio. Verbi gratiâ: Imaginis humanæ, in speculo repræsentatæ, materiale quæritur, quodnam sit, (nempe materiale objectivum, hoc est fundamentale, sive fundamentum)? Certè non est ipsum speculum: sed homo, cujus imago in speculo exprimitur. Quẽadmodum igitur non possum concludere: Materiale imaginis in speculo repræsentatæ est extra speculum: formale, hoc est, ipsa imago est in speculo; Ergo imago*

An Vniversalia sint extra mentem. Argum. Responsio.

ista est monstrum: Ita etiam nullo modo nos argui possumus hoc Elencho: Materiale Vniversalis est extra mentem, formale in mente: Ergo Vniversale est monstrum. Loquitur enim antecedens de materiâ objectivâ, non de materiâ ex quâ. Hæc enim si omninò analogicè danda esset, non utiq; esset constituenda extra mentem in ipso Subjecto, sed in mente, & quidem, ut diximus, in conceptu formali, sive in Vniversali Metaphysico. Ad universalis enim constitutionem duplex requiritur operatio intellectus: naturalis & artificialis sive Logica. Naturalis *operatio est, quâ mens ipsam rei naturam concipit, quæ ita concepta dicitur* conceptus rei formalis, *quia ipsam quiditatem, seposito modo individuante, nudè repræsentat: atq; conceptus iste nondum est ipsum Vniversale, sed oportet secunda operatio logica accedat, & nudum illum conceptum quasi inclinet, & relationem imprimat, quâ sua inferiora respiciat, & aptus fiat illis multis inferioribus inesse & attribui. Formale itaq; Vniversalitatis consistit in illâ relatione, sive communicabilitate.*

Ad Vniversalis constitutionem duplex requiritur operatio intellectus.

Tria supersunt adhuc argumenta, quibus apodicticè concludi putant nonnulli, universalia, quatenus talia, hoc est, formaliter sumta, dari extra mentem, quæ intacta præterire non possumus. Primum est: Quicquid definitur, est extra mentem: Vniversalia (ut homo, animal &c.) definiuntur: Ergo Vniversalia sunt extra mentem. Secundum: Materia prima, prout describitur ab Aristotele, datur extra mentem, quæ est essen-

1. Argum.

2. Argumentum.

essentialiter una,& apta nata multis inesse, hoc est,multas recipere formas:Ergo Universalia, formaliter sumta,existunt extra mentem. Tertium: Universalia non dantur extra mentem. Ergo non datur scientia: Quod absurdum. Primum *quod attinet: respondemus 1. ad Majorem propositionem: committi ibi fallaciam à dicto secundùm quid,& esse illam incompletè universalem. Sic enim formanda & intelligenda est; Quicquid* definitur, quatenus definitur, est extra mentem. *Quod falsum est. Nihil enim,quatenus definitur,est extra mentem, sed in mente repræsentatum. Nam quicquid definitur,definitur ibi,ubi est ipse definiendi actus,hoc est,ipsum definire: At actus definiendi non est extra mentem: Est enim opus mentis definitio*: Ergo *etiam id, quod definitur, quatenus definitur,non est extra mentem,sed est in mente repræsentatum. 2. Ad minorem etiam respondemus negativè. Nam Universalia formaliter sumta non definiuntur: sed res sub modo universali definiuntur.* Di*stinguendum enim est inter* Hominem &Universalem Hominem. Homo *definitur sub modo universali, nempè sub notatione speciei,* animal rationale: *longè verò aliter* universalis homo *est definiendus, nempe quod* sit homo multis individuis,Petro,Paulo,Iohanni &c.cõmunis. *3.Totum argumentum ab absurdo disputantes ita infringimus: Quicquid definitur est extra mentem: species definitur. Ergo species est extra mentem. Porrò: species est extra mentem: species est Noëma secundum*

Responsiones ad tria hæc posteriora argumenta. Ad primum.

1. 2. 3.

& Logicum: Ergo Quoddam Noëma secundum est extra mentem. Quod absurdum. Verùm qui dicunt universalia definiri, concedunt species definiri: Majoremq; ut veram præsupponunt. Ergo aut corrigant opinionem & negent vel majorem vel minorem vel utramq; vel concedant absurdum hoc: Noëmata secunda existere in ipsâ naturâ extra mentem.

Ad secundum. Ad alterum argumentum. 1. Negamus materiam primam, prout existit extra mentem, esse essentialiter vnam. Est enim per formas dissecta pene in infinitas partes. Neq; ex ullo Aristotelis loco demonstrari poterit materiam primam omnem esse vnum totum Essentiale: Sed hoc statuit Philosophus, quòd ubiq; & in omnibus individuis sit subjectum generationis. Concedimus quidem, quòd omnis materia prima habeat specie eandem naturam, nempe quòd in quolibet individuo appetat aliam atq; aliam subinde formam: Illam autem propterea essentialiter vnam dicere, est aliquid Aristoteli affingere. Et quæri potest, quæ vnitas sit magis vnitas, an essentialis, an individualis sive numerica. Absq; dubio essentialis. Nam unitas essentialis ibi esse potest, ubi nulla est compositio: sed non numerica. Vt materia & forma licet vnum essentiale & consequenter unum numero constituant: est nihilominus forma à materia essentialiter distincta, quia alia est Essentia formæ alia materiæ. Forma itaq; in se, item materia in se, magis una est, quàm compositum & individuum, constans materia & formâ.

Iam ad rem propositam: Si materia prima per omnia

omnia individua dicatur essentialiter una, individualiter verò divisa: omninò dicendum erit, materiam individualem in Petro, & aliam individuatam in hoc Leone, item aliam in hâc arbore, item in hoc lapide, item in hoc Elemento, item in hoc corpore cælesti: Omnes, inquam, illas individuorum distinctas & dissectas materias magis unam materiam constituere; quàm materiam & formam vnum hominem, vnum Petrum: Quod omninò absurdum est. Deinde negari non potest, ea, quæ diversis subjectis insunt, quòd realiter sint distincta: Vt albedo, quæ est in Cygno & albedo in pariete. At materia, quæ est in Petro, & quæ est in Paulo, item in plantâ, in arbore &c. est in diversis subjectis: Ergo est realiter distincta. Item quæ loco distingvuntur, realiter distingvuntur: at Materiæ, Individuationibus & formis dissectæ, loco distingvuntur: Ergo realiter. Minor probatur: Nam materia prima, quæ est in Imperatore Turcico est Constantinopoli: quia ipse Imperator ibi est: Materia verò prima, quæ est in Pontifice Romano, non est Constantinopoli, sed Romæ: quia ipse Pontifex ibi est: Ergo materia prima, quæ est in imperatore Turcico, & quæ est in Pontifice Romano loco & re distinguuntur. Quæ porrò realiter distinguuntur, distinguuntur ut res alia & res alia: At materiæ istæ, in distinctis subjectis & locis existentes, distinguuntur realiter: Ergo ut res alia atq; alia. Quæ distinguuntur ut res alia & res alia, illa distinguuntur ut alia essentia & alia essentia. Nam Res sumitur pro ipsa essentia & quiditate Entis: quod docent Metaphysici; quando in-

do inter Rem & Ens distinguunt: At materiæ istæ in distinctis speciebus & individuis contentæ distingvuntur ut res & res: Ergo distingvuntur ut essentia & essentia, imo ut essentia alia atq; alia: Quæ autem ita distinguuntur non sunt una essentia, sed multæ essentiæ, & suo modo essentialiter distinctæ. Falsum igitur est Materias per diversas species & individua divisas & distributas, esse essentialiter vnam materiam. Et si vel maximè & vna esset essentialiter, & apta nata multis inesse, nondum tamen universalis dici posset. Nam universale est totum essentiale. At materia non est totum essentiale: sed duntaxat pars vel principium ejus: Ergo materia prima non potest dici vniversalis.

Notetur tandem, nos non negare, in communi loquendi usu frequenter hanc phrasin usurpari, Petrum & Paulum esse unum essen*tiâ, est enim uterq; homo. Verùm tùm sumitur* Essentia *non propriè; sed quia ipsa extra mentem existens, est fundamentum & materia, universalis & speciei, sumitur pro formali, hoc est, pro ipsâ specie & definitione. Quando igitur dicis Petrus, Paulus, Iohannes &c. sunt unum essentiâ, perinde est, ac si dicas: Petrus, Paulus, Iohannes &c. sunt unum specie & definitione.*

Ad tertium. Plus est in conclusione quàm in præmissis. Concludi enim debebat: Ergo nulla scientia datur extra mentem. Integer enim Syllogismus ita habet: Vniversalia non dantur extra mentem: Scientia versatur circa universalia:

ſalia: *Ergo ſcientia non datur extra mentem*: *Quod libenter concedimus*: *cùm omnis ſcientia ſit habitus mentis, adeoq́ʒ in mente exiſtat. Inquis*: *Syllogiſmum aliter poſſe formari, nempe*: *Illius, quod extra mentem non eſt, non datur ſcientia. At univerſale extra mentem non eſt*: *Ergo Vniverſalis non datur ſcientia*: *Quod abſurdum. Nam omnis ſcientia eſt univerſalium. Reſpondetur ad majorem, quod illa ſimpliciter accepta, vera non ſit. Multa enim ſunt in mente, quorum datur ſcientia, ut ſunt habitus intellectus &c. Verùm nervus hujus Sophiſmatis potiſſimùm conſiſtit in minore. Vbi committitur fallacia à dicto ſecundùm quid. Diſtinguendum autem eſt inter rem, & modum rei, ad ſcientiam in mente conſtituendam neceſſarium. Res, quæ in mente ſub modo univerſali repræſentatur, revera exiſtit extra mentem*: *non verò modus, hoc eſt univerſalitas, hæc enim fruſtrà extra mentem daretur, cùm neq́ʒ ad eſſentiam neq́ʒ ad exiſtentiam rei aliquid faciat, ſed tantùm ad ejus cognitionem, quæ in mente eſt*; *Et ſi res ita, ut ſcientiis ſubjiciuntur, exiſterent extra mentem, ſcientiæ non eſſent perpetuæ veritatis, cùm ea, quæ extra mentem exiſtunt mutationibus variis ſint expoſita. Verbi gratiâ*: *Quæritur*: an homo generetur & corrumpatur: Homo (*reſpondent*) *ut ſpecies, hoc eſt, univerſale eſt, non corrumpitur*; *ſed ut ſingulare & individuum. Quæro iterum*: *quo reſpectu* homo *dicatur univerſale, quo reſpectu ſingulare, ſive individuum. Reſpondent*, hominem *univerſale dici reſpectu eſſentiæ, reſpectu exiſtentiæ individuum.*

Adhuc quæro; quando corrumpitur homo, anne moriatur, & si moriatur, quid sit mors? Respondent: Mortem esse solutionem animæ & corporis. Ergo concludimus: secundùm quod fit solutio animæ & corporis, secundùm illud homo rectè mori dicitur: At secundùm essentiam fit solutio animæ & corporis: Ergo secundùm essentiam homo verè & rectè mori dicitur. Et deinde mortuâ & sublatâ essentiâ, tollitur quoq; existentia, quippe quæ in illa fundata est. Hinc porrò demonstramus: secundùm quod quid moritur, secundùm id corrumpitur: At secundùm essentiam moritur homo: Ergo secundùm essentiam corrumpitur, & per consequens ipsa essentia in morte corrumpitur. Vnde absurdum hoc contra adversarios colligitur: Essentia humana corrumpitur: Essentia humana est universalis: Ergo quoddam Vniversale corrumpitur. At hoc falsum esse & absurdum omnes omninò Philosophi concedunt. Ergo etiam absurdum erit Vniversalia dari extra mentem, & quidem ratione essentiæ. Et notandum ultimo est, quod habet Philosophus lib. 1. Metaph. cap. 1. *Vbi specie unum indivisibile opponit, numero uni indivisibili: Et unum indivisibile numero dicit esse Individuum & singulare;* εἴδει δὲ τὸ τῷ γνωστῷ καὶ τῇ ἐπιστήμῃ. *Si ergo quæ specie unum sunt secundùm Philosophum, sunt unum cognitione & scientiâ, species, hoc est, universale, non erit extra mentem, sed tantùm in mente. Et Damascenus* lib. 1. de fide Orthodox. cap. 11. *dicit, quòd communio & naturæ affinitas & unio* RATIONE *&* INTELLIGENTIA *consideretur. Verba ejus sunt:* ἡ δὲ κοινότης, καὶ ἡ συνάφεια, καὶ τὸ

ὂν, λόγῳ καὶ ἐπινοίᾳ θεωρεῖται. Et ut adversam partem adhuc fortius urgeamus & constringamus, tale damus argumentum: Qui modi Entis ita sunt oppositi, ut se mutuò excludant, & se invicem negent, non possunt esse in eodem Ente respectu ejusdem: At universale formaliter sumptum, hoc est, Vniversalitas & Individuum sunt tales modi: Ergo &c. Minor probatur: Nam Vniversale non est singulare & singulare non est universale: Ergo homo singularis, non est Vniversalis: At homo singularis est extra mentem in natura: Ergo, Homo universalis non est extra mentem in natura: Inquis, dari posse diversum respectum: Nam distinguitur in Ente extra mentem existente inter essentiam & existentiam. Dici itaque poterit, quòd una eademq́ res posit esse Vniversalis, nempe ratione essentiæ; & particularis, ratione existentiæ. Respondemus ita disputantes & respondentes committere ignorationem Elenchi, & semetipsos non intelligere. Nam ista distinctio hic locum habere nequit, siquidem Entis rationes diversæ non sunt Essentia & Existentia: sed habent se ut res sive ipsum Ens seu Entitas & modus. Nam Essentia est res sive Entitas, existentia verò nihil addit reale super illam essentiam sive speciem, sed tantùm modus est, quem individuum naturæ sive essentiæ addit, ut exercitatione sequenti nona Theor. 1. pluribus indicabitur.

Quare ut res rectè intelligatur; tria hic distinguenda sunt, Res sive Entitas, ratio sive respectus & modus. Quando itaq; quæritur qua ratione Enti insit Vniversalitas; non dici potest ratione essentiæ, quia Essentia est ipsa res Entis, de quâ quæritur,

ritur, quomodo sit extra mentem, an per modum Universalem, an individuum, sive per existẽtiam. Nam in Ente duo dantur, essentia & esse : unde dici potest, quod essentia Entis sit Ens : jam quæritur de modo illius esse, quem habet extra mentem. Certè hîc aliter responderi nequit, quàm quòd sit modus existentiæ, si actu est. At omnis modus existentiæ est singularis : Ergo non universalis : Ergo quatenus essentia est extra mentem, actu est per modum singularem, non universalem. Inquis : Essentiam æquè modum Entis esse, atq; existentiam, ut probat id Keckermanus lib. 1. Syst. Log. cap. 5. pag. 277. *Autoritatem Keckermani hîc non curamus. Nam quodcunq; Ens in esse constituit, non est ejus modus : At Entitas sive essentia Ens in esse constituit : Ergo &c. Deinde nullum formale Entis est modus Entis : At Entitas sive essentia in Ente habet rationem formalis : Ergo non est modus. Tertiò : Nullus modus ingreditur constitutionem Entis sive rei ; sed eam sequitur : At Entitas sive essentia ingreditur constitutionem rei, quam deinde modi sequuntur : Ergo &c. Quartò : Nullus modus essentialem rei definitionem ingreditur : At Essentia ingreditur : Ergo &c. Minor constat : quia definitio est essentiæ descriptio : vel, ut Aristoteles loquitur* lib. ζ. Metaph. cap. 12. p. 531. c. ὁρισμὸς λόγος τίς ἐστιν εἷς καὶ οὐσία : Definitio quædam ratio una & essentia est. *Quintò : Si Essentia universaliter sumpta est modus Entis, universaliter sumpti : etiam Essentia particulariter sumpta, erit modus Entis particulariter sumpti : Atqui hoc est absurdum : Ergo & illud. Minor probatur. Nam humanitas*

Essentia non est modus Entis.

manitas, verbi gratiâ, non est modus hominis; sed ipsa hominis essentialis ratio. Ita in reliquis. Sextò: Quodcunque est ipsum τί ἦν εἶναι, non est modus rei; sed ipsa interna rei quiditas & constitutio: At essentia rei est ipsum τί ἦν εἶναι: Ergo non est modus rei: sed ipsa rei interea quiditas, &c.

Sed, ut ad rem revertamur, addatur etiam hoc: Si universalia dicantur existere vel esse extra mentem, quòd evertatur mysterium Trinitatis, ut amplius mysterium non sit, quòd in Deo datur unitas essentiæ, nempe una Deitas, & in ipsâ unitate pluralitas personarum. Nam si universale datur extra mentem, erit essentialiter unum; & per consequens, homines habebunt essentialiter unam essentiam humanam: Erit igitur in genere humano unitas Essentiæ, nempe una humanitas, & in illâ ipsâ unitate pluralitas personarum & individuorum. Sed, ajunt, discrimen hîc quoddam esse. Nam Divinitas dicitur una essentialiter & numero simul: Humanitas verò tantùm una essentialiter. Ergo, respondemus, major erit unitas numerica, quàm essentialis: quod falsum est. Deinde Essentiam divinam unam numero, & consequenter unam personam esse, non dicit Ecclesia; sed accuratè essentialẽ unitatem à personali Vnitate & Trinitate distinguit. Sic enim D. Basilius Epist. 141. *de Vnitate Dei:* Illis, *inquit*. qui nobis per calumniam trium Deorum doctrinam ac fidem objiciunt, respondeatur: NOS DEUM NON NUMERO, SED NATURA UNUM confiteri. *Enervari autem mysterium Trinitatis, si universalia fingantur extra mentem, intelligitur ex elegantissimâ di-*

Mysterium Trinitatis.

ma disputatione Damasceni, quæ extat li. 1. de Fid. Orth. cap. 11. *& est de trium personarum distinctione. Adscribam ejus verba*: In omnibus sanè creaturis, *inquit*, distinctio suppositorum reipsâ consideratur: Re enim Petrus à Paulo distinctus concipitur. Communio autem & naturæ affinitas & unio Ratione Et Intelligentia considerantur. Mente enim concipimus Petrum & Paulum ejusdem naturæ esse, & unius naturæ communionem habere. Quisq; enim eorum est animal rationale mortale: & quisque eorum est caro animata, animâ quidem rationali & intellectuali. Hæc igitur communis natura ratione est consideranda. Nam supposita non in se invicem sunt: Proprium est unumquodque & individuum: igitur per se ipsum separatum. Habet enim plurima ipsum ab altero dirimentia. Nam ea loco distinguuntur & tempore discrepant, & sententiâ dirimuntur, & robore & fortunâ, videlicet figurâ & habitu & complexione & dignitate, exercitio & omnibus insitis proprietatibus. Maximè autem omnium differunt, quòd non in se invicem sed seorsim existũt: Unde & duo & tres homines dicuntur, & multi. Hoc autem in omni conspici natura promptum est. In sanctâ autem & supersubstantiali & omnia transcendenti & incomprehensibili Trinitate, è diverso comperitur. Nam istic Commune Et Unum

RE consideratur, propter coæternitatem & identitatem substantiæ & operationis & voluntatis & consilij conspirationem & propter potestatis & virtutis & bonitatis idẽtitatem. *Et mox* : Una & eadem est trium personarum motio : Unaquæq; enim personarum se habet ad aliam nihilominus, quàm ad se ipsam. Hoc autem est, quia secundùm omnia unum sunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus : πλὴν τῆς ἀγεννησίας, καὶ τῆς γενέσεως, καὶ τῆς ἐκπορεύσεως. Ratione autem & intelligentia hoc distinctum : Nam unum cognoscimus Deum, in solis quidem proprietatibus paternitatis, filialitatis, & processionis, secundùm caussam & caussale & personalem perfectionem, id est, τὸν τῆς ὑπάρξεως τρόπον differentiam intelligimus *&c. Hæc diligenter, Lector, perpende, & judica.*

Theorema IX.

Universalia fiunt ab intellectu per abstractionem præcisionis.

Cum demonstratum sit, Universalia actualem suam existentiam habere non extra mentem, sed in mente per operationem Intellectus; necessarium nunc esse videtur monstrare, quomodo illa ab intellectu fiant. Dicimus per abstractionem præcisionis. *Quod ut rectè intelligatur, tenendum venit, quid & quotuplex sit abstractio.* Abstractio *in genere dicitur separatio unius ab alio. Estq; triplex Realis, Negationis, & Præcisionis.* Abstractio quid sit.

Ab-

1. Realis. Abstractio realis est, *quando substantia ab alia substantiâ reipsâ separatur: ita aurum à terrâ abstrahitur & separatur. Dicimus quando substantia separatur reipsâ. Nam hæc abstractio in solis substantiis locum habet. Accidentia enim à substantiis realiter non abstrahuntur, vel separantur, quòd totum illorum esse sit inesse, vel esse in substantiâ sive in subjecto.*

2. Negationis. Abstractio negationis est, *quando aliquid de subjecto negamus, verbi gratiâ, quando de corvo nigredinem negamus, & ita quasi abstrahimus. His duobus abstractionum modis universalia fieri non possunt. Genera enim & species à suis individuis, quòd illorum naturam constituant, item accidentia, quòd illorum esse totum à substantiâ dependeat, ab illis reipsâ abstrahi non possunt. Per negationis abstractionem non fieri universalia, per se manifestum est. Negatio enim affectio propositionis est. Propositio verò ad operationem intellectus secundam pertinet. Quia itaque formare & abstrahere universalia pertineat ad officium primæ & simplicis operationis Intellectus, per negationem universalia formari nequeunt. Aliæ adhuc rationes possent addi, quas brevitatis caussâ omittimus.*

Negatio quid.

3. Præcisionis. Fiunt itaq; Universalia per abstractionem præcisionis. Præcisio est, quando ex pluribus, inter se junctis & unitis, unum apprehendendo & concipiendo, alterum vel reliqua præscindimus & relinquimus. *Abstractionem hanc præcisionis communem habent sensus cum intellectu.* Est itaq; Abstractio præcisionis duplex:

plex; sensuum & intellectus. *Quemadmodum enim quælibet potentia animæ sensitivæ ad certum objectum est ordinata & determinata; ita etiam illud, alijs circumstantibus neglectis, concipit & apprehendit.*

Est itaq; præcisio sensuum, quâ quilibet sensus sibi determinatum objectum apprehēdit, reliquis præcisis. *Verbi gratiâ, in Vno pomo est substantia, est quantitas sive magnitudo certa, sunt qualitates; odor, sapor, humor, color, figura &c. quæ singula à distinctis sensibus apprehenduntur. Visus enim apprehendit colorem & figuram, adde etiam magnitudinem: quæ tamen ad omnes sensus pertinere videtur, præcisis reliquis omnibus, odore, colore, humore, &c. Ita olfactus tantùm odorem percipit, præcisis omnibus alijs: Sic gustus saporem: tactus humorem &c.* Præcisio sensuum.

Abstractio præcisionis per Intellectum est, quando Mens sive Intellectus rem, quoad solam quiditatem percipit, omnibus alijs, quæ in singularibus inveniuntur, materia, certo loco, præsentia &c. præcisis. *Quibus fundamenti loco ita explicatis, quo processu illa abstractio præcisionis fiat, Vniversaliaq; in mente constituantur, paucis explicandum est. Vtq; rem ab ovo, quod dicitur, repetamus, constat intellectualem nostram cognitionem ex sensu, sive is sit Auditus, sive visus, sive alius, oriri. Sensus namq; naturâ & cognoscendi ordine prior est intellectu. Nam mens humana de re quâdam scientiam acquireret numquam, si non ejusdem ex sensu rudimēta cognitionis acciperet. Rectè enim dicitur:* Deficiente sensu aliquo, deficere quoq; scientiam

Præcisio intellectus.

Processus abstractionis universalium.

1. Receptio sensilium specierum.

de ejus ſenſibilibus, Ariſt. lib. 1. poſter. analyt. cap. 15. *quemadmodum à nativitate cæcus, colorum, ſurdus, ſonorum &c: ſcientiam habere nequit, utcunque ſit animo perſpicaciſſimo.* *Atque hæc eſt ratio, quare græcis ſenſus αἰσθήσεις, tanquam οἰσθέσεις dicantur: quòd objecta externa per eos ad mentem deportentur, cui alioqui eorum notitia ſemper carendum eſſet. Senſus itaque circa αἰσθητὰ occupatus, primùm recipit, non quidem, verbi gratiâ, auditus, verba tantùm; ſed una cum illis ſpecies: Unde ab Ariſt:* lib. 2. de anima c. 12. ſenſus dicitur id, quod habet vim recipiendi ſpecies ſenſiles ſine materia; quemadmodum cera accipit imaginem annuli ſine ferro. *Non enim ſenſus in corpore, ſed ſolo accidente patitur: non enim ſubſtantia agit in oculum, ſed color.*

Species ſenſilis. Species ſenſilis itaq; eſt ſimulacrum & imago ſeu effigies, quæ rem objectam ſenſui repræſentat, quâ mediante, ſenſus objectum percipit: *quas effigies ſenſus recipit non tàm agendo, quàm patiendo. Atque hoc eſt quod legimus apud Philoſophum* lib. 2. de anim. Manifeſtum eſt, *inquit,* quod αἰσθητικὸν non *ſit in actu, ſed in potentia tantùm.* *Et iterum* 2. cap. de ſenſ. & ſenſ. τὸ γὰρ αἰσθητὸν ἐνεργεῖν ποιεῖ τὴν αἴσθησιν: ſenſibile facit vel cauſſa eſt, ut operetur ſenſus. *Sic color, qui viſus objectum eſt, facit operari viſum, hoc eſt, deducit viſum ad actum. Facit enim ut viſus in ſe recipiat & habeat actu ſenſibilem coloris ſpeciem, pingendo & imprimendo ei ſimilitudinem. Eodem modo res ſe habet in reliquis ſenſibus. Potentia tactiva non ſentit, antequam objectum calidum, vel frigi-*

frigidam qualitatis ejus speciem tactus organo imprimit. Atq; hæc est caussa, quòd non simpliciter, quando volumus, sentiamus; quemadmodum intelligimus, quando volumus. Intellectus enim semper habet sua objecta in phantasiâ præsentia: Objectum verò sensus externum potest abesse. Absentium verò sensus non est.

Ita concipiunt res sensus exteriores: Hos sequuntur interiores, de quorum numero inter Philosophos non convenit. Hi duo verò ad instituti nostri expositionem sufficient: κοινὴ αἴσθησις sensus communis, *&* δύναμις φανταστικὴ facultas imaginandi. 2. A sensibus exterioribus ad interiorem communem sensum.

Sensus communis, *qui instar centri est in circulo, ad quod omnes lineæ ductæ à circumferentiâ æqualiter feruntur, primùm species sensiles, per sensus exteriores acceptas, colligit, atq; harum actiones non tantùm concipit,* (Arist. de somn: & vigil. cap. 2.) *quod munus commodè dici potest simplex apprehensio sensibilium specierum: Verùm etiam diversorum sensuum sensibilia distinguit, ut calorem à colore, frigiditatem à sono &c.* Arist. lib. 3. de anim. c. 2. *Hoc munus nonnullis dicitur comparatio sensibilium. Ob præstantissimas has functiones dicitur* sensus communis, *item* αἴσθησις αἰσθήσεων sensus sensuum. *Est enim communis Iudex omnium illorum, quæ à sensibus particularibus proficiscuntur. Dicitur etiam* sensus *agens, cum exteriores sint propriè patientes. In hoc communi sensu demum completa & perfecta fit* ἐνέργεια *sensitivæ potentiæ. Vndè tertia resultat hujus sensus operatio; nempe quod cognoscat ipsum externorum sensuum actum & operationem; ut nimirum animal sciat & intelligat se sẽtire, videre, gustare &c.* Sensus communis. Sensitivæ potentiæ ἐνέργεια ubi perficitur?

3. A ſenſu communi ad Φανταστικήν.

A ſenſu communi *ita ſpecies ſenſibiles examinatæ & diſtinctæ, deferuntur ad* δύναμιν Φανταστικὴν *ibi contentæ nomen mutant, dicunturq́; Φαντάσματα, latinis* viſa *&* ſpectra. *Per ſpecies has & imagines facultas hæc cognoſcit res externas, etiam abſentes. Hujus ſenſus officia potiſſimùm duo numerantur:* Vnum concipere & cuſtodire *ſpecies ſive imagines, vel immediate à ſenſib9, vel propriâ effictione perceptas; quæ tamen fictio oritur ex diverſa conceptarum ſpecierum compoſitione:* Alterum *eaſdem vel ſenſui communi, vel, in Rationalibus, etiam Intellectui offerre, ſive in vigiliis, ſive interdum in ſomniis. Atq; hinc quoq; non immeritò cauſſa Appetitus ſtatuitur: nam canis, qui ſemel guſtavit offam, ſæpè eam appetit, & quærit curſitando per culinam & ſimilia loca. Phantaſiâ enim & memoriâ retinuit ſpeciem ejus guſtu impreſſam. Nondum autem factum eſt Vniverſale, neq; in ſenſu communi, neq́; hic in Phantaſiâ, quia non ſecernunt hi ſenſus communem naturam à ſingulari, neq́; illam in plures ejuſdem rationis multiplicant; ſed tantùm & ſemper occupantur in ſingularibus, dum hoc ab illo ſeparant, & hoc cum illo componunt.*

Cum ſenſibus hiſce duobus interioribus conjungi etiam poteſt æſtimativa facultas, quæ ex ſenſatis inſenſata percipit: *ut beneficio hujus facultatis ovis lupum conſpectum, ut hoſtem, fugit, & herbam noxiam deguſtatam, ut venenum, devitat. Neq; hæc facultas ad Vniverſalia producenda ſufficit; adhuc enim materialis potentia eſt, atq; corporeo organo inhæret. Quocirca quemadmodum reliquæ potentiæ ſenſitivæ omnes:*

omnes; Ita hæc quoq; nihil nisi singulare percipere potest.

Hactenus sensatio: sequitur nunc Intellectus. Nam imagines illæ à phantasia ad rationem, mentisq; officinam deferuntur, ubi perfectißimæ demum scientiæ & notitiæ elaborantur.

4. A phantasiâ ad rationis officinam proceditur.

Quoniam intellectus unitus & conjunctus est corpori, impeditur, quo minus simpliciter & seipso intelligere queat, quemadmodum alias, quando secretus & separatus est à corpore seipso intelligibilia percipere & cognoscere potest. Extra corpus enim simpliciter est actus, vel simpliciter intellect9: In corpore compositionem nonnihil admittit. Purus enim & simplex actus non est; sed cum potentia agendi patiendiq; junctus: Vnde hoc modo consideratus partim seipso, partim adminiculo alterius intelligere dicitur Intellectus. Seipso quidem quatenus Actus est, & secretus; quatenus verò in corpore inclusus, adminiculo sensuum intelligit. Principium igitur, quo homo intelligit, duplex colligitur: alterum formale & efficiens; alterum subjectum, & quasi materiale. Illud intellectus agens, hoc νοῦς δυνάμει intellectus potentia Aristoteli dicitur lib. 3. de anima. In omni namq; re & natura, quæ fit, & aliquando in potentia est, aliquando in actu, quædam caussa efficiens est, & est materia, sive subjectum quoddam patiens. Quocirca cum anima humana, quæ in se spiritualis essentia est, aliquãdo δυνάμει tantùm intelligens sit, aliquando actu intelligat, quoties Intellectio fit, duo hæc principia, nempe subjectum, ἐνέργειαν intelligendi primò recipiens, & efficiens sive caussam forma-

Intellectus ratio duplex.

Anima humana.

Intellectus passivus.

formalem, statuere oportet. Est itaq; intellectus δύναμις vis animæ, quà omnia potest intelligere. Unde etiã nomen accipit, quod actu & ἁπλῶς nihil intelligat, nisi ad actum intellectionis deducatur. Ob eandem penè rationem dicitur quoq; νοῦς παθητικός, Intellectus passibilis, passivus. Nam quemadmodum in sensu passio dicitur esse, quando αἰσθητὰ recipit: ita & in intellectu passio quædam est, quando νοητὰ, species intelligibiles, recipit. Atq; propterea quoq; Intellectus hic ab Aristotele rasæ tabulæ similis esse dicitur, cui scientia inscribi & impingi quidem potest; nulla verò notitia, vel noëmata inscripta inveniantur. lib. 3. de an. c. 4. Quando enim nobiscum in hanc vitam prodit, nullas νοητὰς species & Ideas, nudâ suâ naturâ cõtentus, habet, quod animadvertimus in infantibus, qui essentiam intellectus, & δύναμιν ejus talem, qualem modò descripsimus, habent, usum verò nondum possident. Unde meritò Platonis opinio rejicitur, qui species & habitus omnes animæ innasci docuit. Huic intellectui quando species impinguntur, & is ex potentiâ in actum ducitur, vocatur νοῦς ἕξει intellectus in habitu.

Intellectus in habitu.

Habitu enim νοητῶν jam est præditus, quo, quando vult, uti potest. Hoc habitu ornatus intellectus partim adhuc in potentiâ, partim in actu esse dicitur. In actu quidem, quatenus nimirum aliquas species, per quas intellectio perficitur, continet: atq; hic actus primus vocatur: In potentiâ verò, quatenus illam actionem non exercet.

5. Absolutio universalium in intellectu agente.

Cum autem, ut Ens nobilissimum, habitu illo non sit contentus, ad actum secundum procedit, quæ

quæ est operatio intellectiva, per quâ universalia formaliter demum constituuntur & absolvuntur, ut in sequentibus videbimus. Prius enim monstrandum est, quomodo intellectus-potentiâ fiat intellectus-habitu. Cum ergo intellectus nullas in se naturâ habeat impressas species, uti explicatum est, oportet illas aliunde acquirat. Non verò potest eas acquirere à sensilibus rebus, vel etiam ab ipsis sensibus. Nam sensibilia, & quæ in sensibus sunt phantasmata, sunt singularia. Unde non actu, sed tantùm potestate Intelligibilia dicuntur. Intellectus enim Universalium potißimùm est capax. Requiritur itaq; adhuc alia quædam vis intellectus, cujus operâ, potentia intelligibilia redduntur actu Intelligibilia: quoniam quod est in potentiâ, per aliquod agens sibi proportionatum, ad actum trahi debet; cum potentia in actum non nisi actu reducatur, & tanquam animetur. Vim hanc intellectivam diximus Intellectum agentem, qui secundùm substantiam suam Actus est, vel ut Aristoteles loquitur, ὀσία ὂν ἐνέργεια, hoc est, substantia ejus est, ut actu sit Ens & tantùm virtus activa. Operatio hujus est duplex: alia est χωρίζειν, quâ species intelligibiles universales à phantasmatibus, vel à speciebus sensibilibus in phantasiâ impreßis, abstrahuntur: altera est φωτίζειν, quâ continuè illuminat, & quasi fulgore suo irradiat species in patiente receptas. Quæ tamen " actiones temporis quâdam intercapedine distingui " nequeunt: nam Intellectus agens illuminando species " intelligibiles abstrahere rectè statuitur. "

Quæstio.

Intellectus agentis duplex operatio.

Unde Intellectio & Universalium abstractio hunc in modum fieri dicitur: Intellectus agens Phantasma, in vi ima-

Abstractioni universaliũ modus.

vi imaginandi contentum, illustrat, ex quâ illustratione fit, ut in phantasmate rei natura ἁπλῶς *sine accidentibus & proprietatibus Individualibus appareat. Quâ illuminatione existente, species communis illustrata, sub accidentibus & proprietatibus delitescens, aliam sibi similem ejusdemq; naturæ, quæ species intelligibilis dicitur, in intellectu possibili imprimit, per quam imaginem & speciem Intellectus possibilis, qui jam actu intellectus est, intelligit ipsam rei naturam, & quiditatem simpliciter in se, eamq;, verbi gratia, hominem, à materia, à certo loco, à certo tempore, à nomine separatam & abstractam continet. Ex quâ abstractione & conjuncta logicâ inclinatione, de quâ supra loquebamur, rei abstractæ quatuor relationes conveniunt. 1. à quâ dicitur cognita. 2. à quâ dicitur abstracta. 3. à quâ dicitur una: & . 4. à quâ dicitur indifferens ad multa, sive apta esse in multis: quæ quatuor in re singulari ita non inveniuntur. Atq; inde sumitur ratio, quòd universale de omnibus suis inferioribus singularibus prædicari possit, quia nimirum se indifferenter habet ad omnia individua. Atq; ita Habitu continet universalia intellectus, hoc est, habet in se naturas illas abstractas. Quia verò abstractio hæc duplex est:* absoluta & comparata; *quæritur, quâ abstractione formaliter demum constituatur & absolvatur universale.* Absoluta abstractio est *cognitio, quâ rem intellectus per se & absolutè intuetur sine ullâ relatione ad aliud; per quam abstractionem & intellectus operationem, Noëma primum quod dicitur, constituitur, atq; est illa, de qua hactenus egimus, vocaturq; non incommodè* Universale Metaphysi-

Abstractio hæc duplex:

physicum. Comparata est, quando intellectus rem, communiter conceptam, secundâ quasi actione refert ad aliud, sive illud sit species, sive individuum. *Hac abstractione Intellectus dicitur propriè in actu esse, atq; Noema, quod secundum appellamus, producit, & ita vniversale formaliter, quod* Logicum *dicitur, constituit, perficit, & absolvit.*

Theorema X.

Species vniversalis formalis sive Logici duæ numerantur: genus quodcunq;, & species infima.

Quot enim sunt modi essendi in multis: tot sunt universalia: Atqui tantùm duo sunt modi essendi in multis: Ergo duo tantùm Vniversalia. Major vera est per definitionem: Minor constat hoc modo: nam illa multa, quibus aliquid inesse dicitur, vel sunt species, vel individua: si species, tùm illud quod inest, non dicit totam naturam distinctè; & est Genus*: si individua, tùm illud, quod inest, dicit totam naturam distinctè; & dicitur* Species. *Tertius modus non datur: Ergo non plura duobus hisce sunt Vniversalia.* Vniversalis species duæ.

Differentia *itaq;,* proprium, *&* accidens, *re exactius pensitata, propriè & primò quando sumuntur Vniversalia, Vniversalia non sunt. Fallunt enim & falluntur, qui ob quinq; Categoremata, quinq; Vniversalia introducunt.*

Quòd porrò Differentia *non sit species universalis, probari potest in hunc modum: omne enim Vniversale est superius respectu vel speciei vel individui:* Differentia non est species universalis.

Atqui Differentia non est superior respectu vel speciei vel individui: Ergò &c. Major ex præmissis est manifesta. Minor probatur. Omnis enim superioritas est in recta lineâ: In hâc autem differentia non est; sed in collaterali; Ergo &c. Neque proprium, *neq;* accidens *Vniversale esse probatur: Vniversale enim est de essentiâ ejus, cujus est Vniversale, hoc est, inferioris: Atqui de nullo accidente sive proprio, sive communi hoc dicetur. Ergo &c. Deinde prædicationes Vniversales sunt æternæ veritatis: Atqui prædicationes accidentales communes tales non sunt: Ergo &c. Et tandem omne Vniversale natura prius est individuo suo: hoc autem nunquam de accidentibus affirmabitur: Ergo &c.*

Individua. *Vniversalia hæc in serie prædicamentali ordinantur & disponuntur: quandoquidem hæc nihil aliud est, quàm ordo generum & specierum sub uno genere generalißimo; ut Categoriarum seriem rectè definit* Philippus lib. 1. Dial. *Individua enim ad ordinem hunc non pertinent, nisi reductivè, quatenus nimirum ordo ille in Individuis fundatur; quemadmodum nec ad Intellectus operationem, nisi prout materialiter Vniversalia continent, referuntur. Sed hâc de re in Logicis fusiùs.*

EX-

EXERCITATIO NONA.

DE TOTO INDIVIDUALI SIVE de Individuo.

Typus hujus Exercitationis.

(H.) Individuum (th. 1.) vel est substantiæ (th. 2)
- Materialis: quod Individuum est vel
  - A se: quod negatur th. 3.
  - Per aliquod principium: quod vel
    - Rationis: quod negatur th. 4.
    - Reale atque ita vel
      - Accidens: quod negatur. th. 5.
      - Substantia: Atq; ita vel
        - Completa: sive ipsum compositum: quod negatur th. 5.
        - Incompleta: sive principium substãtiæ: atque ita vel
          - Materia: quod negatur. th. 6.
          - Forma: Atq; tum vel
            - Forma individua, à specificâ distincta: quod negatur th. 7.
            - Forma specifica, materiæ communicata: quod affirmatur th. 8.
  - Ens
- *A materiâ abjunctæ. De hujus Individuationis principio agitur th. 9.*



Theo-

Theorema I.

Totum Individuale, sive Individuum est τόδε τι & ἀριθμῷ ἕν unum quid numero sive res singularis, quæ dividi distrahivè non potest, ut maneat una res in suo esse.

Ordinis ratio. Exercitatione septima theoremate. 5. Totum ἁπλῶς in Totum Essentiæ & Existentiæ divisum est. De Toto Essentiæ hactenus: sequitur Existentiæ, quod Individuum dicitur.

Notatio Individui. *De Individuo itaq; nunc agendum est, quod nonnulli derivatum volunt ab antiquo verbo* Iduo, *quod divido est; quemadmodum &* viduam *inde dictam putat* Gellius, *quasi* væ iduam, *id est, valde divisam. Individuum enim valdè, hoc est, ab aliis omnibus ita divisum est, ut in se amplius dividi nequeat: quare dicit Theorema*: quod dividi distrahive non possit, ut maneat una res (*nempe singularis & Individua*) in suo esse: *Species quidem infima in Individua subdividitur, retinentia eandem suæ speciei essentiam & definitionem: id autem de Individuis nunquam affirmabitur. A Græcis etiam valdè significater nominatur Individuum τὸ καθέκαστον, res singularis, vel res una numero, ut etiam in Theoremate loquimur*: lib. 1. Phys. & alibi. *Aristotelis interpretes, inter quos non postremus Porphyrius, nominant ἄτομον, quasi dicant*, non secabile,

non

non divisibile, Isag. c. 3. *Quam vocem Latini post-ea interpretati sunt vocabulo* Individui, *moti au-toritate Ciceronis, qui ἄτομον Individuum dixit. Vocant etiam αἰσθητὸν, quòd sensu percipiatur; item* ὕστατον imum, ultimum: *Sunt enim Individua ima in arbore prædicamentali, & sunt fundamenta prædicabilium, non aliter ac unitas numerorum.*

Porphyrius *triplicem ponit Individui defini-tionem*, Isag: c. 3. *Prima est*, de quo species præ-dicatur in quid. *Altera*, Individuum est, quòd de uno tantùm particulari dicitur. *Tertia*, In-dividuum est, quod constat ex proprietati-bus, quarum collectio nunquàm in alio ali-quo eadem esse potest. Definitiones Individui Porphyrianæ.

Priores duæ definitiones Logicæ sunt: Et ratio primæ in eo consistit. Species enim continet totam naturam & essentiam Individui, non quidem confu-se, ut genus, speciei: sed distinctè, nimirum & mate-riam, & formam; & genus, & differentiam Indi-vidui actu continet. Sic tota essentia Socratis conti-netur in specie, nempe in homine. Vnde Thomas de Ente & essent. c. 3. patet ergo, *inquit*, quod es-sentia communis & Socratis non differunt, nisi secundùm signatum & non signatum. *Et 7.* Metaph. tex. 10. *Socrates non aliud est, quàm animalitas & rationalitas; quæ sunt quiditas ejus. Extra specificam enim differentiam & formam spe-ciei specialissimæ adhuc fingere aliam, quæ individua-tionis principium sit, faciatq; Individua novas spe-cies, specieq; differentia, tàm absurdum esse, quàm* Primæ explicatio.

quòd

quòd absurdißimum, demonstrabimus in progressu. Secundæ *definitionis ratio hæc est: Individua, quæ sub se nihil habent, de una re singulari, hoc est, de semetipsis, prædicantur; quæ prædicatio Identica dicitur, atque usum in Logicis, & consequenter in artibus habet nullum.* Tertia *descriptio est à posteriori, &, ut* Aristoteles *loquitur,* ὡς ἐν τύπῳ, *nimirum per Individualia accidentia, quæ sequenti disticho comprehendere solent:*

Secundæ.

Identica prædicatio nullum habet usum.

Tertiæ.

Forma, figura, locus, stirps, nomen, patria, tempus,
Propria quæ septem continet omnis homo.

A posteriori, inquam, definitionem illam esse diximus. Individualia enim accidentia Individua non constituunt; sed potiùs ab his constituuntur, & ab illorum constitutione dependent, ut in sequentibus demonstrabitur. Vnde Scotus rectè dixit, definitionem illam intelligendam esse aut notificativè, quia accidentia individuationem judicant, aut concomitativè, quia illa ipsa individuum concomitantur. Quocirca ut ipsam potius internam naturam Individui exprimeremus, in definitione nostra diximus, quod sit τὸ ἓν ἀριθμῷ, *unum numero: quod non de unitate accidentali, quæ principium multitudinis dicitur, intelligendum est; sed de unitate existentiæ sive Individuali, in quâ unitas illa, propriè Arithmetica & numeralis dicta, fundatur.*

Vocatur & Individuum substantia prima: *quòd in illa universalia sive substantiæ secundæ fundantur: Vt autem Vniversales & secundæ substantiæ sunt*

ſunt communicabiles, ita prima ſubſtantia in naturalibus naturaliter exiſtentibus, omninò incommunicabilis eſt. Atque propterea etiam alio nomine vocatur ſuppoſitum. Eſt enim ſuppoſitum ſubſtantia completa incommunicabilis; ad quam ſi accedat Intellectus, fit Perſona. Suppoſitum enim & Perſona ut rectè docet Thomas 1. p. q. 29. art. 1. non formaliter, ſed materialiter duntaxat differunt: quia Suppoſitum de omnibus dicitur ſubſtantiis individuis; Perſona tantùm de rationalibus. Hinc Philippus in locis, Perſonam finit ſubſtantiam individuam, intelligentem, & incommunicabilem. Quam definitionem ſumpſit ex Boëtio, qui in lib. de duab. nat. deſcribit perſonam rationalis naturæ individuam ſubſtantiam. Merito itaque Herv. 1. d. 23. q. 1. illos ridet, qui perſonam pro intentione ſecunda habent, cum perſona deſignet individuum rationale, quod etiam ſine intellectus operatione exiſtit. Vtimur etiam interdum hypoſtaſeos nomine pro perſona, ut teſtatur Damaſcenus in Logic. c. 48. Nam licet quidem ex vi nominis, hypoſtaſis omne poſſet deſignare ſuppoſitum: uſu tamen tracta fuit ad ſignificandum ſolam naturam rationalem: ut habet Thomas q. 9. de pot. art. 1.

Suppoſitum.

Diſcrimen inter ſuppoſitum & perſonam.

Eſſentia porrò abſtracta & ſuppoſitum differunt. Eſſentiam vocant Philoſophi naturam, abuſi quodammodo vocabulo naturæ, per quam non eſſentiam, propriè ita dictam; ſed individuum quoq; ipſum abſtractè ſumptũ, verbi gratia, ſi venia Grammaticorum ita loqui liceat, (Quidni liceat? cum ipſe

Eſſentiæ et ſuppoſiti diſcrimen.

Cicero li.3.Famil. 7. Appeitatem & Lentuli-
tatem *dicat, vocibus hisce derivatis ab Appio & Len-*
tulo.) Aristoteleitatem *denotant. Difficultas au-*
tem hæc non exigua est, quomodo suppositum distin-
guatur à natura, vel quid naturæ superaddat. Non-
nulli opinantur suppositum Naturæ aliquid positivum
superaddere: qui etiam in plures divisi sunt opinio-
nes. Herveus *enim quosdam introducit* quodl. 3.
q. 6. *qui naturam suppositari dicebant per acciden-*
tia; verùm quemadmodum impoßibile est, naturam
1. *universalem per accidentia individuari, ut intellige-*
tur ex sequentibus: ita multò minus fieri potest, na-
turam per ea suppositari. Quomodo enim id, quod
2. *non existit, alij existentiam largietur?* Flandria
dicit 7. Metaph.q. 23. art. 2. *naturam & supposi-*
tum distingui realiter. Verùm errat: naturam enim
3. *tantùm accipit pro universali.* Alij *volunt supposi-*
tum naturæ superaddere individuationem seu diffe-
rentias individuantes. Neque illa sententia est ve-
4. *ra, cum natura jam sine supposito sit individua.* Alij
& quidem communiter volunt, naturæ à supposito
addi existentiam: nec illud probandum est. Natura
enim licet non sit suppositata, adhuc existentiam re-
tinere observamus; eò quòd à natura existentia non
5. *ita differret, ut substantia.* Capreolus 3. d. 5. q. 3.
a. 3. ad 1. cont. 2. Concl. Cajetanus 3. p. q. 4.
art. 2. *personalitatem à natura realiter distingui as-*
severat, negans interim ex utraq; realem fieri compo-
sitionem, quòd etiam credit Fonseca 5. Metaph.
c. 8. q. 2. a. 1. *quòd autem, quia esse aut fieri nequit,*
6. *non credimus.* Scotus *reale discrimen hoc non con-*
cedens,

Suppositum quid naturæ superaddat.
Opiniones variæ.

cedens, suppositum dicit à naturâ differre per negationem dependentiæ 3. d.1. q.1. a.3. & d.6. q.4. *Cujus sententiam fusius explicant & defendunt*. Bassol. 3. d.1.2. Gabr. q.1. Ocham. 16. *Rectè verò facit* Lychetus 1. d.1. q.1. *quòd præceptorem suum hic deserat, propterea quod eâ ratione tres Trinitatis personæ tantum differre dicantur negatione. Et omnino si persona in rebus creatis idem est, quod Individuum subsistens, quomodo per negationem poterit constitui: cum Individuum per negationem minimè subsistat. Verum falsis hisce opinionibus posthabitis & rejectis, statuendum esse censemus: suppositum in naturâ nihil ponere nisi subsistentiam, quia particularis & determinata existentia est: & ideo Individuum nihil addere realiter distinctum super speciem, præter existentiam: Modaliter itaq; duntaxat differt sive suppositum sive individuum à naturâ, seu specie, ideoq; ab hâc potest auferri, integrâ manente naturâ.* 7. Vera.

Theorema II.

Individua sunt, tum substantiarum materialium, tum substantiarum à materiâ abjunctarum.

Ita Individua hic dividimus. Dubitatur enim περὶ τῆς τῶν ἀτόμων αἰτίας, *sive, ut Scholastici loquuntur, de principio Individuationis, hoc est, quidnam sit illud, quod facit, ut individuum sit individuum, sive illud sit corporeum sive incorporeum. Cum enim nihil detur nisi per caussam, & cum in præcedentibus explicata sit caussa rerum universalium, & jam rerum particularium principium & caussam ut inve-* Divisio individuorum.

stigemus, hujus disciplinæ natura & conditio exigere videtur. Rectè enim Scaliger: Individuæ naturæ principia scrutari primi videtur interesse Philosophi Exerc. 307. sect. 17.

Tractationis hujus ratio & utilitas.

Neq; hic cum Goclenio disp. 12. Metaph. *formidamus eorum judicium, qui subtilitates hic nobis, vel hactenus objecerunt, vel in posterum objicient. Non inficiamur eas: verùm audiant osores illi* Scaligerum Exercit. 307. sect. 3. Etiamsi sint animis otiosis otiosæ & inutiles: tamen vegetis ingenijs summam cognoscendi afferre voluptatem, eaq; deducere ad summum fastigium ejus sapientiæ, quæ rerum omnium principia contemplatur. Et harum subtilitatum indagatio etsi non est utilis ad machinas farinarias conficiendas; exsuit animum tamen inscitiæ rubigine, acvitq; ad alia. *Hocq; sibi persuasum habeant Logodædali depravatoresq; accuratioris Philosophiæ: ἀκριβεία Philosophiæ contaminari Theologiam subinde clamitantes, nullâ re magis depravari veritatem, quàm inscitiâ veræ & solidæ Philosophiæ, cujus ipsi nullum habent gustum, ut utar verbis* Scheckij in Topic. pag. 76. *Considerandumq; illis hic iterum apponimus judicium oculatissimi* Scaligeri, *quod extat in* Hippon. de suis studijs:

In quendam Metaphysices osorem, qui autorem, dum hæc scribebat, nescio cujus subtilitatis inutilis & futilis insimulabat.

Plus pænitet me temporis, quod impendi
In Grammatistas, & leves locutores,
Vanas Poëtarum, atq; perditas nugas,
Quàm Barbarorum quæ leguntur in libris.
Hæc est mearum tota summa summarum:
Stultum ac supinum plumbeiq; delirij.

Rebus

Rebus relictis consenescere in verbis.
Exercitari nos oportet in rixis,
Vt his omissis veritas prehendatur.

Inquis, Subtilitates hasce esse nugas Scholasticorum. *Nihil respondeo: sed illis, quæ satis magnificè ac ponderosè à* Scaligero *proposita sunt, addo, & tibi oppono accuratissimum cujusdam Theologi judiciũ, qui in præfatione novæ Clarissimi Philosophi* Iohannis Versoris *Metaphysices editioni præfixâ, in hæc verba loquutur:* Deploranda profectò, *inquit,* Academiarum nonnullarum infelix conditio, quod quidam superioribus annis, dum Scholasticorum Theologiam exstirpare ex hominum animis conati sunt: simul etiã omnem veram Philosophandi rationem, à scholis publicis & Academicis profligárunt, quasi abusus rei tolli non posset, nisi ipsa res è medio removeretur, quasi infantem abluere mater nequiret, nisi eundem in flumen prorsus abjiceret. *&c. Et paulò pòst.* Hinc adeo ruditas illa & inscitia rerum Physicarum, Ethicarum, Politicarum & METAPHYSICARUM, ut oracula & incantatorum præstigiæ nonnullis videantur, quæcunq; è penitioribus Philosophiæ recessibus depromuntur.

Sed, ut ad rem revertamur, statuimus, omnes res, quæ sunt Entia actualia, hoc est, quæ existũt, vel existere possunt, immediatè singulares esse & individuas. *Ergo & immateriatæ & materiatæ substantiæ, quæ actu existunt, vel existere possunt, sunt individuæ. Quandoquidem omne illud, quod*

existit, determinatam habet entitatem, quæ necessariò adjunctam habet negationem ut ex Exercit. 6. theor. 4. manifestum est. *Ex quâ negatione, quæ* Indivisio *est, iterum rectè infertur: omnem Entitatem eo ipso, quòd una Entitas in rerum naturâ existat, necessariò esse singularem & individuam. Rectè itaq; requiritur aliquod principium συςατικὸν, per quod individua talia sint, quodq; nostri Barbari (ut utar verbis* Scaligeri *loco alleg.) scitissimâ voce* Individuationem *appellarunt, quæ, juxta Metaphysicam considerationem, est* differentia contractiva speciei, & constitutiva ac disjunctiva individuorũ. Suarez. disp. Metaph. 5. se. 3. dist. 2.

Theorema III.

Individuum non est à se τόδετι: neq; existentia, sive ultimus rei Actus & complementum; neq; Hæcceitas Scoti principium Individuationis est.

De principio Individuationis. 1. Opinio rejicitur.

Si enim Individuum esset à se τόδετι, quod statuere videtur Suarez disp. 5. s. 6. Tum *principium esset principiatum, & individuatio ipsum Individuum, atq; aliquid à seipso posset pati; quod absurdum.* Videatur Philosophus lib. θ. Metaph. c. 1. *Quòd autem Individua à seipsis paterentur, si à se essent τό δε τι, vel hinc quoq; intelligitur, quòd omnia Individua differant: differre verò est pati. Ergo Individua ab alio differunt & non à seipso. 2. Deinde à quo aliquid habet σύςασιν & distinctionẽ, ab illo quoq; habet*

habet ὑπάρξιν: ἡ γὰρ διαφορὰ διὰ τῆς ὑπάρξεως, inquit Philosophus: Atqui nihil à seipso habet distinctionē: Ergo nihil quoq; à seipso habet ὑπάρξιν, & quod sit individuum. 3. Porrò nihil est caussa constituens sui ipsius: esset enim constituens & constitutum: idemq; esset Plato cum eo, à quo & per quod constituitur & est Plato. Ergo Individuum per se & à se non est τόδε τι.

Objectio. At, inquis, substantiam compositam esse principium Individuationis, per quam individuum dici posit per se esse τόδε τι. Absurdum hoc esse intelliges. Substan- Resp. tia enim composita, quæ debet constituere individuum, verbi gratiâ, Platonem, aut est universalis, aut singularis: si universalis, aut est genus ut animal; aut est species, ut homo: si singularis, tum est ipsum Individuum, & relabimur ad principium, Platonem esse constituens & constitutum. Quod ἄτοπον esse jam conclusum est. 2. Genus & species non sunt principium Individuationis. Genus verò, vel speciem non esse adæquatam caussam Individuificantem ex eo conspicuum est: Nam substantia prima est nobilior substantijs secundis. Est enim magis substantia Arist. lib. Categ. c. 5. Atqui singularis sive Individua substantia est substantia prima: Genera & species autem secundæ. Arist. ibidem. Ergo individua sunt nobiliores & magis substantiæ, quàm Genera & species. Nulla autem substātia ignobilior constituit nobiliorem: Ergo Genera & species principia Individuationis esse nequeunt. Et sanè si genus vel species, verbi gratiâ, animal, vel homo constitueret Individuum, verbi gratiâ, Platonem, ut caussa adæquata, tum unum animal esset omne animal, & unus homo esset omnis homo. Verbi gratiâ, Bucephalus

esset omnis equus, vel omne animal, & Plato esset omnis homo: cum animal comprehendat omnia animalia, & homo omnes homines, & in omnibus Individuis insit, nimirum in singulis, ut loquuntur, particulatim, in omnibus universè. Alio quidem respectu Individua à se & per se τό δε τι *esse dici possunt, nempe prout intelliguntur non per aliud, externum scilicet & accidentarium, quod ad essentiam & rationem rerum Individuarum non pertinet, existere. Eo verò modo nondum solvitur quæstio: nondum enim docetur quodnam illud sit, quod naturas communes contrahat & individuas efficiat: sed tantùm monstratur, quid illud non sit, nimirum nō accidentarium principium, adeoq; quòd Individua non fiant per accidens, sive aliud quippiam ab Individuorum essentiâ distinctum.*

3. Non per existentiam individuificari.

*Quod porrò communes naturæ per existentiam (ut habet opinio Ni*colai Boneri. Videatur & Scotus. 2. sentent. dist.3.q.2.) *non individuificētur, probat* Goclenius *ex* Fonsecâ *& alijs his verbis:* Quod non necessariò, sed contingenter de Individuis, dicitur, id nequit esse ratio interna singularitatis, alioquin singularia essent contingenter singularia. At existentia contingenter convenit rebus omnibus infra DEUM, etiā Individuis, cum ea aliquando non fuerint. Ergo existentia nō potest esse principium sive interna ratio singularitatis. *Porrò quod supponit distinctionem Individuorum, sub eâdem specie, id non est principium distinctionis illorum, sub eâdem: At existentia, ut est determinata ad hoc Individuum & ad illud, supponit distinctionem utriusq; inter se. Tota enim series*

cujusq;

cujusq; Categoriæ à summo genere ad Individua usq; antecedit existentiam cujusq; speciei: siquidem homo prius natura divisus est in Socratē & Platonem, quàm per illos existat, eodemq; modo res se habet in cæteris. Quod ex eo perspicuè intelliges: quia divisiones prædicamentales sunt perpetuæ ac necessariæ. Existentia verò specierum per Individua est contingens Goclen. disp.12.Metaph. pag.193. Tandem Existentia de rebus creatis prædicatur per accidens: Verùm res creatæ per accidens individua non sunt: Ergo Existentia individuationis principium esse nequit.

Sententia Scoti de Hæcceitate.

Scoti opinionem quod attinet, principium constituēs Individuum & singulare, barbarâ voce Hæcceitatem vocat, eamq; συςατικὴν Individuorum differentiam facit, per quam natura, & differentia speciei ad singularitatē contrahatur. 2. dist. 3. totis septem quæstionibus, & in Reportatis super. 2. sent. dist. 12. à quæst. 3. usq; ad 8. Hunc sequuntur Fonseca 5. Metaph. c. 6. q. 5. Baccon. 2. dist. 11. a. 2. & 3. d. 12. Ant. Andr. 5. Met. q. 5. Sed quæras, quid sit illa Hæcceitas: an sit substantia, an accidens? Respondet Scotus, non esse substantiam, re distinctam à specificâ differentiâ, sed tantùm ad hanc superaddere individualem quandam formalitatem, propterea quòd alius sit modus essendi, per quem res singularis dicatur Individua. Verumenimvero illa differentia, si attentè & accuratè cōsideretur, quilibet facilè intelliget, quòd nihil aliud sit, quàm ipsa singularitas, quæ idem effectus est, cujus caussam quæsivimus, nec potest dici sui ipsius caussa, uti jam monstravimus. Scotus itaq; effectum pro caussâ adducit: quæsiti verò caussam nul-

lam reddit. Videatur Heru. quodl.3. q.9.*qui i disputat: illa* Hæcceitas *aut est substantialis, aut accidentalis. Accidentalis esse non potest. Accidentia enim constituerent substantiam, quod absurdum. Non substantialis; nam Individuum speciei nihil potest superaddere substantiale: & omne substantiale aut forma est, aut materia, aut compositum, quorum nullum de suâ hæcceitate Scotus dicere potest.*

Theorema IV.

Principium Individuificum, hoc est, constitutionis Individui, non est ens rationis.

Monstratum est, Individua à seipsis talia non esse vel fieri: Ergo per *aliud: Quæritur itaq; quidnam sit illud ἕτερον. Quicquid est, aut est τὸ ὂν reale, aut τὸ ὂν rationis. Ergo illud ἕτερον aut rationis, aut ens reale erit. Rationis non est: τὸ ὂν enim rationis caussa unitatis κατ᾽ ἀριθμὸν esse nequit, cum talis unitas sit Ens reale: Atqui esse Individuum, est esse τὸ ἓν ἀριθμῷ: Ergo principium illius unitatis non erit Ens rationis, sed quoddam Ens reale.*

Theorema V.

Principium Individuationis non est accidens: neq; unum, neq; certa aliqua multorum collectio.

Omne Ens, quod scholæ Reale appellare consueverunt, est aut Substantia, aut Accidens: Atqui principium

cipium Individuationis Ens reale esse conclusum est: Ergo aut substantia erit, aut accidens. Accidentia quidem multa collecta & conjuncta τῶν ἀτόμων ἀρχὴν *esse quidam magni nominis Philosophi statuere videntur, ut Avicenna* 5. Met. c. 2. & 4. Individua, *inquit*, constituuntur ex naturâ omniū universalium & ex naturâ accidentium, quæ illam vestiunt. Ibid. c. 4. Postquam natura determinata est species specialissima &c. accident ei comitantia ex proprietatibus & accidentibus, per quæ natura Individuorum fit signata. *Et sententiam hanc videtur nonnullis probare* Porphyrius in cap. de spec. *quando inquit* ἄτομα δὲ λέγεται τὰ τοιαῦτα, ὅτι ἐξ ἰδιοτήτων συνέστηκεν ἕκαστον, ὧν τὸ ἄθροισμα οὐκ ἂν ἐπ' ἄλλου τινός ποτε τὸ αὐτὸ γένοιτο: quæ Individua nominantur ex eo, quod ex proprietatibus suis quodq; constat, quæ omnes in alio eædem esse nullo modo possunt. Boëtius *quoque idem sentire videtur, in eundem Porphyrium, quando ait*: Plures enim sunt, de quibus species prædicantur, non substantiæ diversitate, sed accidentium multitudine. *Et* de Trin. *per accidentia externa Individuum manifestò constituit.*

Qui accidentium collectionem illud dixerunt.

Verumenimvero planum est hos Philosophos, & si qui sunt adhuc alij, non veram Individuorum differentiam συστατικὴν*: sed tantummodo signa, vel notas, quibus Individua inter se dignosci & discerni queant, denotare. Nam si accidentia constituerent Individua, tum illis priora essent, quod absurdum.*

Opinio dicta reijcitur.

Quodcunque enim rem aliquam constituit aut constituere debet, prius illo esse necesse est. Accidentia verò sunt posteriora & potius rem constitutam sequuntur, neque substantiæ dependent primariò ab accidentibus, sed hæc à substantiis. Vide Philosophum lib. ζ. Metaph. c. 1. lib. γ. cont. 7. *Ergo non possunt τῶν ἀτόμων ἀρχὴ existere. Adde, si accidentia essent τοῦ ἀφορισμοῦ αἰτία, tum essent aut singularia, aut communia: Communia non possunt: quomodo enim id, quod commune est, singulare efficiet & constituet; cum commune nil nisi commune producat? Si autem sunt singularia, ad principium relabimur. Quæritur enim unde singularitas illorum sit orta, illudque, quod singularia reddidit, τοῦ ἀφορισμοῦ αἰτία erit. Et tandem accidentia potius supponunt & consequuntur singularitatem: quàm quòd eam constituant: & Plato est Plato, etiam abstractis mente omnibus accidentibus.* Scotus in Repor. 2. d. 3. *(cujus etiam supra mentionem fecimus)* Boëtium *excusavit, quòd ejus dicta sint intelligenda vel concomitativè; quia accidentium collectio sequitur Individuationem substantiæ,* vel *notificativè; quia per illa, tanquam notas, Individuum cognoscimus. Eodem planè modo excusari potest Porphyrius, qui non docet, quòd accidentia constituant Individuum; sed tantùm illa, per collectionem multorum accidentium in alio singulari non facile repertorum, describit.*

Theorema VI.

Materialium substantiarum principium Individuationis non est materia.

Mon-

Monstratum hactenus est, res neq; per se, neq; per accidens reddi Individuas sive singulares: oportet itaq; id fiat per quandam substantiam, quæ in materialibus erit vel materia vel forma, vel compositum. Tot enim esse substantias docet Philosophus lib. 2. de anim. c. 1. Atque hic quæstio est non de externo Individuationis principio, nempe de caussa efficiente, quam Individui principium asserebat Gandavensis: sed de interno, à quo proximè & intimè manat Individuum, & quidem tum quando extra suas caussas existit. Non quidem negamus, formam per productionem agentis sive efficientis in materia singulari, quæ ad formæ receptionem singulariter disponitur, evadere singularem: veruntamen ea nondum interna redditur ratio singularitatis, à quâ fiat, ut Individuum sit Individuũ. Quocirca cum internum principium tantùm sit duplex, materiale & formale: aut materia, aut forma, principium Individuificum erit, aut ipsum, quod ex his compositum existit. Ipsum compositum non esse principium Individuationis intelligitur ex declaratione Theorematis tertij. Ergo aut materia, aut forma principium Individuificum erit. Materiam dixerunt Thomas, Cajetanus, Versor. & multi alij: Thomas de Ente 1. p. q. 3. a. 2. & 3. 3. p. q. 77. a. 2. 5. Metaph. t. 2. facit Individuationis principium Materiam signatam, quid verò per illam intelligat, inter ejus interpretes non convenit, dum alij materiam cum quantitate, ut Ægidius in quodlibetis quæst. 11. Ferrariensis 1. contr. gent. c. 21. Soncinas. 7. Metaph. q. 33. 34. alij ut Thomas de Vio Cai. de Ente

Controversiæ status.

Materiam qui dixerunt.

q. 4. Javellus 5. Metaph. q. 15. *materiam cum potentiâ ad quantitatem, intelligendam esse arbitrantur. Verùm discipuli hi graviter cum præceptore hallucinantur, dum non ipsam materiam, sed accidens aliquod, nempe vel quantitatem, vel potentiam ad quantitatem, in materiâ pro principio Individui substantialis ponunt, atque per illud materiam determinant. Falsam omnino hanc esse sententiam modò pluribus demonstrabitur. Materia Individuationis principium esse non potest, quippe quæ in individuo constituendo non tàm ut principium, quàm ut vehiculum principij requiritur. Deinde materia, quatenus materia est, non facit differre.* lib. ι. Metaph. c. 9. *Est enim communis, & indifferenter se habet ad omnia, imo in omnibus est eadem. Inde sic arguimus: nullum commune & indifferens facit & constituit singulare: nam nullum indifferens differentiæ alicujus caussa est* Zabarel. lib. 2. de primâ rer. mat. c. 8. *Et quod quid non habet, alteri largiri non potest: Atqui materia quatenus talis, est communis, & nullo modo habet singularitatem: Ergo singulare nõ constituit. Porrò materia quatenus materia pura potentia est* li. ζ. Met. c. 3. li. θ. eor. c. 1. *Potentia autem producere, & quidem actum perfectißimum minimè potest* lib. 2. Phys. c. 1. *cum omnis actus in actum per actum producatur: unde actus simpliciter prior potentiâ concluditur* lib. θ. Metaph. c. 8. *Adde, si materia est principium Individuationis, erit vel materia prima, vel secunda. Non prima: quia prima materia substantia imperfectißima est: quod autem imperfectißimum, quomodo perfectißimum, ut est Individuum,*

Materia caussa Individuationis non est.

duum, constituet? Non secunda: nam & ipsa est imperfecta. Deinde secunda materia non constituit speciem: Ergò multo minus Individuum. Et si materia secunda est Individuificum principium, tum est vel quatenus determinata, vel quatenus Indeterminata. Indeterminatam eam non esse posse intelligitur ex præmissis; neque determinata est; relabimur enim ad principium, & manet in quæstione: quidnam illud sit, quod materiam illam determinet. Erit autem illud vel alia materia, vel forma, vel accidens. Accidens substantiam non determinare demonstratum est: Neque alia materia id efficit. Illa enim iterum vel determinata erit, vel indeterminata. Indeterminata esse non potest per præcedentia. Non determinata: manet enim quæstio unde sit illa determinatio.

Forsan quantitas materiæ τȣ̃ ἀφορισμȣ̃ sive ἀτόμȣ αἰτία erit, ut jam dictum est de opinione Thomæ. Accidens principium Individuificum non esse in præcedentibus monstratum est: Ergo neque erit quantitas. Deinde si hæc principium constitutionis Individui est statuenda; tum est vel quatenus est ἀχώριστος sive indeterminata, vel quatenus est χωριστὴ sive determinata. Neutro modo conceditur. Non ἀχώριστος quantitas est Individuationis principium. Nam prout ἀχώριστος est, non est aliquid singulare & determinatum. Certum autem & determinatum quod existit, ab incerto & indeterminato non esse ostendimus. Non χωριστὴ quantitas. Hæc enim ipsam substantiam compositam & constitutam sequitur, ita ut jam accedente quantitate hâc

Neq; quātitas materiæ est principium individui.

ipsum

ipsum compositum & constitutum sit τόδετι singulare & Individuum. Adde quòd Quantitas χωριστὴ sit determinata vel à seipsa, vel ab alio. A seipsa non potest. Quemadmodum enim nihil in semetipsum agit: ita quoq; nihil seipsum determinat. Si ab alio, palam est quantitatem τῶν ἀτόμων ἀρχὴν non esse; sed potius illud, quod in materiâ Quantitatem hanc determinatam efficit. Tertiò nullum Vnum per accidens, potest esse principium ejus, quod est unum per se: At materia cum quantitate est unum quippiam per accidens: Ergo non potest esse principium unius per se. Ergo materia cum quantitate non potest esse principium Individui, quod est unũ per se. Quartò: effectus non potest esse caussa suæ caussæ: Atqui accidens est suæ substantiæ effectus: Ergo accidens & per consequens quantitas, non est suæ substantiæ caussa, propter quam ipsa sit. Tandem principium & principiatum in eâdem sunt Categoriâ: At quantitas & substantia Individua non sunt in eâdem Categoriâ: hæc enim in substantiâ: illa in quantitate est. Ergo quantitas substantiæ Individuæ principium esse non potest. Reijcimus itaq; sententiam Thomæ, *qui* materiam signatam, *hoc est, quantitate affectam Individuum constituere dicit: Materia enim illa aut præcisè vel secũdum se, quatenus ἀδιάφορος & communis est, sine quantitate certâ, sumpta, constituit Individuum: aut prout est polita vel limitata & coarctata ad certam, determinatamq; quantitatem. Primo modo sumpta Individuum constituere nequit, ut ex positis liquet. Neque secundo modo. Necesse enim est, ut sit ab alio quopiam*

signata

signata & disposita ad hanc & non ad aliam recipiendam quantitatem; quod ἕτερον potius Individui principium erit. Sed inquis, forsan secundùm expositionem Cajetani & Iavelli Thomas per materiam signatam intelligit materiam cum proximâ potentiâ ad quantitatem. Et sic quoque sumit accidens loco principij substantialis: quia potentia cum respectu ad quantitatem, ad prædicamentum quoque Quantitatis pertinet. Deinde prius etiam materia formam respicit, quam quantitatem determinatam, ac proinde forma quantitatem præcedit.

Theorema VII.

Materialium substantiarum principium Individuationis non est forma peculiaris, à formâ specificâ & essentiali distincta.

Cum itaq; neque accidentia, neque compositum ipsum, neque materia, quocunq; modo considerata, sit τῶν ἀτόμων ἀρχή; relinquitur ut sit forma. Forma enim ut rem facit unam, ita etiam distinguit eandem ab aliis. Sed quæritur: quænam forma hanc Individuandi virtutem in se habeat. An forma specifica, an alia quædam Individualis, huic subjecta. Individualis esse non potest, quia talis forma non datur; sed est purum non-Ens, cujus neque qualitates, neque operationes dantur. Ergo est specifica: Quod enim ultimum est, illud nihil habet se inferius: atqui forma specifica est ultima: Ergo sub se aliam formam non habet. Minor probatur invicto hoc argumento: Quæ

Quæstio de forma.

Forma specifica est ultima & perfectissima.

forma

forma est omnium perfectißima, illa est ultima: At forma specifica, verbi gratiâ, in homine, quæ facit hominem, ut sit homo, est omnium perfectißima: Ergo illa est ultima, habens actum constituendi & existentiam & essentiam. Major probatur: quia forma ultima est actus perfectus, qui ultimam perfectionem assecutus est, neq; ullâ aliâ formâ superveniente perficitur. Exempli gratia: Forma animalis non est perfectus actus, sed imperfectus: quia forma illa non est ultima. Non ultima est, adeoq; non perfecta; quia existentiam suam habere non potest nisi supervenientibus aliis formis sive actibus essentialibus, quibus eâ perficiatur, quiq; propterea illo actu multo sunt nobiliores & perfectiores: forma autem hominis (quod minor habet) actus perfectus est, propterea quòd non a-
» ctus aliquis ei supervenit, quo perficiatur. Atq; hoc
» est, quod dicitur: formam generalem dare quidem
» actum, sed imperfectum: Formam verò specificam,
» dare actum perfectum & nullâ aliâ formâ ad existendum indigentem. Forma itaque animalis, verbi gratiâ, in homine, est actus cum potentiâ conjunctus: habet enim potentiam, ut cum Averrôe loquamur, contrahibilitatis, nempe talem potentiam, quæ adhuc perfici & per formam substantialem, nimirum formam hominis, contrahi potest: quemadmodum etiam in homine per eandem contrahitur & perficitur adeo, ut nulla alia dari poßit, quæ perfectiorem reddat hominem. Hinc ita arguimus: A quâ formâ proficiscuntur nobilißimæ humanæ operationes, illa est perfectissima, nobilißima & ultima in homine: Atqui à formâ specificâ hominis, quæ est anima rationalis, proficiscun-

tur no-

tur nobilißimæ humanæ operationes: Ergo forma specifica hominis est perfectißima, nobilißima, atq; adeò ultima. Major manifesta est: Nam operationes & actiones sequuntur naturam essentiæ. Unde progredimur ita argumentando: Si nova alia forma substantialis esset in Individuis hominum, præter animam rationalem, atq; adeò specie differrent Individua; tum operationes individuorum totâ specie deberent esse diversæ: atqui totâ specie non sunt diversæ. Ergo &c. Sed respondebunt forsan, operationes diversorum Individuorum esse specie diversas. In uno enim aliquo individuo actio hæc vel illa apparet præstantior, quàm in alio; uti meliorem cernas Poëtam nostrum Taubmannum, *quàm illius* Marculum, Orlandum *meliorem Musicum,* Tychonem *meliorem Mathematicum. In promptu est, quod respondeamus: id nimirum non proficisci à præstantiore aliquâ formâ substantiali individuali vel Taubmanni, vel Orlandi vel Tychonis, quæ præter animam rationalem nulla est; verùm potius ab organorum dispositione, præceptorum institutione, privatâ diligentiâ, & fortè aliquâ etiam superiorum caussarum influentiâ. Possunt enim omnes homines Musicam discere, omnes Mathesin, omnes Poësin, etiamsi non æque exactè: quod autem ad rem non facit: quandoquidem magis & minus non variant speciem. Rectè enim Philosophus* lib. 1. Metaph. c. 3. Valdè album & minus similia esse ajunt, quia una species eorum est. *Quæ ut accuratius intelligantur, tenendum est discrimen formarum. Forma enim sive caussa formalis duobus sumitur modis: aut pro illa, quæ est altera pars compositi, & à materiâ, in*

An operationes individuorum sint specie diversæ.

Forma duobus sumitur modis.

quâ inhæret, distingvitur: aut pro quiditate sive essentiâ rei accipitur. Omnes enim res habent essentiam propriam, & proprium quid est. Harum duarum acceptionum illud est discrimen, Zabarel. lib. de nat. cæl. c. 8. quòd priori modo accepta forma distingvitur re & à materia, & à composito. Quemadmodum enim aliud est forma, aliud materia; ita aliud est forma, aliud forma & materia simul junctæ. At de forma acceptâ pro quiditate secus est: quandoq; enim solâ ratione distinguuntur quiditas, & id cujus est quiditas: quandoq; etiam nullo modo. In illis enim, quæ sunt abjuncta à materia, idem prorsus est quiditas, atq; id, cujus est quiditas. Cum enim non habeant Esse sensile, sed solùm Esse intellectile, in his quiditas, ab eo cujus est quiditas, nec re nec ratione distinguitur: in habentibus autẽ materiã, ubi necesse est, ratione distingui Esse sensile, & Esse intellectile, distinguitur etiam ratione quiditas ab eo, cujus est quiditas: re tamen ipsâ idem sunt, ut docet Aristoteles lib. 7. Metaph. context. 20. & 21. Nam quiditati hominis nihil aliud in rebus respondet, nisi homo ipse: nihil enim aliud est quiditas hominis, quàm forma hominis in materiâ propriâ, & eam significamus per hominis definitionem, quando dicimus, homo est animal rationis particeps; differunt autem solâ ratione, quia dicitur hominis quiditas, quatenus mente concipitur, & intelligitur; homo
autem

autem extra animum existens, qui singularis & sensilis est, dicitur non quiditas, sed habens quiditatem. Est enim res demonstrata & restricta ad has conditiones HIC & NUNC, & accidentia, (ut vocant,) individuantia, quæ insequuntur nexum hunc realem formæ cum materiâ. *Hæc Zabarella.*

Ex quibus intelligitur, quòd species specialissima contineat quiditatem hominis, quæ tantùm ratione non re distincta sit ab eo, quod habet quiditatem; homoq; singularis dicatur habere quiditatem, speciem specialissimam & Individuum, sivè rem singularem, quæ non re, sed nuda ratione distincta sint. Atq; hoc est quod Boëtius habet dial. 1. in Porph. p. 17. & 18. Homo, *inquit*, quoniam species est, singuli homines, qui sub eo sunt, non ejus species, sed Individua nominantur. Nam si homo genus esset hominum singulorum, genus autem ad plurimas res specie differentes in eo, quod quid sit, prædicetur, homo, id est, species, si ut genus prædicaretur ad singulos homines, singuli homines specie ipsa differrent: sed singuli homines specie non differunt, quod autem specie non differt, si quid ad hoc prædicatum fuerit, non prædicatur, ut genus ad species, id est, homo non prædicatur ad singulos homines, ut genus ad res plurimas numero differentes: singuli enim homines numero à se tantùm, non specie distant. *Hæc Boëtius.*

Probatur porrò nostrum thema hunc in modum: Probatio sententiæ veræ.

quæ formæ non differunt conceptu essentiali & quiditativo, illæ non sunt diversæ ratione essentiæ, quiditatis, & speciei: atqui forma Socratis & forma Platonis, quæ est anima, non differunt conceptu quiditativo & essentiali: Ergo non sunt diversæ ratione essentiæ & quiditatis. Minor probatur: si enim anima Platonis differret ab anima Socratis conceptu quiditativo, tum haberet Socrates aliud esse hominis, & iterum aliud Plato: vel Plato non esset homo. Vtrumq; absurdum. Homo enim de Platone univocè prædicatur. Objicit Tempellus *authoritatem Philosophi:* lib. 5. Metaph. c. 3. quæcunq; differunt, ait, differũt aut genere, aut specie: Ergo (*subsumit* Dounamus *cum Tempello*) si individua unius speciei differunt: differunt aut genere aut specie: sed non genere: Ergo specie: ac proinde quod de ijs prædicatur genꝰ est: Atq; inde sequitur (*ut clamitat Tempellus*) in hoc nos ab Aristotele magistro vehementer dissentire. *Putat enim, si statuamus Individua differre numero, statuendum utiq; nobis esse, Individua tantùm differre accidentibus. Sed falsa est hæc Tempelli assertio. Numero enim differre est essentiâ numericâ differre, hoc est, differre essentiâ, quæ quidem specie in diversis una sit, diversa tamen numero, id est, individualiter existat. Vnde intelligitur, quòd etiam Individua, quando numero differre dicuntur, realiter & suo modo essentialiter, nempe quiditate & essentiâ numericâ diversa esse statuantur. Non autem necesse est, ut ea, quæ dicto modo essentialiter differunt, statim specie differant: quandoquidem illa tantùm specie differunt, quæ habent formas* oppo-

Objectio Tempelli & Dounami.

Responsio. Numero differre quid.

Specie differre quid.

oppositas, non quæ habent essentias proprias & singulares. Quòd spectat autoritatem Aristotelis respondemus, neq; Tempellum, neq; Dounamum verba Philosophi allegata intelligere. Agitur enim ibi de discrimine Vniversali, non Individuali sive numerico. Et verum est libenterq; concedimus, omnem differentiam universalem esse vel generis vel speciej. Hæc autem ut vera esse intelligantur, addemus ex Averroë ejus loci brevem expositionem: Duo Entia, vult dicere Aristoteles, aut sunt diversa, aut sunt idem; si autem sunt diversa, differunt; si sunt idem, conveniunt. Quia autem differens differt per aliud, necesse est ut idem, sive quod non differt, cõveniat cum illo, per quod fuit differentia. Quæcunq; autem duo vel multa idem sunt, & conveniunt, idem sunt & conveniunt vel genere vel specie: Ergo etiã multa illa convenientia Genere & specie differunt. Quemadmodum enim in exercitu milites Sclopetarij, quia in eo conveniunt, quod sclopeta gerũt & illis contra hostem pugnant; in eo quoq; differunt ab Hastatis. Ita Petrus & Paulus idem sunt & conveniunt specie, nempe quod uterq; homo est: Ergo & eodem, quo conveniunt, differunt ab alijs, verbi gratiâ, cane à leone. Eodem modo res se habet in genere. Manifestum itaq; est, ne hilum quidem allegato loco probari à Rameis. Vt verò videant nos nullo modo à præceptore dissentire, objicimus illis Aristotelem nostram sententiam manifestissimè asserentem lib. ζ. Metaphys. cap. 3. §. 11. *his verbis:* Οὐ γὰρ ἐστὶ γένος ἄνθρωπος τῶν τινῶν ἀνθρώπων. Non enim est homo genus singularium hominum. *Quid pro nostrâ sententiâ manifestius dici posset?*

Explicatio vera textus Philosophi.

Instantia Tempelli. *Pergit Tempellus*: forma est caussa, per quam res est id, quod est: si itaq; individua & res singulares existunt, existunt utiq; per suam formam propriam. *Concedimus Tempello Totum prodromū. Subsumit*: Non dicent, *opinor*, Individua per formam communem esse id, quod sunt. Si Plato sit Plato per animam rationalem, id est, formam communem: equidem Socrates erit Plato; quia Socrates habet animam rationalem.

Solutio. *Certè hospes est in universâ Philosophia, qui ita disputat: nondum enim didicit discrimen inter esse sensile, & esse intellectile, de quo iam quædam ex Zabarellâ disputata sunt. Anima hominis in esse intellectili sumpta pro quiditate, universale & commune quiddam est, non autem in esse sensili. Nullum enim Universale sensile est, uti recte docet Boëtius*: Omne quod est, eo ipsô, quod est, singulare est. *Specifica itaq; sive ultima differentia, vel quiditas, vel potius forma, quatenus est extra mentem, non est communis, non est universalis, sed est propria. Rectè itaq; dicitur, animam rationalem Socratis nō esse animam rationalem Platonis, sed esse distinctas animas. Atq; hinc iterum rectè dicitur, Socratem & Platonem esse unum specie: sed non rectè propterea infertur: Socratem & Platonem esse unum hominem: Sunt enim duo propter duas distinctas formas in distinctâ materiâ existentes. Quocirca quando dicitur anima rationalis Socratis, intelligitur propria & in certâ materiâ, prout extra Intellectum existit. Anima autem rationalis, quatenus Intellectu concipitur universaliter & abstractè, nec Socratis neq; Platonis, hoc est, neq; hujus neq; illius propria*

pria est; sed ex æquo omnibus competit. Nugatur itaq; Tempellus, quando fingit numero unam animam rationalem omnibus Individuis, hoc est, omnibus hominibus communem. Socrates enim propriam suam habet animam, eamq; unam: sic Plato habet unam, uti diximus: quæ tamē animæ nō specie sunt distinctæ, sed numericâ potius differunt differentiâ. Quæ enim differentiâ specificâ, atq; adeo specie differunt, ita sunt comparata, ut quod uni competit, alteri omninò nō insit: quandoquidem differentiæ; specie oppositæ, sunt suo modo contrariæ. Quare si Socrates & Plato differrent specie, sequeretur, si Socrates esset homo, quòd tū Plato nō sit homo.

Tenendum itaq; non negare nos, Socratem, Platonem, & reliqua hominū Individua, habere singula singulas proprias & suas animas, formas & essentias: deinde affirmare nos differentias illas, formas illas, essentias illas convenire quidem & unum esse specie, sed non numero & existentiâ. Verum itaq; nostrū thema est, ultra differentiam & formam specificam aliam non dari, quæ sit Individuationis principium.

Theorema VIII.

Principium Individuationis in materialibus est forma specifica communicata materiæ.

Quòd forma sit principium Individuationis probatum est in præcedentibus, & pluribus adhuc demonstrari potest 1. Omnis distinctio est à formâ: atqui, Individualiter existere, est numero distinctum existere: Ergo, quòd aliquid Individualiter existat, id habet à formâ. 2. Omne determinatum & τόδε τι constitutum, Probatio theorematis. 1. 2.

 id de-

id determinatum & ita constitutum est à formâ: At ita sunt determinata & constituta Individua: Ergo Individui σύστασις *sive constitutio maxime videtur*
3. *formæ accepta ferenda. 3. Quod rem facit ab aliis differre, & quo posito singularitas ponitur, quoq; ablato, quovis alio remanente, tollitur & aufertur: est ipsa ratio adæquata & præcisa Individuationis: At à formâ omnis distinctio provenit, & positâ formâ, ponitur res in actu et singularis, eâdē verò ablatâ, aufertur et tollitur: Ergo forma est caussa, ut Individuum sit actu. 4.*
4. *Actus est, qui separat et distinguit, ait Philosophus* lib. ζ. Met. c. 13. *Materia verò non actus, sed in merâ potentiâ est* Arist. lib. 2. de anim. cont. 2. *neq; aliud dici potest actus, quàm forma.* Aristoteles ibidem. *Ergo formæ munus & officiū est separare & distinguere; & per consequens, vera quoq;* αἰτία τῶν ἀτόμων.
5. *5. Si forma in cōmuni distinguit compositū in cōmuni, multo magis id præstabit in particulari sive singulari. Nā plura ad singularia quàm ad communia requiruntur.*
6. *6. Aut materia cum accidentibus constituit Individuum, aut forma: Sed nō materia cum accidentibus. Quod enim minorē unitatem tribuere nequit, id minus tribuet majorem: Atqui materia cum accidentibus non potest constituere speciē, quæ continet minorē unitatē. Ergo multò minus Individuū, quod majorē.*
7. *7. Probatur authoritate Philosophi* lib. 2. de anima c. 1. cōtext. 2. λέγομεν δὴ ἕν τι γένος τῶν ὄντων, τὴν οὐσίαν. ταύτης δὲ τὸ μὲν ὡς ὕλην, ὃ καθ' αὑτὸ μὲν οὐκ ἔστι τόδε τι. ἕτερον δέ, μορφὴν καὶ εἶδος, καθ' ἣν ἤδη λέγεται τόδε τι. Dicimus itaq; genus unum quoddā eorū, quæ sunt, substantiā esse:
atq;

atq; hujus aliud ut materiam, quod quidem per ſe non eſt hoc aliquid: aliud formam & ſpeciē, quâ quidem jam hoc aliquid dicitur. Et Averroës *ſupra allegatum locum*: p.37. De quibus dicitur ſubſtantia, *inquit*, ſunt tribus modis. Quorum unus eſt, ut ſit materia prima, quæ per ſe non eſt formata, neq; aliquid per ſe in actu. Secundus autem eſt forma, PER QUAM INDIVIDUUM FIT HOC. Tertius eſt illud, quod fit ex iſtis ambobus. *Et* in Epit. Meta. tract. 2. pag. 383. diſt. c. Individuum, *inquit*, exiſtit per formam & non per accidens.

Objectio. Obijcis: *quod eſt cauſſa multitudinis, id eſt cauſſa Individuorum: Atqui materia eſt cauſſa multitudinis: Ergo &c.* Reſp. *Reſpondemus ad majorem. Diſtinguendum eſſe inter multitudinem, prout multitudo eſt, & inter multitudinem, prout diſtincta eſt. Cauſſa multitudinis rerum ſub unâ ſpecie, eſt materia. Omnis enim multitudo, cum à diviſione proveniat, materiæ ſuum ortum refert. Materia enim ſola dividitur. Quod autem multitudo illa ſit diſtincta, illud formæ munere obtinuit. Hujus enim ſolius beneficio exiſtit, quicquid diſtinctum uſpiam exſtat. Forma itaq; diſtinguit, & dat eſſe & actum rei. Actus autem iſte duplex eſt, alter* ὀσίας *ſive eſſentiæ, quo res dicitur eſſe ut ſpecies; alter* τῆς ὑπάρξεως, *ſive exiſtentiæ; quo eſſentia dicitur exiſtere, ut Individuum. Utrumq; actum largitur forma: ſed non eodem modo. Actum* ὀσίας, *ut generalem, quælibet forma contribuit, ut forma animalis dat eſſentiam animali, hoc eſt,*

constituit animal: forma hominis dat esse sive essentiam homini, hoc est, constituit hominem. Sed actum ὑπάρξεως, *qui singularis est, non quælibet forma præstat. Solius namq; formæ ultimæ & specificæ, quæ ad nullam rem aliam dirigitur, proprium est facere, ut res existat Individuè. Neq; id præstat forma illa ultima sola sine alio subsidio & adjumento; verum sociam & adjutricem adsciscit ipsam materiam. Atque hoc est, quod posuimus in theoremate:* formam communicatam materiæ principium Individuationis esse. *Forma quidem est principalis caussa Individuifica; materia tamen est caussa sive conditio sine qua non. Vt enim forma communicari possit, adeoq; unum quid actu existens constituere, natura illi materiam destinavit dividuam, in qua pluribus communio obtingeret. Atq; ita constituuntur Individua in materialibus. Videatur* Averroës lib. 2. de an, t. 7. & 9. Zimar. 7, Metaph. context. 12. & in quæst. super hac re, Zabarel. de const. indiv. c. 6. Perer. li. 6. c. 12. Merc. in dil. Picol. 3. de Mat. 17. Scalig. Exerc. 307. s. 17. *qui omnes solam formam substantialem pro principio Individuationis retinent.*

Theorema IX.

Substantia separata sive immaterialis per actum suum est una numero & individua.

De substantiæ materialis Individuationis caussa hactenus; nunc mentem (ut utar verbis Archangeli

geli Mercenarij de princip. Indiv. subst. immat. c. 1.) *altius extollamus & abstractæ immaterialisq; substantiæ Individuationis caussam consideremus, idq; quàm brevissimè.*

Vnum est simplicissimum, nempe DEVS *ter Opt. Max. qui solus purus est actus ac simplex*, Scalig. Exercit. 359. sect. 12. *unde seipso rectè unum & Individuum dicitur, quod probat Philosophus* lib. λ. Metaphys. text. 49. *docens primum motorem esse unum, tùm ratione, tùm numero. Ergo ex sententia Philosophi, sicut primus motor seipso est unus unitate Entis: ita & seipso est unus numero & Individuè. Alias enim, ut rectè disputat Arnisæus, quemadmodum id, quod habet ignem, ignis verò non est, ignis dicitur per participationem: ita si* DEVS *haberet existentiam & existentia non esset, aliter quàm per participationem, existens esse non posset; quod absurdum. Deinde Esse, essentiæ superadditum, præsupponit caussam, ut accidentia propria suæ existentiæ caussam habent subjectum ipsum, in quo insunt: & substantiæ finitæ caussam externam cum principiis internis. Verùm essentia* DEI *sibi ipsi non potest superaddere existentiam: addere enim existentiam aliud nihil est, quàm ex potentia in actum trahere: Cum itaq; nihil seipsum trahat in actum, nisi existentia identificetur essentiæ; in Deo prior quædam caussa esset ponenda, à qua in actum ex potentia deduceretur. Tandem* Scotus 1. dist. 8. q. 2. in Report. *ita arguit: Primum efficiens necesse est esse: quia si non: Ergo esset poßibile & non à se. Necesse autem esse est necessariò sua existentia. Idem* DEVS.

quoq;

quoq; ex infinitate Dei ostendit &c. Concludimus itaq; Dei essentiam & existentiam nullo modo distingui, sed etiam hoc respectu esse & manere simplicissimum, diciq; unum numero à Philosopho κατ' ἀναλογίαν. *Propriè enim loquendo unus numero non est, sed unus essentiâ, quod testatur D. Basilius* Epist. 141. Illis, *inquit*, qui nobis per calumniam, trium Deorum doctrinam ac fidem obijciunt, respondeatur: Nos Deum NON NUMERO, SED NATURA UNUM CONFITERI. Quicquid enim dicitur numero propriè unum, unum revera ac simplex natura non est. *Deum autem unum solum & unicum simplicem & incompositum confitentur omnes.*

In Deo essentia & existentia non distinguuntur.

Si autem unum tantùm simplicissimum: Ergo omnia præter unum illud erunt composita. Hinc omne quod est sub Deo compositum dixit Scaliger loco citato & materiam primam ibid. Et Averroës in comment. 79. li. 1. Phys. *ait, materiam quasi compositam esse ex esse & non esse. Quod tamen nonnulli de* δυνάμει ἀντιφάσεως *materiæ intellectum volunt. Ergo & substantiæ abstractæ erunt compositæ ex actu & potentia.*

An intelligentiæ sint actus?

Quid ais? Inquies. Ergo intelligentiæ, abstractæq; substantiæ non sunt actus? Sunt actus, quod eleganter probat Scaliger in exercit. allegata sect. 2. Intelligentia, *inquit*, est actus, quia est orbis sui perfectio, quamvis non in orbe. Hæc cœlestis: supercœlestis autem actus, quia nullo medio instrumento eget ad functiones suas perficiendas. *Actus itaq; est. Sed estne purus iste actus? Respondet ibidem Scaliger.* Non: Solus

DEVS

DEUS caussa est sine caussâ,& ens absq; ente. Mera namque Essentia. Intelligentia verò tametsi non est composita ex materiâ & formâ: tamen constat ex aliquo, tanquam potentiâ, & aliquo tanquam actu. Potentiam illã dicimus ejus esse: actum verò ejus essentiam. Est autẽ essentiâ,quâ est id, quod est. Esse verò est receptivitas essentiæ; quæ non est in prædicamento Relationis,sed substantiæ,neq; in ullo prædicamento materiali, sed neq; in prædicamento intelligibili qualitatis: sed in prædicamento substantiæ supernaturali. *Quod autem est in re materiali,sive in Elemento,materia; id est in Intelligentiâ,juxta mentem Scaligeri,ipsiusmet intelligentiæ esse: quod in eodem forma, id in intelligentia Essentia*, vel ut iterum Scaliger in ead. Exercitat. sect. 12. *loquitur,angeli sunt compositi ex substantiis duabus, alterâ simili potentiæ: alterâ simili actui: Actus igitur habet moventis formæ rationem: pars verò mota habet proportionem materiæ. Vt itaq; forma in materialibus movendo materiam actuat & determinat, actuandoq; & determinando Individuum materiale constituit: ita actus in intelligentiis movendo partem illam, quæ potentiæ proportionem habet actuat & determinat, actuandoq; & determinando Individuum immateriale constituit. Ad hanc sententiam trahi posse videtur id, quod de angelis scribit Damascenus* li. 2. de Fid. Orth. cap. 3. *Quando dicit:* Ἄγγελος ἀσώματος λέγεται, καὶ ἄϋλος, ὅσον πρὸς ἡμᾶς. πᾶν γὰρ συγκρινόμενον πρὸς

τον

τὸν θεὸν τὸν μόνον ἀσύγκριτον, παχύτε καὶ ὑλικὸν εὑρίσκεται. *Ita quidem hæc ad bonum sensum trahi possunt: cum aliàs appareat, Damascenum hisce verbis Angelis corpoream quandam naturam, vel omninò mediam inter corpoream & incorpoream tribuere, ut infra etiam significabitur. Sed ad rem.*

Occupatio. *Videtur hæc nostra sententia de individuatione Intelligentiarum pugnare contra Aristotelem, qui* li. ή. Metaph. text. 41. & lib, 2. de anim. tex. 9. *docet, in separatis à materiâ idem esse quiditatem & Individuum. Item* ή. Metaph. c. 6. *inquit Philosophus*; quæ neque sensibilem, neq; intelligibilem materiam habent, sicut sunt substantiæ separatæ, seipsis sunt Ens & unum, neq; alia est assignanda caussa unitatis ab essentiâ. *Et* Averroës in Epit. Metaph. tract. 2. p. 382. dist. F. *hanc sententiam confirmat*: Si ergo, *inquit*, dantur aliquæ res, quæ non habeant materias sensibiles, neque intelligibiles, non erunt equidem compositæ, neque habebunt definitionem, neque esse in potentiâ, imò ipsæ sunt actus purus, & caussa unitatis illarum nihil aliud est, quàm sua essentia, & tandem quiditas in eis est ipsum Esse. *Thomas* 2. sent. dist. 3. q. 1. art. 2. incommunicabilitas, *inquit*, quæ idem est cum Individuatione, est in homine ex eo, quòd natura sua recepta est in fundamento materiæ, & per materiam determinatur, sed intelligentia ex seipsâ individua est.

Solutio difficultatis. *Verùmenimvero allegatæ hæ authoritates tum ipsius Aristotelis, tum interpretum, optimè cum nostrâ senten-*

ſententiâ conciliari poſſunt. Aut enim abſolutè, aut reſpectu rerum materialium ſumuntur. Si abſolutè: tum de ſolo Deo glorioſo intelligendæ. Is enim actus ſimpliciter ſimplex & abſolutè abſolutus eſt, adeoq́; ſeipſo & Ens & unum, nullius indigens, αὐταρκέστατος, per ſe ſufficiens. Si rerum materialium reſpectu; tum verum eſt, quòd intelligentia & mens creata & finita ſuo actu, hoc eſt, ſeipsâ ſit unum & individuum: materiâ enim caret: quod autem materia caret, ratione illius, quod materiam habet, purus actus, & ſeipſo unum eſſe rectè ſtatuitur. Nam materiale propriè compoſitum eſſe dicitur, nempe ex materiâ & formâ, & propterea propriè δι' ἄλλων per alia unum exiſtere, nempe per internas illas cauſſas, quæ in ſcholis partium eſſentialium nomine celebrantur & frequentantur. Itaq; in eas reſolubile eſt, ut in ſua principia, ſic homo in materiam, quæ eſt corpus, & formam, quæ eſt anima, reſolvitur. Cum itaq́; angeli & intelligentiæ ejuſmodi partes reales non habeant, ſed tantùm quædam eis in proportione reſpondentia, materialium reſpectu rectè puros actus dici eos poſſe, atq; adeò ſeipſis differre nemo dubitabit.

Huic Conciliationi videtur ex parte adſtipulari Scotus 2. ſent. lib. diſt. 3. q. 7. *ubi docet:* ſubſtantiarum ſeparatarum cauſſam individuationis diſſimilem atq; diverſam eſſe: primam nimirum intelligentiam ratione ſuæ infinitatis ſeipsâ eſſe Individuam: cæteras verò Intelligentias non ſeipſis eſſe Individuas, ſed per aliud eſſentiæ ſuperadditum, nempe Conciliationis approbatio.

per

per Hæcceitatem. *Hæcceitatem quidem illam nos reijcimus, ut ex præcedentibus liquet: diversitatem verò principij Individuationis primæ intelligentiæ & cæterarum, modo à nobis posito, admittimus; & rectè iterum cum Scoto concludimus: Quod de se est Individuum & singulare, sub ratione universali intelligi nequit: quia nihil potest intelligi sub ratione opposità suæ naturæ: secundæ intelligentiæ sub ratione universali concipi possunt: Ergo non sunt ex se singulares & individuæ.*

Atq; hæc de vexatissimâ & valde nobili illa quæstione, principium Individuationis *concernente, paulò exactius disserere voluimus, nihil curantes, quòd irridebuntur, (ut iterum utar verbis Scaligeri) à nonnullis, qui sanctitatem in ore habent: otio, supinitate, aut flagitiosâ licentiâ marcentes, scientias contemnunt titulo curiositatis.*

EXERCITATIO DECIMA.

DE TOTO NUMERALI.

Theorema I.

Totum numerale est monadum collectio, & ordinata in unam summam coacervatio, facta ab Intellectu.

Methodi ratio. Totum determinatum supra Exer. 7. theorem. 5. divisum est in Totum, quod est unum ἁπλῶς,

ἁπλῶς. & in Totũ, quod eſt unum κατά τι. De illo hactenus: ſequitur ultimò Totum κατά τι, quod Totum numerale *dictum eſt. Vocatur autem hoc Totum Vnum ſecundùm quid: quia quodammodo ad Ens per accidens accedere videtur: cum exiſtentiam & vnitatem formalem extra Intellectum non habeat.*

Numeri definitio.

Definitionem Numeri *quod attinet, ſciendum initiò eſt, eam duplicem dari: materialem & formalem. Materialis eſt:* Numerus eſt multitudo unitatum ſive quantitatum continuarum ſingularium. *Generis loco ponimus* multitudinem: *quæ formam numeri ſubindicat, & convenientiore voce efferri nequit. Vnde Ariſtoteles* lib. jota Metaph. *c.6. dicit: multitudinem ſe habere ad numerum, ut genus ad ſpeciem: præſertim cùm, ut ſubdit, numerus ſit multitudo uno menſurabilis. In differentiæ locum aſcribimus* unitates, ſive quantitates continuas: *quæ numero ſubjiciuntur, ejusq; fundamentum ſunt. Vnde principium Totius numeralis unitas quantitativa ſive Arithmetica, diſtincta ab unitate tranſcendentali, arguitur. Non enim eadem unitas eſt hæc tum illa. Nam ſi hic nulla eſſet diſtinctio, nulla utiq; darentur ὄντα, niſi quanta: neq; unitas paſſio Entis adæquata eſſet; ſed tantùm propria ὄντων materialium. Adde, quod etiam in ipſis materialibus ſit unitas & integritas, quam quodlibet in ſeipſo habet, quæq; non formaliter à quantitate eſt, licet non ſit ſine quantitate. Eſt enim unitas maximè intrinſeca, & convenit ei vi ſolius Entitatis adjuncta negatione. Vn-*

Vnitas numeralis & tranſcendentalis diſtinguuntur.

de remotâ etiam quantitate intelligitur adhuc intrinseca unitas entitativa transcendentalis in substantia materiali. Proinde omnis substantia, quæ est una per quantitatem simpliciter & propriè loquendo, est una per accidens in genere entis; cum sit ex duobus diversorum prædicamentorum: substantia nimirum & quantitate. Substantiâ verò, prout una est, transcendentali unitate, non est una per accidens; sed una per se. Quocirca si substantia materialis esset una tantùm unitate quantitativâ, tum una non esset, quatenus substantia, & in Categoriá substantiæ est. Omnis igitur substantia materialis esset una per accidens: atq; ita ens per accidens: quod absurdissimum. Est itaq; Vnitas hæc quantitativa, quæ fundamentum & principium omnis discretæ quantitatis est, ab unitate transcẽdentali distincta. Potestne igitur ullo modo ad unitatem transcendentalem referri unitas quantitativa? Omnino potest. Vnitas enim quantitativa est quædam transcendentalis unitas, quamvis non omnis transcendentalis unitas sit unitas quantitativa. Vnitas namq; transcendentalis in omnibus reperitur prædicamentis: Vnitas verò quantitativa tantùm in quantitatis Categoriâ locum habet. Esse autem Vnitatem quantitativam etiam transcendentalem, hunc probo in modum: Cui convenit definitio eidem & definitum: Atqui definitio transcendentalis unitatis convenit unitati quantitativæ: Ergo &c. Minor probatur. Nam unitas transcendentalis est vniuscujusq; Entitas indivisa: At tale quid est unitas quantitativa: Est enim nihil aliud, quàm quædam unitas indivisa: Ergo &c. Vnitas itaq; quantitativa ab unitate transcen-

Vnitas quantitativa quomodo ad transcendentalem referatur.

transcendentali rectè distinguitur, quatenus definitur principium numeri; & numerus dicitur multitudo ex unitatibus collecta 3. Phys. cap.7. text. 68. lib.η Metaph.text.10.lib.ι.eor.c.3. *Sub transcendentali verò continetur, quatenus absolutè consideratur. Quemadmodum enim unitas transcendentalis dicitur uniuscujusq; rei Entitas indivisa: ita quantitativa unitas dicitur nihil aliud, quàm quantitas continua, ut indivisa. Quæ continuitas vel continui Entitas non est posita in solis partibus, sed etiam in unione illarum, & termino, quo copulantur, vel potius in toto illo composito, quod ex his omnibus resultat. Ex quo simul intelligitur, cur à nobis promiscuè posita sit pro fundamento Totius numeralis, unitas quantitativa, & quantitas continua, prout indivisa est. Quantum enim Cótinuum & Vnum continuum sive unum quantitativum, re non distinguuntur. Nam unitas quantitativa nullum peculiare accidens reale aut positivum addit supra rem quantam & continuam, ut talis est. Nam, ut rectè docet Suarez.* disput. Metaph.41.sect.1.d.8. *unitas quantitativa, attributiva substantiæ, addit illi quantitatem, quæ secundùm se spectat ad aliquam speciem quantitatis continuæ.* Et disp.4.sect.3.d.8. *inquit: animadvertendum est, in substantiâ naturali posse considerari intrinsecam & entitativam unitatem, & accidentalem denominativè convenientem illi ex affectione quantitatis. Vnde fit ut quantitas ipsa considerari poßit, ut vel in se vna est; vel ut ratione illius redditur vnum id, quod per ipsam afficitur. Vnitas igitur quantitativa, quæ*

discreti numeri principium dicitur, & ipsa quantitas continua, prout indivisa est, re non distinguuntur. Videatur Suarez locis allegatis.

Vnitas Arithmetica an sit numerus.

Quæritur hoc loco: an vnitas Arithmetica sit numerus, & ideò divisibilis. *Ramus* lib. 17. Schol. Math. statim in initio pag. 243. *& qui hunc sequitur Bernhardus Salignacus Burdegalensis* Arith. lib. 1. cap. 2. pag. 6. *affirmativam tenent. Ex loco allegato Rami pro hac opinione duo potissimum argumenta peti possunt.*

Vnitatem divisibilem esse probatur.

1. Arg. *1. Numerus est secundum quem vnumquodque numeratur: At secundum unitatem vnumquodque numeratur.* Ergo *Vnitas est numerus.*

2. Arg. *2. Euclidi unitas numerus est in numero perfecto, imperfecto; in numero plano, solido; in omni denique rationum & proportionum doctrinâ: Ergo unitas est revera numerus, & per consequens divisibilis: quia omnis numerus divisibilis est, quod nemo negabit.*

3. Arg. *3. Ita colligere possumus ex loco allegato prop. 5. Salignaci: Numerus est quantitas Mathematica discreta: At talis quantitas est unitas: Ergo est numerus, & divisibilis.*

4. Arg. *4. Ex eadem: Cui æquale & inæquale tribuitur, illud est quantum vel quantitas: At unitati æquale & inæquale tribuitur: Ergo est quantitas. At quantitas est divisibilis. Ergo Vnitas est divisibilis.*

5. Arg. 5. Ex eadem: *De quo verè dicitur, quod sit majus, id etiam magnum, & per consequens quantum, sive quantitas est: At de unitate verè dicitur quod sit major: Ergo etiam erit magna & quanta, sive quantitas. Minor probatur: quia unitas major est duabus tertiis & tribus quartis.* 6. Ex eadem:

6. Arg. *mag-*

magnitudines in singulis magnis sunt: sic Vnitates in singulis numeratis sunt: Ergo si unitas dividi nequeat, neq; magnitudines dividi in partes poterunt: quod falsum est. 7. Ex proposit. 7. *Omne totum dividi* 7. Arg.
potest in partes: Vnitas Arithmetica est aliquod totum. Ergo dividi potest in partes. 8. Ex eadem: 8. Arg.
Quodcunq; ad oculum demonstratur, id negari nequit: At divisio unius ad oculum demonstratur: Ergo non potest negari. Minor probatur: Nam nota hæc $\frac{1}{2}$ *significat dimidiam partem vnius totius: sive est vna secũda: &* $\frac{35}{56}$ *triginta quinq; quinquagesimæ sextæ.* 9. Ex eadem. *Cum* 1. 2. 3. 4. *dicimus, totidem* 9. Arg.
semper unitatem dicimus: Quemadmodum igitur negari nequit, quòd quaternarius numerus, licet sit vnus numerus, item ternarius, & binarius dividi possit: Sic etiam vnitas non erit indivisibilis, propterea, quod sit vnus numerus. 10. Ex eâdem: *Cujus partem a-* 10. Arg.
liquam tàm parvam dari, quâ minor alia dari nequeat, impossibile est, illud est divisibile: At unitatis tàm parva pars dari nequit, quin adhuc detur minor: Ergo unitas est divisibilis. 11. Ex eadem *Cujus par-* 11. Arg.
ticulæ quantitates Mathematicæ sunt, neq; ullum vnquam communem Terminum habent; illud divisibile est: At unitatis particulæ Mathematicæ quantitates sunt &c. Ergo in eas Vnitas est divisibilis. 12. His ad- . Arg.
di potest & tale argumentum; Cui convenit proprium numeri, numerus est: At unitati competit proprium numeri: Ergo est numerus. Minor probatur: Nam impar est proprium numeri, & unitas est impar: Ergo impar numerus.

Vnitatem non esse divisibilem probatur.

Vtut autem sese rationes enumeratæ habeant,
statuimus tamen & per certam atq; immotam sci-
entiam cognitum, perceptum, & perspectum ha-
bemus nos, sententiam illam falsam, erroneam ac
nugatoriam, contraq; negantem veram & solidam
esse: idq; sequentibus rationibus: 1. Numerus est
multitudo: Vnitas non est multitudo: Ergo uni-
tas non est numerus. Respondet ad hujus argu-
menti majorem Salignacus per distinctionem: di-
stinguendum esse inter numerum multitudinis &
inter numerum in genere: qui non sit multitudo,
sed rectè definiatur, quantitas mathematica dis-
creta: quæ definitio, ait, etiam vnitati competit.
Sed bonus hic Salignacus se ipsum non intelligit.
Nonne qui dicit quantitatem discretam, dicit mul-
titudinem quæ est actu? Omninò. Quod intelli-
gitur ex quantitatis discretæ & continuæ definitio-
nibus & distinctionibus. Quantitas continua est,
cujus partes communi Termino ἀδιαιρέτῳ copu-
lantur, hoc est, cujus partes vniuntur in una ex-
tremitate communi, ut partes lineæ in puncto.
Quantitas discreta est, cujus partes nullo commu-
ni Termino inter se combinari possunt, sed perpe-
tuò discernuntur; sunt enim inter se invicem s[...]
cretæ & sejunctæ. Hinc ita vrgemus simplicem
illum Arithmeticum: Quantitas discreta, qua[...]
fingitur unitas: aut est (cum simplicibus enim sim-
pliciter agendum est) quantitas continua aut d[...]
screta. Sed non credo nostrum Salignacum f[...]
tuere quantitatem discretam esse quantitatem con-

1. Arg.

tinuam:

tinuam: cum ſint ſpecies oppoſitæ : Ergo cum ipſemet concedat, quòd ſit quantitas diſcreta, negabit quòd ſit quantitas continua. Ergo Vnitatem, quando dicit quantitatem diſcretam eſſe, negat eandem eſſe continuam, idq́ insulsè contra proprium inſtitutum. Si enim diceret unitatem diviſibilem eſſe, prout quantitas continua eſt, nemo id forſan negare poſſet. Si igitur ſecundum noſtrum Arithmeticum Vnitas eſt quantitas diſcreta, quæro per DEVM immortalem, ut nobis dicat, quomodo illa differat à quantitate continua: Si non omninò hoſpes eſt in univerſa Philoſophia, reſpondebit ex definitione vtriusq́: Nempè quantitatem continuam in eo differre à diſcretâ, quod habeat partes vinculo indiviſibili vnitas, atq́ adeo ſit reverâ & ſimpliciter vnum quid: Diſcreta verò habeat partes impropriè ita dictas, nempe vinculo indiviſibili non vnitas, ſed ſecretas & ſejunctas, adeoq́ non ſit revera & ſimpliciter vnum quid, ſed multitudo actu. Ergo quando bonus & ſimplex noſter Salignacus dicit vnitatem eſſe quantitatem diſcretam, dicit vnitatem eſſe multitudinem, & negat vnitatem eſſe vnitatem. Nam oppoſita de ſe mutuo eſſentialiter prædicari non poſſunt: At unitas & multitudo ſunt oppoſita: Ergo de ſe mutuò eſſentialiter prædicari nequeunt, & per conſequens: Vnitas non eſt multitudo: & multitudo non eſt vnitas. Quod quidem in terminis videt Salignacus, ſed non in conſequentiâ.

2. Arg. 2. *Argumentum, quo nostra probatur sententia, ita habet: Numerus dividi in partes potest; quia est quantitas: Vnitas non potest, quia est in numeris quid simplicissimum. Ergo &c.*

3. Arg. 3. *Si unitas numerus est, punctum quoq; Mathematicum magnitudo erit, quod absurdum est. Punctum enim est, cujus pars nulla est.*

4. Arg. 4. *Si unitas est quantitas, est vel continua vel discreta. Non continua, quod concedunt adversarij: Ergo discreta: At omnis quantitas discreta, est multitudo: Quantitas enim (uti diximus) discreta in eo discernitur à quantitate continua, quòd illius partes actu sint separatæ & discretæ non conjunctæ ut unum continui, sed ut vnam multitudinem constituant & absolvant, hoc est: Quantitas continua est, quæ actu vnam continet vnitatem: Quantitas verò discreta est, quæ multas in se continet actu vnitates: Vbi autem multæ sunt vnitates actu, ibi non est vna vnitas, sed multæ: Ergo si vnitas est quantitas discreta, non erit vna vnitas, sed multæ: atq; ita vnitas in se continebit multas actu vnitates, & erit multitudo, quod absurdum.*

5. Arg. 5. *Individuum, quando nempe non in generalissima accipitur significatione, & vnum numero apud Philosophos convertuntur: quod intelligitur ex loco Philosophi* lib. Jota Metaphys. c. 1. ἀριθμῷ μὲν ἓν, τὸ καθ᾽ ἕκαστον ἀδιαίρετον: Numero indivisibile & singulare: *At Individuum est indivisibile: quia est indivisum in se, & divisum*

ab omni

ab omni alio: *Ergo Vnitas quoq; numerica est indivisibilis.*

6. *Illud reverà est unum, cuius vel intellectio vel ratio indivisibilis est*, Arist. loco all. *At nullius quantitatis discretæ intellectio vel ratio est indivisibilis: Ergo nulla quantitas discreta est unitas. Et per consequens: Nulla unitas est quantitas discreta & divisibilis.* 6. Arg.

7. *Principium & materia non est principiatum & materiatum: At unitas est principium & materia numeri.* Aristot. lib. μ. Metaphys. cap. 8. p. 573. A. 7. Arg.

8. *Imò ipse Philosophus* lib. Jota Metaph. cap. 1. pag. 543. H. *Vnum numero indivisibile dicit, &* lib. μ. Metaph. c. 8. p. 572. H. *ait* τὸ ἓν οὐ διαιρετόν φασιν, ἀλλὰ ἀδιαίρετον. *Et paulò post* p. 573. B. *expressè docet, quòd unitas & numerus in nullo differant, quàm quod unitas principium est numeri, & indivisibilis: Numerus verò principiatum, & divisibilis: Verba hæc sunt:* οὐθενὶ γὰρ διαφέρει, ἢ ὅτι ἀρχὴ, καὶ ἡ μὲν δυὰς διαιρετὴ, ἡ δὲ μονὰς οὔ. In nullo enim differunt, nisi quod principium, & dualitas quidem divisibilis, unitas verò non. *Et iterum* lib. Jota Metaph. c. 3. *ait:* Ἀντίκειται τὸ ἓν καὶ τὸ πλῆθος ὡς ἀδιαίρετον καὶ διαιρετόν: Τὸ μὲν γὰρ ἢ διῃρημένον, ἢ διαιρετὸν, πλῆθός τι λέγεται: Τὸ δὲ ἀδιαίρετον ἢ μὴ διῃρημένον ἕν. Opponuntur unum & multitudo, ut indivisibile & divisibile. 8. Arg.

Quod enim aut divisum aut divisibile est, multitudo est: quod verò indivisibile aut indivisum, Unum.

Ad opposita igitur argumenta respondemus. Ad 1. negamus numerum rectè definiri, quo numeramus. Non enim definitio est, sed tantùm nominis interpretatio. Deinde si secundùm unitatem verè numeramus: Vnitas tantùm erit numerus: nam quid numerare est aliud, quàm unitates in unam summam colligere? adeoq́ tantùm unitate numerare videmur. Per id enim numeramus, per quod augetur numerus ordine. At ordine numerus tantùm augetur unitate: Ergo tantùm unitate numeramus. Nam quandò ego numero, ita quidem progredior loquendo. Vnum, duo, tria, quatuor: verùm in re ipsâ & in notione intellectus ordine enumerando, semper unitate mensuro multitudinem, unitatem nimirum unitati addendo, & his insuper alias atq; alias ordine superaddendo hunc in modum: Vnum; unum & unum: unum unum & unum: unum unum unum & unum, Primùm igitur ponitur unitas: Deinde illi additur adhuc alia unitas, & constituitur binarius: duabus illis unitatibus superadditur adhuc alia, & constituitur ternarius: tribus illis additur adhuc alia, & fit quaternarius & ita consequenti ordine. Atq; hoc esse videtur, quod ait Aristoteles lib. Jota Metaph. cap. 6. p. 547. ἔστι γὰρ ἀριθμὸς, πλῆθος ἑνὶ μετρητόν. Numerus enim est multitudo uno mensurabilis.

Ad 2. Euclidi unitatem numerum esse in

numero

numero perfecto &c. *Respondemus, distinguendum esse inter esse numerum & fungi officio numeri. In numero perfecto & similibus, Vnitas quidem fungitur officio numeri, non tamen propterea numerus est. Fungi autem officio numeri potest unitas 1. quia est potentiâ numerus 2. quia est fundata in quantitate continuâ, quæ unitas est potentiâ.*

3. *Argumenti vanitas apparet ex confirmatione primi argumenti nostri: Si enim unitas quantitas discreta est, unitas non est, cum quantitas discreta à continuâ in eo distinguatur, quòd hæc numero una existens, potentia tantùm in partes sit divisibilis, adeoq; verè una, & non multa: discreta verò non una numero existens, habeat partes actu divisas & actu multas, adeoq; sit multa, sive multitudo & non unitas, sive una.*

Ad 4. AEquale & inæquale tribuitur unitati sive Vni, non prout unitas sive unum est: sed prout est quantitas sive quantum continuum. Propriè enim æquale & inæquale affectiones sunt quantitatis continuæ: Par verò & impar quantitatis discretæ. Ad 5. Vbi dicitur quod magnitudo tribuatur unitati, cum sit major duabus tertijs & tribus quartis. *Respondemus distinguendum esse inter unum, prout unum est formaliter; & inter unum, prout materialiter pro toto divisibili sumitur.* (divisibili, *dico, non* indiviso: *Nam totum indivisum unum est: Divisibile verò multum.* Arist. li. 1. Meta. c. 3.) *Vnū formaliter neq; majus neq; minus sumit; sed totum, quod unius materiale est.* Non *itaq; rectè dicitur*

citur unum esse majus duabus tertiis vel tribus quartis: sed totum. Totum enim, non unum, est majus qualibet sua parte. Ad 6. Ibi non fit vera illatio: sic enim antecedens formari deberet: Vt magnitudines in singulis magnis sunt, ita & numeri sive quantitates discretæ in singulis numeris sive quantitatibus discretis sunt. Quod, quando binarius numerus excipitur, de omnibus cæteris libenter concedimus. Exceptionis hujus caussa est: Quòd in numero dari possit minimum; in quantitate verò continuâ non. Siquidem hæ duæ quantitates inter alia etiam in hoc distinguuntur, quòd in quantitate continuâ detur quidem maximum, sed non minimum; quippe quæ potentia divisibilis est in infinitum, teste Philosopho lib. 3. Phys. *in quantitate vero discretâ detur quidem minimum, sed non maximum.* Nullus *enim numerus tam magnus est, qui non possit adhuc unitate augeri. Deinde verum est, ut sunt multa puncta potentia in quantitate continua: ita etiam sunt multæ unitates actu in quantitate discreta: & quemadmodum puncta, prout puncta sunt, hoc est, prout sunt principia & non partes quantitatis continuæ, sunt indivisibilia: ita etiam unitates, prout unitates sunt, hoc est, principia & non partes quantitatis discretæ: non sunt divisibiles. Quod autem puncta tantùm sint potentiâ in quantitate continuâ: in hâc verò actu: id evenit ex naturâ diversâ utriusq; quantitatis. Vt enim punctum est Terminus, ita unitas est Terminus. Quocirca quemadmodum quantitatis continuæ partes, propterea quia continuæ sunt, non habere debent Terminos actu divisos, quippe quo ipsa natura quan-*

titatis

titatis continuæ tolleretur, quæ est habere partes unitas in uno termino indivisibili: ita è contrario & modo opposito, quantitatis discretæ partes, quia discretæ sunt, actu debent habere terminos, actu partes dividentes & secantes: nempè in quo etiam tota natura hujus quantitatis consistit, & à continua distinguitur. Ad 7. Vnitatem sumtam, ut totum, dividi posse concessimus antea: at ita non dividitur ut unitas, de qua arithmeticè & formaliter sumta quæritur hoc loco, an dividatur. Ad 8. Respondemus iterum illa demonstratio non est demonstratio divisionis unius, sed totius divisibilis, quia, quod dividitur, verbi gratia, in duo æqualia, id dividitur in duas partes æquales. Partes autem non sunt correlata unius, sed correlata totius, nempe in quas totum quasi frangitur. Vnde etiam divisio hæc Arithmeticis denominatur fractio. Sic dimidius grossus est altera pars unius totius, & est totus grossus quasi fractus. Adeoq; per partes sive in partes multiplicatus.

Ad 9. Distinguendum est inter Vnitatem transcendentalem sive metaphysicam, quæ cum Ente recurrit: & inter unitatem numericam sive arithmeticam. Binarius numerus dicitur unus numerus, sic ternarius, quaternarius, centenarius, millenarius unus numerus est: verùm non unitate arithmeticâ, sive numericâ: sic enim centum taleri essent unus talerus: quod absurdum esse absq; dubio concedit noster Arithmeticus: sed unitate transcendentali, quâ omne id, quod sub Entis rationem venit, venit etiam sub rationem Vnitatis. Vnitas contrà, quæ principium est numeri, non dicitur tantùm una unitate transcendentali,

dentali, sed etiam, & quidem potißimùm proprieq; Vnitate numericâ. Ad 10. Vnitatis partes dari negamus, Totum suis partibus constare affirmamus. Vnde hoc potentia in infinitum divisibile asserimus: illud ullo modo divisibile esse negamus. 11. Vnitatis particulæ mathematicæ nullæ sunt: si verò ei quædam attribuantur, id ex accidente fit, & non quia unitas est, sed quia in toto integrali, adeoq; in quantitate continuâ fundata est. Ad 12. Negamus Vnitatem esse imparem. Est neq; par neq; Impar, sed paris atq; imparis principium. Deinde ex sententiâ ipsius Salignaci non dari potest pars minima unius: Ergo constat actu distinctis infinitis partibus: Ergo unitas erit actu infinita quantitas discreta & infinitus numerus; Atqui is neq; par neq; impar est. Arist. lib. μ. Metaph. cap. 8. p. 572. c. *Manet itaq; firma & immota nostra assertio, Vnitatem arithmeticam sive numericam neq; numerum neq; divisibilem esse.*

Pergemus nunc ad Numeri formaliter accepti definitionem, quæ in Theoremate ita posita est:

Numerus est multitudo sive ordinata unitatum in unam summam collectio, facta ab intellectu. *Quæ definitio desumta est ex* lib. Jota Metaph. c. 1. & 4. Phys. c. 14. text. 131. *Est autem essentialis sive quiditativa cum additamento. Apposita enim in ea est numeri caussa efficiens, qui est* intellectus.

Theorema 11.

Totum numerale sive Numerus esse suum reale in naturâ extra

tra intellectum non habet: Ens tamen reale est.

Caussa efficiens, in definitione numeri asserta, quæstionem gignit: An numerus esse suum reale in naturâ extra intellectum obtineat. Negativa apparet ex datâ efficiente. Nam opus intellectus non est Ens reale extra intellectũ: Atqui numerus est opus intellectus: Ergò nõ est Ens reale extra intellectum. Inquis, minorem negari posse hoc Syllogismo: omnis multitudo per se talis est, non verò beneficio intellectus: sed numerus est multitudo: Ergo &c. Major patet: Nam intellectus decem equis, ut sint decem, nihil contribuit: Sed tot sunt feriante omni intellectu. Minor constat ex Aristotele, *qui* lib. δ. Metaph. c. 13. text. 18. *ait: Multitudinem quantum aliquod esse, quatenus numeratur: additq; multitudinem id dici, quod potestate in non-continua divisibile est. Atqui non-continua, non sunt, nisi partes numeri: Ergo multitudo est ipse Numerus. Item* lib, Jota Metaph. c. 1. & lib. μ. eor. c. 9. *inquit: multitudo indivisibilium, vel, quod idem est, Vnitatum numerus est. Respondemus ad rationem argumenti, & quidem potissimùm ad probationem minoris: committi homonymiam in vocabulo* multitudinis. *Dupliciter enim ea considerari potest. Multitudo considerata formaliter, ipse numerus est, qui rem aliquam unam significat: sed prout materialiter concipitur, ipse numerus non est: sed res numero subjecta, sive quæ numerari apta est. Quin imo hæc multitudo non est unum quid, sed multa: quomodo quando accipitur, ex-*

Difficultas.

Enodatio difficultatis.

tra in-

tra intellectum eam esse ultrò admittimus: sic verò ipsum numerum nondum constituit: Verùm ad eun-dem se tantummodo habet in potentia, hoc est, ut nu-merari, numerumq; constituere possit: ut id plu-ribus jam ostendetur. Quam ob caussam loca ex Ari-stotele allata nihil nobis officiunt. Illa enim tantum de multitudine, formaliter considerata, intelligenda sunt: in qua sanè acceptione nihil aliud est, quàm ipse numerus. Vera hæc esse liquet ex locis allegatis.

Explicatio locorum Aristotelis.

Primum enim quod attinet, desumptum ex 5. Me-taph. text. 18. *ubi asseritur: multitudinem quan-tum aliquod esse, quatenus numeratur: abundè ex eo constat, Philosophum nihil contrariæ opinioni patroci-nari. Nam quid aliud ibi affirmat, quàm quod nos de-fendimus: multitudinem formaliter sumptam esse nu-merum? Addit enim eum esse quantum aliquid, qua-tenus numeretur. Quid jam numerare est aliud, quàm unitates in unam summam colligere: quid au-tem aliud hoc, quàm numerum generare & constitue-re. Ergo qui numerat multitudinem, colligit unita-tes: & qui colligit unitates, ille gignit & efficit nu-merum. Atqui nihil, præter animum, numerat, teste Philosopho* lib. 4. Phys. c. 14. text. 131. *Ergo ni-hil, præter animum, unitates in unam summam colli-git, & numerum formaliter constituit. Quo con-cit illud* Soncinatis *ex* 10. Metaph. q. 8. scien-dum, *inquit*, intellectum numerare aliqua, non esse aliud, nisi ea terminare. *Terminatur autem unaquæq; res, quando concluditur, & claudi-tur intra aliquos terminos. Vndè numerus formalis non est aliud, nisi ista formalis mensura & clausio,*

cujus

mjus ratione est ordo prioris ad posterius. Intellectus enim ita procedens numerando multitudinem, prius claudit duas unitates, postea tres, & sic successivè. Idem ostendit alterum membrum, ex eodem Aristotelis loco deprompt um: quo dicitur, multitudinem esse id, quod potestate in non-continua divisibile est. Iam verò certum est, multitudinem, materialiter sumptam, extra intellectum non potestate in non-continua divisibilem; sed actu jam in eadem esse divisam: quandoquidem multa illa singularia actu distincta & divisa existunt. Conjunguntur autem per intellectum, ut vnius naturam induant. Sic idem docent reliqui duo loci, & quidem multò clarius atq; apertius. Confutato itaq; & rejecto hoc argumento: ad probationem nostræ sententiæ nos accingimus. Quòd enim totum numerale non habeat quandam unitatem à naturâ rei, sed prout à nobis concipitur per modum unius, primùm per se est manifestissimum. In re namq; non est Ens vel accidens, sed collectio Entium vel accidentium. Nam duæ quantitates duorum corporum duo accidentia sunt & non unum. Et unitatum illa collectio non unâ quâdam speciali unitate reali in re est, sed solâ collectione sive unitatum coëxistentiâ. Deinde nulla negatio, quatenus talis, potis est constituere ens reale: sed unitas est negatio: Ergo, quatenus talis, non constituit Ens reale. Major manifesta est. Nam negatio non ponit, sed negat potius & tollit Ens reale. Minor verò sequentibus confirmatur rationibus: Omnis enim indivisio est negatio, Arist. lib.4.Metaphys.c.6.t.11.& Jota Metaphys.c.1. Omnis unitas est indivisio. Vnum enim definitur esse

Totum numerale non habere unitatem extra intellectum.

1.

2.

Vnitatem esse negationem.

id,quod in se est indivisum. Vnde rectè Vnitas argu
tur quædam esse & per se indivisibilitas,vel divisibili-
tatis negatio. Consequentia bona est: Procedit *enim ex*
loco verorum conjugatorum, perinde atq; ista argu-
mentatio: omne album est coloratum: Ergo *omnis albe-*
do est color. Vnde infertur pro nostrâ sententiâ: Si nu-
merus est ens reale,ex nudis unitatibus tale constitu-
tur: Atqui unitates hoc non possunt, ut est demonstra-
tum. Ergo *&c.* Porrò *partes numeri ita inter se sunt*
5. *comparati,ut ordinem inter sese habeant: At ordinem*
non habent,nisi prout eum ab Intellectu accipiunt: Er-
go numerus non est absq; operatione intellectus. Major
manifesta est. Nam *numerus distinctionem connotat,*
non confusionem: Ergo *ordinem quoq;. Vbi enim nō est*
confusio,ibi ordo,ut sit,oportet. Verùm ordo iste non
est nisi in unitatibus,utpote numeri partibus,quatenus
scilicet hæc unitas præcedit illam, illa aliam &c. At
hoc non fit nisi operatione Intellectus, talis modo uni-
tates ordinantis: Ergo *ordo iste non est extra intelle-*
ctum: & per consequens,neq; numerus est extra intel-
lectum,qui per talem ordinem constituitur. Huc egre-
giè facit illud Aristotelis *quod habet* 4. Phys. c. 14.
t. 131. ubi disputans; nū tempus foret anima sub-
latâ, sic ait: si id,quod numerare debet,esse non
potest; nec numerabile quicquam esse pote-
rit: quare nec numerus: cùm numerus sit aut
id,quod numeratur;aut,quod potest numera-
ri. Quod si verò aliud nihil,præter animam,
& animæ mentem numerare aptum natū est,
impossibile est, animâ non existente, tempus
esse,nisi forte id,quod subjecto tempus est, si mo-

Vnitates sunt partes numeri.

si motus absq; anima effici posset. *Idem notat* Averroës *in locum allegatum his verbis*: cũ res numerans, quæ est anima, non fuerit, tunc utiq; nec numerare, quod ejus actio est, non fuerit: ubi verò numerare nõ fuerit, apparet nec numerum futurum. *Infers ex* Boëtio, *Sublato sensu, nihilominus supererit sensile: Ergo & dempto numerante, numerus superstes erit, animâq; remotâ,* Tẽpus. *Sed in promptu est responsio. Sublato sensu & actu & potestate, tollitur etiam sensile, quâ tale est. Sic idem est judicium de Numerante & numero, Anima & Tempore. Quod etiam innuit Philosophus, dum inquit, mansurũ absq; animâ id, quod subjecto est Tempus, hoc est, motum, prout motus est: non verò, prout quid numeratum est.* Ultimo: *Vltima unitas, priori vel prioribus addita, Numeri speciem complet, facitq; illum unum quid, & ab alijs distinctum: At remotâ Intellectus apprehensione, non datur certa aliqua unitas (tum enim non minus hæc, quàm illa &c: vltimæ unitatis rationem induere potest) quæ sit ultima, quæq; veluti forma alteriꝰ vel reliquarum dici meretur: Ergo Numerus extra intellectũ formaliter nõ est Ens reale.* Objectio. Resp. 4.

Vnicum est, quod hic fortitèr objici, & valdè urgeri posse videtur: nempe, si Numerus non est Ens reale extra mentem existens, quomodo poterit esse alicujꝰ scientiæ realis, scilicet Arithmeticæ, subjectũ? & quomodo sibi cõstabit Philosophꝰ, qui entia mathematica in rebꝰ naturalibus existere testatur li. 6. Met. c. 2. & 1. cor. c. 1? Dubium.

Ad priorem hujus dubij partem tenẽdum est: Ens reale bifariã accipi: aut pro Ente reali extra animum existente, adeoq; pro Ente Physico: aut pro Ente reali, quod Solutio dubij.

per intellectum ab Ente isto, in rerum naturâ extra intellectum existente, abstrahitur, & secundùm modum Intellectus, ut recipientis, formatur. Priore modo Ens reale sumptum, nullius scientiæ subjectum constituere potest. Nam cum omni recepto ita debet esse comparatum, ut se habeat, non ad modum sui; sed ad modum recipientis: Atqui omne scientiarum subjectum vel potius objectum, adeoq; omnes scientiæ, habitusq; intellectuales, habent se in intellectu & respectu intellectus ut receptum: Ergo omne scientiarum subjectum vel potius objectum, omnes scientiæ, & habitus intellectuales, accommodabunt se ad modum sui recipientis, quod est Intellectus. At verò intellectus secundùm suam essentiam merè se habet spiritualiter. Ergo & subjectum, & scientia, & omnis habitus Intellectualis. Quin & istud addo: omnes veræ definitiones, omnes legitimæ demonstrationes, & in genere omnes rectæ argumentationes in disciplinis sunt rerum & quidem universalium: quarum naturam licet extra intellectum esse concedamus, interim tamen à singularibus eas existere separatim, negamus; sed singularibus coëxistere & inexistere affirmamus. Has autem, prout intellectu mensurantur, & concipiuntur, non ad modum sui; sed ad modum intellectus se habere necesse est. Ingerunt itaq; sese in intellectum per species: si enim secundùm rem sese Intellectui communicarent, qui Deum immortalem is totam rerum universitatem
" capere posset? Manifestum itaq; est, scientias sua sub-
" jecta contemplari, non prout extra intellectum subsi-
" stunt, sed potius prout ea intellectus suo metitur mo-
" dulo. Hoc si verum est, ecquis facilè & Arithmetica
subje-

subjectum reale negare ausus fuerit; cum ea subjecti sui, perinde ut reliquæ scientiæ, fundamentum in rebus inveniat habeatq;? Nec periculum est, Arithmeticam propterea scientiæ realis titulum amissuram & disciplinæ rationis nomen assumpturam. Hæc enim fundamento isto rerum suarum, quas tractat, extra intellectum privatur. Nomen *namq;*, verbum, declinatio, prædicamentum, enunciatio, propositio, syllogismus, Exordium, narratio, Epilogus &c. *in rebus nihil sunt, sed si aliquid esse dici merentur, opera certè & figmenta sunt intellectus. Talem autem naturam Numerus non obtinet. Ejus enim fundamentum, quod sunt quantitates continuæ singulares, rerum nobis exhibet natura & theatrum, & omnis multitudo confusa & materialis extra Intellectum in naturâ realiter est, quæ deinde in ordinante & uniente Intellectu numerum constituit. Nam quia intellectus multitudinem illam scientificè considerare & contemplari cupit & debet, illaq; ideo subjectum cujusdam scientiæ Mathematicæ, nempe Arithmeticæ, constituit: omne verò subjectum necessariò sumi debet, ut vnum (ut etiam id verum est, licet modo quodam diverso, in Physicâ: non datur unum corpus naturale, sed penè infinita: tamen ut unum ab intellectu, quatenus subjectum illius scientiæ esse debet, cõcipitur: sic etiam in reliquis disciplinis) de quo affectiones demonstrentur: Ergo etiam hoc totum numerale, sive ipse numerus, à nobis concipiendus est, ut unum aliquod, habens unam essentiam & speciem. Committit itaq; quæstio vitium Æquivocationis & Ignorationis Elenchi. Non enim propterea subjectum alicujus sci-*

Disciplina rationis & scientiæ quid differunt.

entiæ dicitur esse Ens reale, quod ita extra intellectum existat; sed quia ab Ente reali extra intellectũ ut singulare, existente, per intellectꝰ operationem abstrahitur, quod idcircò ab Entis rationis naturâ abhorret; siquidem fundamentum ejus in rebꝰ reperitur, quo germana rationis Entia omnia destituuntur. Si verò latâ Entis significatione velimꝰ uti, quatenꝰ sit omne, quod quoquomodo ab intellectu formatur, sive aliquid ipsi extra Intellectũ supponatur, sive non; & Numerus quidem Entis rationis nomine venire posset: verũ hæc Entis rationis acceptio justo est latior. Essent enim omnes disciplinæ, omnes artes, omnes scientiæ, & facultates, ὄντα *rationis: quippe quæ quotidianâ exercitatione & usu, circa externa objecta versante, in mente ab Intellectu ipso generantur, & neutiquàm existentiã suã realem & formalem extra intellectũ obtinent. Deinde etiam tenẽdum est, quod omnia accidentia & affectiones rerum naturalium, non habeant eandem perfectionem. Quædam enim simpliciter & esse & ejus complementum habent à subjectis, in quibus sunt: vt sunt qualitates, quantitates continuæ &c. Quædam verò tantùm fundamentum & materiale in subjectis obtinent: complementum autem & formale in Intellectu humano: siquidem sunt* ὄντα, *per relationem ad Intellectum formaliter existentia. Talia Entia potissimùm sunt Numerus & Tempus. Concludimus itaq; Numerum Ens reale esse; licet formaliter in re extra mentem non existat, atq; ideò cùm Ens reale sit, scientiæ alicujus realis, nempe Arithmeticæ, subjectum esse posse. Atq; hæc de priore dubij parte.*

Numerum esse Ens reale.

Dubij altera pars.

Posterior est: an stante nostrâ assertione, quod Numerus Esse formale extra intellectũ non habeat

habeat, Aristoteles rectè statuat, Entia Mathematica in rebus naturalibus existere. *Respondemus: Aristotelis sententiam in locis supra allegatis, rectè intellectam; & veram esse, & nostræ sententiæ nihil officere. In locis enim citatis non docet Philosophus Entia Mathematica eodem planè modo, quo considerantur in Mathesi, rebus naturalibus inexistere: sed hoc saltē indicat, Entiū Mathematicorū fundamentū in rebus dari extra ipsum intellectū. Nam si hoc non esset, Entia certè Mathematica singulare subjectum alicujus scientiæ constituere non possent; sed vel Physica manerent, & Physicæ considerationis essent; vel in Entia rationis degenerarent. Abstrahunt itaq; Mathematici quantitatem à rebus sensilibus, & quæ ipsi per essentiam suam conveniunt, sedulò investigant & scrutantur.*

Theorema III.

Numerus, sive Totum numerale dici potest unum per se.

Ens reale esse numerū, realeq; constituere subjectum realis scientiæ, manifestum est. Vnde oritur quæstio: an numerus sit unum per se. *Affirmat Thesis.* Nam *quodcunq; constituit subjectum reale alicujus scientiæ; id oportet sit unū per se: Atqui Numerus cōstituit reale Arithmeticæ subjectum: Ergo est unū per se. Hoc argumentū, ut rectè intelligatur, repetendū est ex superioribus & Soncinate* lib. 10. Met. q. 7. & Iavel. lib. 8. Met. q. 9. *Vnū per se in quadruplici circumferri differentiâ.* Primū *dicitur unum (ut loquuntur) unitate simplicitatis: quo modo animam rationalem unam dicimus, quod simplicis sit naturæ & essentiæ. Atq; ita omnium generum res unum dici possunt, præsertim* acci-

Quæstio.

Vnum per se quadrupliciter dici.

2. *accidentia. Deinde unum per se constituitur per unitatem compositionis, quomodo materia & forma propriè unum efficiunt.* 3. Tertiò *unum dicuntur, quæ ordine quodam sibi cohærent; quemadmodum in exercitu, aut tribu aliquâ, videre est.* Deniq; *in unum naturâ conspirant, quæ aggregata, eodem aliquo vinculo colligata vel alio aliquo modo conglutinata, cohærent. Sic acervus lapidum, fascis lignorum, scamnum, mensa &c. Unius nomine veniunt. Quod itaq; attinet nostrum Totum numerale, etiamsi non sit unum primo & secundo: tamen unum est tertio modo, qui etiam Enti & uni per accidens, ut illud supra explicatum est, opponitur.*

Theorema IV.

Forma numeri neq; est divisi continuitas, neq; ultima unitas: sed ordinata unitatum in unam quandam summam collectio.

Quomodo & ubi numerus suū esse reale habeat, quodq; sit unum per se, hactenus ostensum est: cum autem omne Ens sit unū suâ formalitate sive formâ; quæritur porrò, quæ sit illa forma, quæ numerum constituit in suâ unitate & Entitate. Quidam formam faciunt divisi continuitatem, alij ultimam unitatē. *Utramq; opinionem rejicit nostrum Theorema. Primam quidem hisce rationibus: quia unitas continui, ex cujus divisione numerus producitur, non est in actu, quando Numerus unus est: quandoquidem continuum, divisione factâ, non amplius remanet continuum, ac proinde nec unum. At forma debet esse actu in eo, cujus est for-*

Rejectio primæ opinionis de forma numeri.

1.

est forma, & quod constituit. Deinde quia unum oppositorum nequit esse forma alterius; veluti cæcitas visus, albedo nigredinis &c. At numerus & continuitas sibi invicem opponuntur: per divisionem enim continui, generatur Numerus; qui continuitatem partium omninò excludit. Ergò continuitas forma numeri non est. Tertiò: nulla forma actu prior est formato: sed continuitas divisi prior est omni numero, qui fieri aptus est ex continui divisione. Ergo &c. Quartò: Vnumquodq; ut est id, quod est, per suam formam; ita etiam ab eadem suam denominationem sortitur: quia enim anima rationalis est forma hominis, rectè homo ratione præditus esse asseritur. Sed à continuitate non denominatur numerus: alias enim discretum esset continuum; quod contradictionem involuit. Ergo &c. 2. 3. 4.

Unitas porrò ultima non est forma Numeri. Nam omnis vera forma informans, quatenus actuat, datq; esse partibus materialibus, inexistit iisdem: sed ultima unitas non inexistit reliquis. Est enim divisa à reliquis, & per appositionem illis conjuncta: Ergo ultima unitas non est vera numeri forma. Deinde si ultima unitas est forma dicenda Numeri; tum illud nomen sibi vendicat, vel quatenus unitas est, vel quatenus ultima est. Non priori modo: Sic enim non distinguitur ab aliis unitatibus; sed perinde ac cæteræ, pars Numeri est materialis. Neq; verò posteriori modo: Esse enim ultimum dicit relationem. Relatio verò non potest per se esse forma absoluti. Numerus autem est absolutum quid. Ergo unitas, quatenus ultima est, vera numeri forma non est. Concludimus igitur Vl- Rejectio secundæ opinionis. 1. 2.

Approbatio veræ sententiæ.

timò cum theoremate ordinatam unitatum in
unam summam collectionem, *Numeri formam*
esse : quod probatur: numerum esse unum ens per se,
1. *dictum & probatum est : non autem vel simplicitate, vel compositione, vel aggregatione, vel colligatione, vel conglutinatione, est unus ; sed coordinatione &*
collectione.
2. *Deinde id cujusque rei forma est, per quod*
unumquodque differt ab alio : At per ordinatam hanc
unitatum collectionem quilibet numerus differt ab alio : Ergo eadem est forma numeri.

Objectio. *Infers Vnusquisque*
numerus differt ab alio per ultimam suam unitatem
Arist. lib. ή. Metaph. c. 3. *Ergo non per collectionem unitatum.*

Resp. *Respondemus : si numerus differt*
ab alio per ultimam unitatem, fit illud, vel quatenus
unitas est, vel quatenus terminus est, adeoque claudit
illam multitudinem & collectionem. Prius haud ita
facilè affirmaveris, cùm hoc modo nihil differat ab aliis. Dicas ergo posterius, & nobiscum facies, licet in
verbis appareat dissensio. Tu enim sumis formam ratione termini, quomodo ultimam unitatem per quandam analogiam numeri formam appellari posse non
ita refragamur : Nos verò formam accipimus pro ratione quiditatis, quo modo unitas ultima formalis
Numeri ratio constitui nullo modo potest ; cum numero totam suam essentiam minimè largiatur, sed
partem duntaxat ; quod tamen à formâ requiritur,
cum, ut habet axioma, forma vel sit tota quiditas,
vel, si hic terminus tibi non placet, potissima quiditatis ratio, quæ in numero est ipsa ordinata unitatum
collectio.

Theorema V.

Numerus non est entitas quædam positiva, à rebus numeratis distincta.

Formale Numeri, quod est ordinata unitatum collectio, *vidimus: quæritur nunc*: an illa formalitas sive formalis unitas rebus numeratis aliquid superaddat positivi? *Vt quæstionis hujus veritas eò facilius patescat, notandum est: res numeratas vel numerabiles duplicis esse generis: Aliæ enim sunt, quæ numerantur per se; aliæ verò, quæ per accidens. Per se numerantur quantitates singulares continuæ: siquidem illarum unitas est principium numeri, ut manifestum est ex præcedentibus: reliquæ autem per accidens. Si itaq; numerum conferimus cum rebus propriè & per se numerabilibus & numeratis, nihil illis reale superaddit, quod liquet hâc ratione. Si enim singulæ unitates nihil superaddunt reale, singulis quantitatibus singularibus continuis, neq; totus numerus aliquid reale superaddet omnibus quantitatibus continuis simul sumptis: Atqui antecedens est verum: Ergo. Connexio probatur: principiatum enim se accommodat ad naturam principiorum. Assumtio confirmatur eo, quòd de uno in genere demonstratum est, nempe quòd enti nihil superaddat positivi Vnum. Cùm itaq; numerus sit species unius & totius, sequitur, quod illis, quæ numero unum dicuntur, nihil reale vel positivum superaddat. Si verò numerum conferimus cum rebus impropriè & per accidens, numerabilibus, ultrò largimur numerum*

Quæstio.

Res numerabiles duplicis generis.

dicere

dicere diſtinctum aliquod Ens ab ipſarum natu-
Nam cum res illæ ex ſubſtantiâ ſint vel ex reliqu-
Categorijs: Numerus autem peculiarem quoq; Cate-
goriam nempe quantitatis ingrediatur, fit, ut Nume-
rus rem omninò diverſam ab iſtis inferat.

Theorema VI.

Numerus non ineſt rebus à materiæ concretione liberis.

Cum dictum ſit Numerum ex Vnitatibus ſive
quantitatibus continuis ſingularibus colligi, eumq; in
Dubium. Categoriâ Quantitatis eſſe, oritur dubium: an etiam
angelis competat numerus. Et videtur affir-
mativa probabilis 1. quia dantur multi angeli unita-
te numerabiles. 2. multitudini & collectioni angelo-
rum competit affectio numeri à nobis definiti. Quem-
admodum enim dicere poſſum de ternario quantita-
tivo, illum eſſe primum numerum imparem: de ſena-
rio, eum eſſe perfectum: de novenario, eum eſſe nume-
rum quadratum. &c. ita pari ratione illud de terna-
rio angelorum &c. affirmari poterit, & verè etiam
affirmatur. Quomodocunq; enim ternarium ſumas,
Solutio. ſemper primus fuerit ex numeris imparibus. Verum-
enimvero, utut etiam ſeſe hæ rationes habeant,
theorematis noſtri negationem veriſſimam eſſe ſta-
tuimus. Nam quæcunq; non ſunt quanta quantitate
reali, in eâ non cadit numerus: Atqui ſubſtantiæ ab-
ſtractæ non ſunt quantæ quantitate reali: Ergò in
eas non cadit numerus. Major conſtat ex Ariſtotele:
Nam 3. Phyſ. c. 6. & 7. ait: numerum provenire
ex quanti continui diviſione: lib. 2. de anim. c. 6.
& lib.

& lib. 3. de an c. 1. *numerum ad sensibilia communia refert*: lib. Jota Metaph. c. 1. *Unum, quod est principium numeri propriè in quantitate esse asserit: hujus autem beneficio reliquis etiam Categoriis competere. Minor per se est manifesta. Nam ubi non est materia, ibi non est quantitas: Atqui angeli carent materiâ: Ergò quantitate carent. In primâ itaq; ratione, contrariam partem defendente, committitur fallacia triplex.* Primum enim peccatur *fallacia secundùm non caussam ut caussam*: deinde *à dicto secundùm quid: & tandem ignoratione Elenchi. Nam non quævis multitudo, uno mensurabilis, constituit numerum propriè ita dictum: sed ea tantùm, quæ est rerum quantarum, quales angelos non esse, ex se manifestum est. Hinc intelligitur, quomodo reliquæ fallaciæ sub hoc argumento latitent. Axioma enim illud, quod universaliter verum esse credebatur, non nisi particulariter admittitur. Ad posteriorem rationem dicimus, quòd quemadmodum aliis rebus per analogiam numerus attribuitur, verbi gratiâ, qualitatibus: ut quando calor hujus vel illius herbæ, dicitur esse in primo, in secundo, in tertio gradu &c: ita etiam angeli eo numerentur. Ut autem aliquid alicui inest; ita etiam illi ipsi affectiones attribuuntur. Quia itaq; Numerus κατ᾽ ἀναλογίαν adsignatur angelis: Ergo & eo ipso modo, ἀναλογικῶς nimirum, eis ascribendæ sunt affectiones numeri.* Responsio ad rationes dubii.

Theorema VII.

Nullus numerus numero unum quid est.

Coro-

Coronidis loco hanc quæstionem subjiciemus: an
Quæstio. numerus numerò sit unum nec ne? *In negativam partem inclinat Theorema. Nam omne Vnum unitate numerali est continuum: quia, ut ex præcedentibus patet, unitas numeralis cum quantitate continua singulari convertitur, nec ipsi aliquid, præter divisionis negationem, superaddit. Nullus numerus est continuus, Ergo nullus numerus est unus unitate numerali. Deinde, quod realiter est multa non est unum numero: quia unum & multa opponuntur,* Arist. lib, Jota Metaph. c. 3. & 6. Item lib. 7. Metaph. c. 1. *sed numerus est realiter multa.* Arist. lib. 6. Metaph. c. 4. li. Jota eor. c. 1. & 6. item
Objectio. lib. μ. eor. c. 9. Ergo. *Objicis: 1. sicut genus non*
1. *est absque suis speciebus: ita nec species absque suis individuis: Sed numerus habet species: Ergo etiam habet Individua: At Individuum est unum numero: Er-*
2. *go & numerus est unum numero,* Deinde *quicquid in plura ejusdem rationis est indivisibile; illud est unum numero: quilibet numerus in plura ejusdem rationis est indivisibilis: Ergò quilibet numerus est unum numero. Major probatur: Individuum enim non ideo dicitur, quòd omninò sit indivisibile, sed quod in plura ejusdem rationis non sit divisibile. Minor confirmatur: Licet numerus in partes suas integrantes, vel (si nomine abuti malis) essentiales, sit divisibilis: partium tamen quælibet ita se habet, ut minor sit toto, nec eandem cum toto obtineat naturam. Binarius, verbi gratiâ, non dividitur in plures binarios; sed in duas unitates. Vltimò sicut se habet cœlum, & hoc cœlum; ita se habet numerus & hic numerus. Sed hoc*

cœlum

cœlum significat Individuum : Ergo & hic numerus Individuum significat. His rationibus ut satisfiat, observandum est discrimen inter esse Individuum, & esse unum numero. Non enim idem planè sunt. Individuum namq; latius patere videtur, quàm unum numero : siquidem quælibet essentia tàm generica, quàm specifica Individuum constituit : quia quælibet illarum est una, & per hoc indivisa, atq; propterea individua : non autem idcirco una numero. Est enim multa numero : Deinde & hoc negligendum non est, unum numero & latè & strictè usurpari posse. Quando latè sumitur, attribuitur etiam illis, quæ unum sunt unitate transcendentali : quo modo substantiæ & aliæ res universales & similia unum numero dici possunt. Sed hoc strictior Vnius-numero acceptio non fert. Dum enim strictè sumitur, non nisi quantitates singulares continuas, quæ, quatenus in ratione suâ sunt indivisæ atq; unæ, numeri principia constituunt, amplectitur : quales nec substantias, nec alias res esse liquidò apparet. Primi itaq; argumenti prosyllogismum facilè concedimus, negantes interim Individuum idem esse, quod unum numero : ut patet ex jam dictis. Imò si individuum in strictissimâ sumas significatione, tum non nisi substantiis competit : ut patet ex disputatione de principio Individuifico. Hoc quoque discrimine observato per se corruit vis secundi & tertij argumenti : Atque hactenus de Toto numerali.

Responsio.

Vnum numero.

EX

EXERCITATIO UNDECIMA.

DE FINITO ET INFINITO.

Typus hujus Exercitationis.

(I) Modos habet Vnum vel (th.1.)
- Ex se. Hi sunt vel
  - Determinationis. Hoc modo dicitur Vnum vel
    - Infinitum. th. 1.
    - Finitum th. 2. & 3. Quod vel prædicatum est Essentiâ
      - Infinitâ
      - Finitâ
  - Perfectionis: quo modo Ens perfectum dicitur. (K.)
- Per oppositionem multitudinis. (L.)

Theorema I.

Finitum est, quod unitate transcendentali determinatum est.

Ordinis ratio. Supra Exercitatione sextâ theor. 5. dictum est: Unum considerari vel in suis speciebus sive divisionibus, vel in suis modis. Species vidimus, sequuntur modi. Modos hos vel habet unum ex se, vel per oppositionem multitudinis.

Modi, quos Unum ex se habet, sunt vel determinationis, vel perfectionis.

Modis determinationis dicitur Unum & per consequens Ens, vel Finitum, vel infinitum.

Vt itaq; de Finito & Infinito *prius agamus, manifestum est, Finitum unitatis modum esse & affectionem. Nam omnis unitas finit rem, unde ea finita dicitur, & nos* Finitum *finimus*, quod unitate transcendentali determinatum est. *Ex quâ descriptione fluit axioma & principium Metaphysicum:* Quicquid discedit ab unitate, discedit aut ad infinitum, aut ad nihilum. *Et Plotinus docet* En. 6. lib. 9. c. 1. *& ante eum Aristoteles* lib. γ. Metaph. t. 10. Quod non est unum, nihil est. *Asclepius* quoq; in lib: ad Ammonē regem *ait:* Omne ab uno solvens, perit. *Sic Dionysius* de divin. nom: cap. 13. Nihil existentium *est, inquit,* non participans uno. Sed sicut omnis numerus vnitate participat, & vnus binarius & denarius dicitur: & dimidium unum: & tertium: & decimum unum: ita omnia & omnium pars uno participant: & per id, quod est unum, omnia sunt existentia *&c. Vide ipsum Dionysium & Thomi Comment. supra hunc locum. Quia igitur Finitum est, quod vnitate transcendentali determinatur: quilibet intelligit, quid sit Infinitum, huic Finito oppositum, nempe quod illâ determinatione caret.*

Definitio finiti.

Repetenda hic est divisio Vnius in Transcendentale & Arithmeticum. *Vt enim duplex est unitas; ita etiam duplex modus finiendi: alter qui descendit ab unitate transcendentali; alter, qui ab unitate Arithmeticâ est. Loquimur itaq; hic non de modo finiendi, qui ab unitate numericâ fluit; sed qui ab unitate transcendentali originem trahit. Si enim positum axioma de unitate Arithmeticâ intelligas, nihil*

Divisio unius.

erit eò ineptius & falsius: quandoquidem omnes nu-
meri, sive sit binarius, sive ternarius, sive centenarius,
sive millenarius &c. ab unitate Arithmeticâ fluit.
Quis autem propterea dicet duo, tria, centũ, mille &c.
esse unum, unitate nimirum Arithmeticâ? sin verò in-
telligas de unitate transcendentali, tum eo verius ni-
hil est, neq; ei quicquam opponi potest. *Omnis enim*
numerus, quotus & quantus etiam ille sit, nisi hâc uni-
tate quasi in fasciculum colligatur, in infinitum dif-
fluit, verbi gratiâ, denarius unitatem Arithmeticam
decies repetit, à quâ unitate denarius dici nequit; alias
decem unum essent, & unum esset decem; sed ab unita-
te transcendentali ad Entitatem *suam & denomina-*
Infinitum. *tionem contrahitur, quæ si non daretur, in infinitum*
usq; extenderetur, cujus neq; cognitio sive intellectus
neq; actualis existentia est. Arist. lib. 3. Phys. c. 6.
pag. 217. item lib. Metaph. ά. ἐλάττ. c. 2. & lib. 1.
post. anal. c. 3. §. 2. *Hinc axioma:* Infinitum ab-
horret & exhorret natura. *Nulla enim res nu-*
mero datur actu infinita; sed potestate tantùm; ni-
mirum prout nullus numerus tam magnus est, quin
adhuc unitate augeri possit. Hinc Philosophus ἄπειρον
lib. 3. Phys. c. 6. p. 217. A. finit, οὗ κατὰ τὸ ποσὸν
λαμβάνουσιν αἰεί τι λαβεῖν ἔξω ἐστί. *Quocirca*
quando res unitate transcendentali non contrahitur,
ad infinitum abit, adeoq; ad falsum & non-Ens: quia
non-Ens infinitum est. Indeterminatum enim & qua-
si impenetrabile monstrum intellectui objicit, non ali-
ter ac infinita, indeterminataq; & æterna caliginis &
tenebrarum vorago opposita luci splendidissimæ sine
fine abyssum. Tale infinitum puræ simpliciq; imperfe-
ctionis

ctionis esse rectè dicitur. Quocirca & ipse Deus hoc modo finitus finitur, quia non infinitus est multitudine, sed unus unitate simplicissimâ & perfectissimâ.

Quomodo Deus dicitur finitus.

Theorema II.

Finitum unitate transcendentali est vel essentiâ finitâ præditum, vel essentiâ infinitâ.

Divisio hæc ex præcedentibus pendet, & coincidit cum illa, qua aliàs solet dividi Ens in finitũ & infinitum, *quæ æquipollet huic, quâ* Ens *distribuimus in* Deum & creaturas. *Quia enim (ut utar verbis Suarez* disp. Met. 28. sect. 1. dist. 3.) *nõ possumus ea, quæ sunt Dei propria, prout in se sunt, cõcipere, imò nec per positivos conceptus simplices ac proprios Dei: ideo negativis utimur, dicimusq́; quòd sit non finitus, sive quod idem est, infinitus, ut illud excellẽtissimũ Ens, quod maximè à cæteris distat, ab eis separemus & distinguamus.*

Finitum

Finitũ itaq; est, cujus essentiæ perfectio certis quasi finibus & limitibus cõtinetur, & circumscribitur. *Atque, uti jã diximus, Finitũ hoc cum creaturâ convertitur. Unde principia sive axiomata Metaphysica.* 1. Omnis res creata est simplici necessitate finita, *hoc est, non potest non esse finita.* 2. Nullum Ens finitũ à se est, sed ab alio dependet, *nempe à creatore creante, finiẽte, & conservante.* 3. In omni finito est aliquid, quod est in actu, & aliquid, quod est in potentiâ. Scalig. Exerc. 359. sect. 12. *quia nullum finitum & creatum purus actus esse potest, collatum ad simplicissimam Dei essentiam, ut in præcedente Exercit. dictum est.*

Infiniti distinctiones.

1.

Vt autem rectè intelligatur oppositio Finiti & Infiniti: hujus, nempe infiniti, ambiguitas tollenda est sequentibus distinctionibus: Infinitum esse, aut dicitur de non Ente, aut dicitur de Ente. Quomodo non-Ens sit infinitum, intelligitur ex praecedentis theorematis ἀναλύσει: nempe quando opponitur finito transcendentali; quod unitate transcendentali determinatur; quomodo Deum infinitum negamus, & finitum asserimus: quia unus est non tantùm transcendentali modo, sed etiam numero: termino isto non strictè in praedicamento quantitatis sumpto: sed latè. Nam licet quidem nominis impositionem respiciamus, & numerus & vnitas de quantitate primariò dicatur, quod Philosophus affirmat lib. 1. Metaph. c. 1. & 2. *postea tamen eadem vocabula tracta sunt ad quasvis Categorias, ut ibidem quoq; concedit Philosophus.*

Ens infinitum dicitur aut potentiâ aut actu.

Infinitum quando dicitur de Ente, tum Ens infinitum est aut potentiâ aut actu. In potentia infinita dicitur, vel substantia imperfecta, nempe materia prima; vel quantitas. Materia prima dicitur infinita, quia est indeterminata, & non restricta ad certam formam. Infinitum hoc alij vocant infinitum privationis. In quantitate asseritur infinitum esse, quatenus Ens ratione quantitatis augeri, diminuive potest; atq; hoc vel secundùm quantitatem continuam; vel secundùm quantitatem discretam. In utraq; augmentatio fieri potest non actu sed potentia in infinitum. In quantitate continua tripliciter vel secundùm longitudinem, vel secundùm latitudinem, vel secundùm profunditatem. Secundùm longitudinem iterum dupliciter: vel ab utraq; parte simul, ut si detur linea ab utraq; par-

te-

te indeterminata: vel ab altera parte tantùm; ut si detur linea ad oculum nostrum determinata & in infinitum extensa. Eodem modo se res habet in posterioribus quantitatis continuæ speciebus. Hæc autem de potentia intelligenda esse & non de actu diximus. Nulla enim linea tam longa est, quin illi aliquid possit addi; neq; ulla superficies tam ampla fingitur; cui non tam longitudinis, quàm latitudinis ratione; neq; ullum corpus, cui non omnium dimensionum respectu, aliquid addi queat. Quantitas itaq; omnis continua potentia infinita quidem est, actu verò minimè. Nam si quantitas continua esset actu infinita, tum corpus daretur infinitum; cum omnis quantitatis continuæ dimensiones sint in corpore: Sed corpus actu infinitum dari ἀδύνατον est. Esset enim illud corpus vel unicum & infinitum, vel essent multa corpora infinita. Multa infinita corpora nullo modo actu esse possunt. Nam si sunt: tum se mutuò vel tangunt; vel non tangunt. Si se mutuò tangunt; tum necessariò eâ parte, quâ se tangunt, finiuntur: alterum enim ad alterum terminatur. Si se non tangunt, eo ipso etiam finita erunt: datur enim corpus unum, ubi non datur alterum, & per consequens dantur diversorum illorum corporum diversa loca: Locus autem est terminus & locati finis. Datis itaq; locis, terminis, & finibus diversis, diversa quoq; dantur locata, terminata, finita. Forsan erit unum & Individuum corpus actu infinitum. Neq; id datur. Testatur enim sensus, non unum, sed multa esse corpora, eaq; omnia finita. Deinde: Omne corpus determinatur: Ergo & unum illud,

Corpus infinitum non datur actu.

quod infinitum est, determinabitur. Antecedens pro-
batur: nam in omni quantitate dari potest punctum,
ad quod dividatur linea; vel linea, ad quam dividatur
superficies. Punctum autem illud, vel linea, finit &
determinat: Ergo & illud corpus, vel illa quantitas,
quæ infinita fingitur, tali modo determinatur & fi-
nitur: Ergo determinata & finita est: nulloq; modo in-
finita. Constat itaq; nullam quantitatem continuam,
& nullum corpus actu in natura esse infinitum. Po-
tentiâ verò esse monstratu haud est difficile. Nam
nulla datur quantitas tam magna, quâ non possit
major concipi mente & intellectu. Deinde divisione
quoq; (quòd etiam de potentiâ intelligatur) omnis con-
Minimum. tinua quantitas infinita est. In nullâ enim divisione
inveniri potest minimum. Nam minimum illud, aut
erit quantum, aut non quantum. Si non quantum,
non est minimum: Minimum enim esse est affectio
quantitatis. Forsan est ἄτομον & punctum? Id non
datur, & propterea quantitatem neq; diminuere neq;
augere potest. Conjungas tu centum millia puncto-
rum, quæ partibus careant, (quemadmodum punctum
finitur, cujus quantitas nulla, atq; consequenter cujus
partes nullæ sunt) nulla tibi inde consurget quanti-
tas neq; maxima neq; minima. Si quantum statuas
minimum; tum minimum esse nequit. Nam omne
quantum est in suas partes divisibile: partes autem
sunt minores toto: Ergo id à te positum quantum mi-
nimum, minimum esse nequit. Fieri itaq; non po-
test, ut eò usq; dividamus, quo ad minimum pervenia-
mus.

Si con-

Si contrà augmentum respicias, eadem est ratio in numero sive discretâ quantitate. Nullus enim est vel mente potest concipi numerus, qui non unitate augeri possit. Atque hoc est infinitum in potentiâ, quod definit Philosophus lib. 3. Phys. c. 6. pag. 217. A. *his verbis:* ἄπειρον τοῦτ' ἔστιν οὗ κατὰ τὸ ποσὸν λαμβάνουσιν, αἰεί τι λαβεῖν ἔξω ἐστίν. οὗ δὲ μηθὲν ἔξω, τοῦτ' ἔστι τέλειον καὶ ὅλον. Infinitum id est, cujus semper aliquid extra, ratione quantitatis, accipi potest: cujus verò nihil est extra, id est perfectum ac totum.

Infinitum, in potentiâ.

Infinitum in actu est vel infinitum duratione, vel virtute. Duratione infinitum duplex est: vel ab omni parte, vel ab unà posteriore parte tantùm. Ab omni parte *solus Deus infinitus dicitur. Hujus enim infinitas cum æternitate convertitur: Solus autem DEVS æternus est: Solus enim est, ut loquitur* Plato, αὐτοφυὴς, *& ut* Scaliger αὐταυτὸς, *&, ut Damascenus,* οὐσία ὑπερούσιος, θεότης ὑπέρθεος, ἀρχὴ ὑπεράρχιος. *Ergo à nullo cæpit & nunquam cæpit: Ergo & initij & finis respectu infinitus est.* Duratione infinitum à parte posteriore tantùm *dicitur angelus, item anima nostra: quæ nunquam quidem sunt desitura, esse tamen cæperunt.*

Infinitum in actu.

Infinitũ tandem secundùm virtutẽ duplex faciunt Scholastici: vel respectu vigoris, *verbi gratiâ, si aliquis calor, ut loquũtur, infinitè esset extẽsus, tunc iste diceretur potẽtia calefactiva in infinitũ:*

Vel ratione perfectionis, *quòd habeat in se omnem perfectionem essentialiter. Tali iterum modo infinitus dicitur Solus Deus. Is enim Solus omni perfectione essentiali est præditus; cùm sibi ipsi sit perfectio, nullis limitibus vel essentiæ vel potentiæ finita, vel terminata. Atq; hoc infinitum in Theoremate opposuimus finito. Quot modis finitum sumatur, ex Infiniti distinctionibus intelligitur.*

Theorema III.

Vnum est infinitum, idq; Solus DEUS.

Deum esse solum infinitum.

Duo habet Theorema hoc. Vnum est: Infinitum esse unicum. *Alterum:* id solum DEUM esse. *Posterius assertum est in fine præcedentis Theorematis. Nam quod æternum, id infinitum est. Quod enim à nullo, sed à se existit; id per se existit: id summè & absolutè in se perfectum & absolutum est: illi nihil detrahi potest: sed* DEUS *à semetipso existit. Est enim primus. Ergo. Cui verò nihil per naturam additur, nihil detrahitur, id infinitum sit necesse est: Cum omni finito per naturam ita aliquid addi possit, ut sui augmentationem sentiat: sic etiam admi aliquid, ut diminutionem & mutationem experiatur. Hoc intellexisse* Platonem *&* Aristotelem *testatur* Eugubinus lib. 4. de Peren. Philosophiâ c. 1. & 2. Ficinus quoq; lib. 2. de Immort. animæ c. 6. Decere, *inquit*, Platonici putant, infinitum bonum per immensum exuberando ita sese integrum fundere, ut nullam vel imaginariam universi particulam, sive in mundo sit,

do sit, sive cogitetur extra mundum, relinquat suâ præsentiâ destitutum.

Quod ad prius membrum attinet; unicum tantùm dari infinitum, *probatur: si enim plura dantur infinita, plura sunt æterna, plura prima: & sic nihil æternum, nihil infinitum. Recta igitur ratio nullo potest modo Infinitorum concedere multitudinem, ut non simpliciter primi pluralitatem. Imago hujus est in numero. Id enim, quod in numero simpliciter primum, unitate quoq; simpliciter definitur. Binarius enim efficitur, si unitati adhuc addatur unitas. Si autem plura dantur infinita; illa sunt vel æqualia, vel inæqualia: si æqualia, rerum ordo perturbabitur: quandoquidem ex æqualibus principiis alterum non poßit referri ad alterum. Vnde plures rerum ordines omninò inter se distincti, carentesq; omni connexione. Esset enim quodlibet Infinitum seipso, ut ab eo omnia alia sua Entia prodirent. Adde, si æqualia plura ista infinita; tùm in aliquo, aut in nullo convenirent. Si in aliquo: simplicitate priventur, necesse est; ut queant quâdam inter se conjungi cognatione, secundùm quam mensurari poßint. Æqualitas enim est certa ratio mensuræ.* Scalig. Exerc. 359. sect. 3. *At infiniti mensura nulla: subsumit ibidem Scaliger. Ergo, concludimus nos, Infinitorum nulla datur æqualitas: nulla cognatio. Ergo non multa infinita; sed unum infinitum. At ponamus convenire in aliquo Infinita; Convenient igitur vel dignitate vel perfectione: Ergo se mutuò impediunt in agendo, & nolens volenti impedimentum imponit, quo minus agere poßit. Atque tum non erit infinitum*

Vnicum dari infinitum.

hoc modo, cui resistatur. Non enim est omnipotens.
Aut si non potest impediri, etiam non infinitum est,
quod impedimentum quærit: Cum suum agendi de-
siderium explere non possit. Imò si alterum ab altero
non possit impediri, perpetua inter illa erit discordia,
quæ inter infinita paria, pari potentiâ valentia, non
possit dirimi, cum non detur, quod mutare velit pro-
positum, nisi forsan fortuitò accidat. Atqui fortuna
inter infinita non datur: siquidem caussa est per ac-
cidens, quæ semper præsupponit caussam per se agen-
tem, finitam; & quod fortuitò agit non semper asse-
quitur finem. Vnde Ens illud, fortuitò agens, cum fu-
turi cognitionem vel non habeat, vel saltem malum
futurum impedire non possit, finitum est: cum quod-
libet infinitum, Eventum finitum novit, fortiterque to-
tis viribus insistens agit, ne interitus intercidat. Sin
verò infinita in nullo conveniant, unumquodque simul
est perfectissimum & imperfectissimum. Perfectis-
simum, quia in proprio ordine est primum: imperfe-
ctissimum, quia omni perfectione caret alterius, quod
est perfectissimum. Atque propterea quoque inæqualia
non sunt. Dignitate enim & perfectione quod imbe-
cille, non infinitum; sed finitum est, cum vis ejus de-
terminetur: neque plenam habet existendi rationem:
supplex igitur cogitur esse potentiori, unde deficit.
Non ergo infinitum, non primum: sed ab alio deter-
minatum, dependens, imò factum. Concludimus itaque
cum Scaligero *loco allegato, duo infinita nequaquam*
esse, neque in naturâ, neque extra naturam. Essent enim
duo principia prima. Hic etiam agi posset de Uno
simplici & composito : *verùm quia doctrina hæc*
coin-

coincidit cum eâ, quâ Ens in complexum & incomplexum, dividitur, atq; de illâ sufficienter supra Exerc. 3. theor. 3. est actum, ταυτολογικῶς eam hoc loco repetere nolumus.

EXERCITATIO DUODECIMA.

DE PERFECTO ET IMPERfecto: item completo & incompleto.

Typus hujus Exercitationis.

(K) Modis perfectionis Unum & consequenter Ens dicitur (th. 1.)
- Vel
  - Perfectum. Hoc sumitur vel
    - Generaliter quod vel th. 2.
      - Absolutum.
      - Secundum quid.
    - Specialiter. Hujus perfectio vel est. (th. 3.)
      - Interna: quæ consistit vel in
        - Quantitate. th. 3. 4.
        - Virtute sive facultate operandi. th. 3. 5.
      - Externa: quæ ex fine est. th. 3. & 6. Adduntur & alij modi. th. 7.
  - Imperfectũ.
- Vel (th. 8.)
  - Completũ.
  - Incompletũ.

Theorema I.

Perfectum in genere est, cui nihil deest ad suam, quæ ei debebatur, integritatem.

Sequuntur nunc modi perfectionis, quibus Unum, & consequenter Ens, dicitur vel perfectum, aut imperfectum: vel completum; aut Incompletum.

Perfe-

Perfectum dupliciter ſumitur generali-
ter & ſpecialiter.

Perfectum dupliciter accipitur.

In genere definitum eſt id, cui nihil deeſt
ad ſuam, quæ ei debebatur, integritatem; *Vel
ut* Averroës *loquitur* lib. 5. Metaph. cont. 21.
pag. 163. D. *Perfectum eſt, in quo nihil invenitur,
per quod dicatur imperfectum. Verba Averrois ita
habent* : Perfecta ſunt illa, quorum nihil in-
venitur in eis, per quod dicuntur imperfecta
in eis. *In generali hâc & tranſcendentali definitio-
ne* perfectum *quando ſumitur, tum & ipſæ ſub-
ſtantiæ perfectæ dici poſſunt, quandoquidem & in illis
nihil invenitur, per quod dicantur imperfectæ, nihilq;
eis deeſt ad ſuam, quæ eis, debebatur, integritatem. A-
liàs modo ſpecialiore ſubſtantiæ, prout ſubſtantiæ
ſunt, perfectæ non dicuntur : & ſanè ſubſtantiæ ſe-
paratæ, formæq; illæ abſolutæ neq; perfectæ, neq; im-
perfectæ eſſe videntur, propterea quòd ſint indiviſibi-
les, adeoq; aut omninò ſint, aut omninò non. Secun-
dùm vulgarem tamen loquendi uſum & per modum
tranſcendentalem generalem omne illud perfectum
dicitur, quod in ſummo ſuo gradu eſt, ſive poſſit mi-
nui, ſive non poßit. Hoc modo etiam eſſentiam divi-
nam perfectam imò perfectißimam dicere ſolemus,
non quòd illi aliquid adimi poßit, quòd vel cogitare
nefas & impium eſt; ſed quia id non poßit, atq; in
collatione aliarum ſubſtantiarum ſola ſit eſſentia ra-
tione digna. Sic animam hominis Ens completum &
perfectum celebramus, non quòd reſpectu actus ſe-
primi poßit eſſe imperfecta & à ſe deficere; quan-
quidem aut tota eſt, aut non eſt : ſed reſpectu alio-
rum*

Subſtantiæ non dicuntur perfectæ.

rum animarum; quæ neq; substantiæ sunt per se subsistentes, neq; tales potentias habent, sed sunt vel κρᾶσεις, *uti nonnulli opinantur; vel simile quicquam. Atq; hoc perfectum, quod substantias includit, illud esse videtur, quod* Averroës 5. Metaph. comm. 21. pag. 162. F. *definit id, cujus esse non deficit, sicut esse necessarium.*

Theorema II.

Perfectio absoluta est, quæ in uno quoq; melior est ipsa quàm non ipsa. Perfectio secundùm quid est perfectio suæ naturæ debita, licet imperfectioni admista.

Perfectio sive perfectum generaliter sumptum est vel absolutum, vel secundum quid: sive in suo genere perfectum. Thom, 5. Met. lect. 16. 1. p. q. 28. a. 3. Gajetanus de Ente & ess. q. 12. Fland. 5. Metaph. q. 17. a. 1. *Definitio verò perfecti absoluti est.* Thomæ de Vio Cajet. *vel potius* Anselhini (*Monologio 15.*) *nempe quod summam perfectionem habent. Hoc modo propriè perfectus dicitur solus* DEUS, *quem* Dionisius de divin. num. c. 13. *etiam ultra omnem perfectionem elevavit; de quo dixit* Hermes Dial. 5. Omnia in te, ô Ens, omnia ex te: omnia das, & nihil accipis: omnia habes, & nihil, quod non habes. Tu enim omnia es, nec quicquam aliud, quod non sis tu. *Quem* Jamblichus de Myst. Ægypt.

Perfectum absolutũ.

Deus solus perfectus.

Ægypt. *omnis intelligibilis radicem & superenninentiam nominavit.* Secundùm quid sive in suo genere sive in respectu ad alia perfectum est, *quod habet perfectionem suæ naturæ debitam. Atque ita perfecta est in collatione ad Deum omnis res creata & Deo subjecta.* Ita Aristoteles lib. 1. de cœlo 3. *illud corpus perfectum dicit, quod omnibus præditum est dimensionibus: Sic* Plato in Timæo *mundum celebrat perfectißimum, non quidem, quia DEUS perfectiorem creare non poßit: sed quia perfectione debitâ præditus est. Alias etiam res creatæ absolutè perfectæ dici possunt, quando extra collationem ad Deum sumuntur. Sic in quantitate totus mundus tantùm est perfectus, cum omnem in se continent quantitatem* Arist. lib. 1. de cœl. t. 3.

Perfectum κατά τι.

Theorema III.

Perfectum quantitate est, quod habet sibi debitam quantitatem. Perfectum virtute & facultate operandi est, quod rectè & expeditè suis fungitur operibus: Perfectum fine dicitur, quod fine suo fruitur.

Perfectum specialiter sumptum.

Perfectio, specialiter sumpta, est vel interna, vel externa.

Interna perfectio consistit vel in quantitate, vel in virtute sive facultate operandi.

Externa

Externa perfectio ex fine est. Videatur Aristoteles lib. δ. Metaph. c. 16. cont. 21. & ejus comm. ibid. & 1. Epit. Metaph.

Perfectum quantitate *dicimus, quod habet sibi debitam quantitatem; Vel, ut aliâs definitur, cui nulla particula debitæ quantitatis deest. Quòd autem in quantitate sit perfectio, facilè ostenditur. Nam tam inanimatis, quàm animatis certa debetur quantitas. Hæc requirunt certam quantitatem propterea, quod illorum corporum partes sint instrumenta, quæ certam exposcunt quantitatem, ut ad operandum sint idonea.* lib. 1. Phys. text. 36. lib. 2. de an. text. 41. lib. 4. de gen. an. cap. 4. lib. 7. polit. cap. 4. *Inanimata licet non adeo exactè, tamen non extrinsecus duntaxat, ut est opinio* Scoti 2. d. 2. q. 9. *sed etiam in suâ naturâ determinata sunt ad Maximum & ad minimum. Hoc sensu* Averroës supra text. 21. lib. δ. Metaph pag. 163. d. A. *corpus dicit perfectum, non lineam, non superficiem: quia corpus habet omnes extensiones sivè dimensiones.* Videatur etiã Averr. li. 6. Phys. t. 91. li. 8. eor. t. 62. Itẽ Arist. li. 4. Eth. in c. de magn. *parvos homines non admodum pulcros esse scripsit, quia à perfectione quadam deficiunt: Vel, ut* Averroës *loco jam ex Metaphysicis allegato loquitur, illud corpus humanum perfectum est, quod habet quantitatem convenientem humanæ naturæ: vel ut* Fonsecæ *verba habent* lib. 1. Metaph. cap. 16. *cum nulla ei pars magnitudinis sive ad humanam staturam, sive ad figuram, proportionemq; membrorum deest. Deinde perfectum dicitur aliquid virtute (accepto nimirum virtutis voca-*

Perfectum quantitate.

Perfectum virtute. vocabulo in generali significatione pro virtute morali, intellectuali & vi naturali hoc est, pro ratione si benè habendi) si in genere aliquo aut specie à nulla re superetur. Hanc perfecti significationem distinguens à præcedente Philoponus dicit: Hominem esse imperfectum qui sine auribus existat, licet aliàs secundùm virtutem sive vim operandi sit perfectus: verbi gratiâ, Medicus, qui in suâ arte à nullo superatur; hoc est, qui plenam suæ artis habet scientiam & operandi facultatem. Virtute aliquid dici perfectum probat Philosophus à conjugatis. Nam, inquit ἡ ἀρετὴ τελείωσίς τις: ipsa virtus perfectio quædam est. Rectè igitur à virtute dicentur res perfectæ. Atque hic secundus perfecti modus ad res malas quoque per translationem accommodari posse Philosophus allegato loco probat à minore ad majus. Nam & bonum dicimus furem, inquit, & bonum calumniatorem; quod minus dicendum videtur: Ergo multò magis perfectum furem, perfectum calumniatorem dicere possumus.

Perfectum fine. Tandem perfectum externum dicitur aliquid finis consecutione, si nimirum finem obtineat: Quia enim multæ res ad finem referantur, tum dicuntur perfectæ, quando fine suo feruntur. Hoc modo perfectus dicitur Orator, qui id, quod intendit & vult, oratione persuaserit. Ita totam instrumenti naturam metimur non ex pretio vel dignitate materiæ; sed ex usu & accommodatione ad finem. Hæc quoque perfectio actionibus malis per translationem accommodari potest. Tum demum enim, inquit Philosophus, aliquid perfectè periisse & perfectè interiisse dicimus,

dicimus, cùm nihil deest mali & interitus; sed jam in extremo est. Hac de caussâ mors per translationem Finis dicitur, utrumq; enim est extremum. Quia verò finis non tantùm extremum est; sed potissimùm in eo consistit, ut aliquid sit aut fiat, Philosophus ibidem: *vel ut sit optimum* lib. 2. Phys. c. 2. G. *manifestum est, mortem non propriè, sed per translationem finem dici. Meritò itaq; Poëtam Euripidem risu dignum judicat in* Phys. loco allegato, *Philosophus, quòd de quodam defuncto scripserat, illum mortem esse consecutum, propter quam genitus esset. Propter mortem enim nemo nascitur, & mors quia optimum non est; sed, quòd sit naturæ destructio, pessimum, non appetitur. Cum omnis natura abhorreat à corruptione sui. Alio verò respectu mors dicitur Christianis sive renatis optima, nimirum, quatenus illa sit transitus ex hac miserrima & calamitosâ vitâ in regnum æternum, passione & morte Christi nobis acquisitum, de quo Aristoteles nihil scivit.*

Mors quomodo finis dicitur.

Sunt porrò hoc loco annotanda verba Philosophi: ἔτι *inquit,* οἷς ὑπάρχει τὸ τέλος σπουδαῖον, ταῦτα λέγεται τέλεια: quibus inest studiosus finis, ea dicuntur perfecta. *Quæ verba ita explicat* Fonseca: studiosus finis, *ait*, id est, finis studio & labore dignus. Nam etsi mali homines sibi proponunt fines indignos studio: non est tamen is simpliciter & absolutè finis humanæ actionis; sed pravi hominis. *Quo loco, pergit* Fonseca, *animadverti potest distinctio illa, non rarò usurpata apud Scholasticos, in finem operationis, & finem operantis, qui sæpe sunt diversi: quæ*

Finis vel artis vel artificis.

distinctio specialis item fieri solet in finem artis & finem artificis, hoc est, hominis habentis artem. Dico autem hominis, non artificis formaliter; quia artificis, ut artifex est, idem est finis, qui ipsius artis. Hæc ut eleganter & scitè à Fonseca sunt posita; ita à quovis diligenter sunt tenenda & observanda. Artifex enim, quatenus agit ut artifex, aliter agere non potest, quàm ut ab arte dirigitur. Ars autem non ad alienum, sed ad suum dirigit finem. Quare medicus & ars Medica, Logicus & ars Logica, eundem habent finem. Alius verò finis potest esse hominis, quando non agit prout artifex est: is autem finis ut artis non est, ita etiam artificis non est, sed hominis.

Quæstio. *Quæris*: quare ratione substantialis formæ nihil dicatur perfectum propriè? *Respondemus: In substantiâ, quatenus substantia est, nihil perfectum dici potest. Daretur enim in illa etiam imperfectum. Imperfecta autem substantia propriè loquendo dari nequit. Dicitur quidem materia, itemq; forma, substantia imperfecta; sed impropriè. Nam neq; materia, neq; forma, propriè substantia est; sed hæc cum illa substantiam constituit. Quando itaq; perfectio substantiæ attribuitur, id fit vel ratione quantitatis, vel qualitatis, ut testatur* Averroës; Perfectio, *inquit*, substantiæ provenit ex perfectione in magnitudine & in qualitate. lib. 5. Metaph. comm. 21. pag. 163. C.

Theorema IV.

Primus perfectionis modus, qui

qui quantitatis est, absolutè & simpliciter convenit mundo.

Perfectionis isti enumerati modi, & præcipuè primus & secundus, juxta sententiam Philosophi lib. 5. Metaph.c.16. *alicui conveniunt quodam modo absolutè & simpliciter: alicui in suo genere. Primus itaq; modus simpliciter & absolutè rebus mundanis accommodatur, cum extra mundum corporeum nihil existat quantum. Extra illum enim, ut probat Philosophus* lib. 1. de cœlo, *nulla est magnitudo, nullum tempus, nullus locus, nullum corpus. Si autem hunc perfectionis modum non consideres simpliciter, sed in certo genere* Entium; *intelligitur de eo, cui in illo genere nihil deest ad substantiæ corporeæ integritatem. Sic equus in suo genere perfectus dicitur, si nulla ei desit quantitas, naturæ equi congruens. Et corpus humanum perfectum dicitur, quod justam quantitatem & figuram habet: Corpus in genere sumptum perfectum dicitur illud, quod omnes dimensiones, longitudinem, latitudinem, & profunditatem possidet.*

Theorema V.

Secundus perfectionis modus, qui virtutis est absolutè & simpliciter convenit Deo.

Solus enim DEVS *nullâ virtute superari potest: Alias enim virtute finitâ esset præditus, quod etiam Philosophicè falsum. Nam si* DEVS — Deus est virtute infinitâ.

habet virtutem finitam, illam finivit sive determinavit vel ipse sibi, aut alius. Non ipse sibi: seipsum enim destrueret; ἀδύνατον *&* ἄτοπον. *Nec alius Dei vim agendi præfinivit: Deus enim est Ens primum à nullo dependens. Deinde, quicquid finitur, vel finitur intrinsecus ratione principiorum, quæ sunt materia & forma: vel extrinsecus ab agente sive efficiente. Priore modo finiuntur substantiæ corporeæ & composita. Posteriore, ut nonnulli statuunt, substantiæ simplices, spirituales intelligentiæ. Quæ tamen & ipsæ internum finiendi actum in se habent, ut superius demonstratum est. Neutro verò modo finitur* DEUS: *non priore, cum sit omnium simplicißimus, imò solus absolutè simplex. Non posteriore, quia est primum omnium efficiens. Ergo Deus habet virtutem non finitam, sed infinitam; quam agnovit Ovidius:*

Nil tam sublime est, supraq; pericula tendit,
Non sit ut inferius suppositumq; Deo.

Solus itaq; Deus absolutâ & indeterminatâ virtute est præditus, adeoq; solus virtute absolutâ perfectus, quippe qui juxta Iamblichum de Mysterijs Ægyptiorum, *est radix eorum, quæ primò intelliguntur & intelligunt, à quo omnis essentia, qui est per seipsum sufficiens, sui pater, per se princeps. &c.*

In certo genere perfectum virtute.

In certo verò genere virtutem perfectam habere dicuntur ea, quæ virtutem, bonitatemq; habent in suo genere, sibi debitam, neq; in eo ab ullo exceduntur; licet sint ita comparata, ut excedi & vinci poßint. Ita Musicus dicitur perfectus, qui in suâ arte à nemine superatur, ita perfectus

fectus celebratur Iohannes Baptista, inter natos à muliere: Et Christus inter homines simpliciter.

Accuratè hac occasione tenendum venit discrimen inter virtutem absolutè perfectam, & inter virtutem in certo genere perfectam. Hoc enim qui ignorat, eum necesse est in multis errare, multaq; quæ non intelligat, damnare. Verbi gratiâ, diximus ex 1. de cœlo, *nullum dari corpus extra mundum sive supremum cælum: subintellige naturaliter. Verum enim est, quod vis naturalis tanta non sit. Non autem licet inde inferre: Ergo neq; Deus id efficere potest. Certè qui ita colligit, impius est. Naturam enim Deo facit æqualem, & consequenter, vel naturam facit Deum; vel Deum naturam, adeoq; Deum negat. Quocirca quando Philosophi dicunt, aliquid non posse fieri, accuratè observandum est, an id intelligant de virtute determinatâ & in certo saltem genere perfectâ, verbi gratiâ, quando Philosophi tale proponunt axioma.* Ex nihilo nihil fit: *Quæritur, quale nam illud sit? respondetur Physicum. Ergo loquitur de virtute determinatâ nempe Physicâ, idemq; est, ac si dicas, Physicè & naturaliter ex nihilo nihil fit: quod longè verißimum est. Quicquid enim fit Physicè & naturaliter, id fit per generationem, quæ semper supponit materiam, ex quâ aliquid generatur: eodem modo se res habet in aliis, verbi gratiâ:* Vnum corpus non potest esse in multis locis. *Quale axioma? Certè Physicum: Ergo eius sensus est, quòd naturaliter unum corpus non posse esse in multis locis, hoc est, quòd vi naturali & Physica unum corpus in multis vel omnibus locis se sistere non poßit. Qui igitur subsumunt, sive sint Calviniani,*

Discrimen virtutis absolutè perfectæ, & in suo certo genere.

sive planè athei Philosophi: Ergo neq; virtute indeterminatâ & divinâ id fieri potest: non tantùm in Theologiâ; verùm etiam in saniore Philosophia impij & absurdi, propter rationes præmissas, sunt censendi. Confundunt enim virtutem determinatam cum indeterminatâ, & Deum cum naturâ; imo Deum ipsum tollunt.

Theorema VI.

Tertio perfectionis modo, qui ex finis consecutione est, soli beati sunt perfecti simpliciter.

Finis enim ille ut omnium optimus est; ita & perfectissimus, ut de eo pluribus in scholis Theologorum disseritur. Inter politicos illi perfecti celebrantur, qui summum bonum politicum sunt consecuti, de quo Philosophus lib. 1. & ultimo Eth. Nicom. *In hoc itaq; aut illo genere particularium finium perfecti dicuntur, qui ejusmodi fines possident. Atq; hæc de modis perfectionis per se & primò.*

Theorema VII.

Perfectum etiam dicitur, quod producit tale, quale est ipsum: deinde quod habet aliquid perfectè: tertiò quod imitatur aliquid perfectè: tandem quod repræsentat aliquid perfectè.

Aristoteles, *loco superius allegato, nempe* lib. 5. Metaphys. c. 16. *ne videatur aliquid prætermittere, tradit*

tradit extremo loco ea omnia, quæ perfecta vel esse vel dici possint. Quæ tamen nos ad perfectum externum, quod ex fine æstimatur, referimus: Nam omnia quatuor ista perfecta dicuntur, quia finem suum sunt consecuta. Primum *itaq; perfectum finimus, quod producit aliquid, quale est ipsum. Sic perfecta ars Musica perfectum producit Musicum, & statuarius dicitur perfectus, qui perfectam continet artem.* Alterum *perfectum dictum est, quod habet aliquid perfectè. Sic Sol perfectam habere dicitur lucem, & ignis perfectum calorem.* Tertium *quod perfectè aliquid imitatur. Vt perfectum dicimus discipulum, qui Magistrum perfectè imitatur & sequitur.* Quartum *quod aliquid repræsentat perfectè. Hoc modo perfecta dicitur imago, quæ perfecto exemplari congruit. Atq; hactenus de perfecto: unde quid imperfectum sit, & quot modis dicatur, facilè intelligitur.*

Theorema VIII.

Ens completum est Ens, quod nec est actu pars integralis, nec est actu neq; aptitudine pars essentialis. Ens incompletum est, quod est vel pars integralis actu, vel pars essentialis sive actu sive aptitudine.

Vt res in specie ratione quantitatis, virtutis & consecutionis finis, non verò ratione substantiæ dicitur perfecta & imperfecta: sic propriè Completum & Incompletum *aliquid dicitur neq; quantitate, neq;*

virtute, neq; fine: sed tantùm ratione substantiæ. Hinc completum dicimus id, quod neq; actu, est pars integralis, neq; actu nec aptitudine sive inclinatione est pars essentialis, vt homo, leo, bos &c.


Ad Ens incompletum *referunt* materiam primam, *quæ licet suam habeat essentiam; penè* οὐδενότης *tamen ejus quædam decantatur à Peripateticis:* Scal. Exerc. 17. *Sic forma naturalis substantia incompleta est, ut infra libro 2. pluribus significabitur. Imò ipsa anima rationalis, etsi à corpore remota suum esse habeat & existat: propriè tamen loquendo substantia sive Ens completum dici non potest: quandoquidem etiam tum retinet suam ad corpus dependentiam & inclinationem, per quam est & manet, non* ὂν ἁπλῶς*; sed* ὄντος ὂν *& principium sive forma hominis, desiderans iterum cum suo conjungi corpore, & in illo perfectam speciem, nempe Hominem, constituere. D. Gregorius Nyssenus* lib. *περὶ κατασκευῆς ἀνθρώπου* de opificio hominis cap. 27.

EXERCITATIO DECIMA TERTIA.

DE PRIORE ET POSTERIORE: ITEM MODIS simul.

Typus

Typus hujus Exercitationis.



Theorema 1.

Prius loco, sive secundùm ordinem

dinem in loco dicitur id, quod loco vicinius eſt: Prius tempore eſt, quod alio vetuſtius & antiquius dicitur: Secundùm motum illud eſt prius, quod vicinius eſt primo moventi: Secundùm ordinem in diſcretis id dicitur prius, quod principio iſtius ordinis eſt propinquius.

Ratio ordinis.

De modis, quos habet Unum ex ſe, egimus; ſequuntur cæteri, quos habet per oppoſitam multitudinem Modi, quos Unum habet per oppoſitā multitudinem, ſunt vel prius & poſterius; quibus opponi poteſt ſimul & idem, cui alio modo opponitur diverſum: Vel æquale cujus oppoſitum eſt inæquale: & ſimile cujus oppoſitum eſt diſsimile.

Priora ut & poſteriora ſumuntur vel à ratione Quantitatis: vel à ratione cognitionis & eſſendi.

Ratione Quantitatis prius eſt vel in Quantitate continuâ vel diſcretâ.

In continuâ quantitate prius aliquid dicitur vel ſecundùm locum, vel ſecundùm tempus & motum.

In Quantitate diſcretâ aliquid prius dicitur altero ſecundùm ordinem in diſcretis.

Quomodo singula hæc definiantur ex Theoremate intelligitur. Sunt autem priora loco duplicia: vel enim sunt viciniora loco definito secundùm naturam; qui locus sive terminus, aut est mundi medium, quod est centrum: Sic primum elementum est terra; ultimum est ignis: aut est mundi extremum, & est primum mobile: hoc modo est ignis primum elementum, postremum terra. Vel sunt viciniora loco sive termino cuicunq;, nempe cujus principium est constitutum ex hominum placito. Vt ratione metæ constitutæ pro termino & fine, cursus ille prior erit, qui hujus loci termino est vicinior. Posteriora itaq; dicũtur, quæ longius ab hujusmodi locorum principiis absunt.

Priora loco.

Priora tempore definit Aristoteles li. Categ. c. 12. §. 1. suntq; duplicia: vel enim ita dicuntur ἁπλῶς vel κατά τι. Simpliciter priora dicuntur, quæ primo temporis principio & momento sunt proxima: ἁπλῶς & simpliciter primus tempore inter homines dicendus est Adam. κατά τι priora dicimus illa, quæ longius à primo illo principio & momẽto absunt. Priora illa dupliciter dicuntur, vel respectu præteriti, vel respectu futuri temporis. Respectu præteriti, illud dicitur prius, quod remotius est à præsenti tempore. Respectu futuri illud dicitur prius, quod præsenti tempori est propinquius, vel quod paulò post futurum est.

Priora tempore.

Secundùm ordinem in motu prius etiam duplex est: aut enim est vicinius primo moventi naturaliter, aut voluntariè. Naturaliter prior dicitur puer quàm vir: puer enim vicinior est generationis motui, & primo moventi naturaliter. Voluntariè: ita propositum principis principium actionũ subditorum dicitur.

Priora motu.

Illius

Illius enim voluntatem & electionem necesse est hos sequi. Unde principij omninò rationem habet. Huc refertur prius potestate, quod nimirum altero potentius est. Sic princeps prior dicitur illis, quibus imperat. Item prius καὶ ἀξίαν, *dignitate. Atque hoc modo Rex in Republicâ optimâ prior esse dicitur.*

Prius potestate.

Prius dignitate.

In discretis unicus tantùm datur prioritatis modus, quem ordinis *vocant, quo aliquid prius dicitur, quod principio illius ordinis est propinquius, ut in saltatione, qui secundum locum tenet, prior eo est, qui tertium. Nam choragus chori principium est.*

Prius ordine.

Theorema 11.

Ratione cognitionis prius est, quod prius à nobis est cognitum. Item partes definitionis priores sunt definito: & Passio subjecti prioris prior est passione subjecti posterioris.

Prius cognitione duplex.

Prius ratione cognitionis vel est generale vel speciale. Generale est ipsum prius nobis cognitum, qualecunq; etiam illud sit. Speciale prius, vel est in partibus definitionis, vel in passionibus subjecti prioris.

Tot modos prioris cognitione numerat Philosophus. Primus *itaq; modus est, quando ea priora dicuntur, quæ prius à nobis cognoscuntur. Hæc sunt duplicia: aut enim sunt sensu, aut ratione priora: cum omnis cognitio fiat vel per sensum, vel per intellectum.*

Prius

Priora cognitione secundùm sensum sunt singularia. Priora cognitione secundùm intellectum sunt universalia. *Simplicius* in prædicam. *Boët.* in Porphyr. Secundus *modus est, quo partes definitionis priores dicuntur, quàm definitum, & simplex prius, quàm compositum. Vt enim per partes definitionis cognoscitur definitum, ita per simplex compositum intelligitur. Hinc prius cognoscis, quid sit Homo; quàm quid Homo Musicus. Nam hujus totius, nempe Hominis Musici, non est λόγος sive definitio sine definitione partis.* Tertius *modus est, secundùm quem affectiones rerum, quæ aliis antecedunt, dicuntur priores istis affectionibus, quæ ad posteriores res pertinent. Vt lineæ affectio, nempe rectitudo, prior est levitate, quæ πάθος & affectio est superficiei.*

Theorema III.

Priora naturâ, & quidem consecutione sunt, quæ possunt esse sine alijs: alia verò non possunt esse sine ipsis. Deinde potentia prior dicitur actu.

Prius ratione essendi dicitur prius naturâ. Naturâ *aliquid prius est vel consecutione vel potentiâ. Primo itaq; modo dicuntur priora & posteriora naturâ consecutione, hoc est, naturali essendi ordine, in quibus non convertitur ratio subsistendi* Arist. lib. Categ. c. 12. §. 3. Fonseca ad 5. Metaph. c. 11. tex. 16. Videatur etiam Porphyr. in Isag. cap. 7. Boët. in

Naturâ prius duplex. 1.

in Porphyr. Simplic. in præd. *Vt unitas potest esse sine binario numero; hic autem non sine illa: & substantia potest esse sine accidentibus; sed non item accidentia sine substantiis. Positâ enim substantiâ, non necessariò ponitur accidens; sed posito accidente necessariò ponitur substantia. Hoc modo etiam universalia priora dici possunt naturâ minus universalibus & singularibus. Nam posito animali, non necessariò ponitur Homo vel Petrus.*
2. *Potentia dicitur prior actu: ut pars prior est toto, materia formâ, ordine nempe* γενέσεως. *Et totum prius potentiâ est ordine generationis, quàm actu: ratione verò corruptionis prius est actu. Simpliciter verò prior actus dicitur potentiâ: ut supra demonstratum fuit. His addunt*
3. *tertium, quo actus dicitur prior toto, respectu nimirum actualitatis & perfectionis, uti loquũtur. Atq; tot sunt modi prioris; quot etiam posterioris intelligas.*

Theorema IV.

Tempore simul dicuntur, quæ in eodem tempore sunt & fiunt. Naturâ simul sunt, quorum utrisque commune est, ut neutrum sit alterius caussa.

Modi Simul. *Modos priorum & posteriorum sequuntur modi* simul. *Hi enim quodammodo illi opponuntur. Simul enim prioris & posterioris privatione intelligitur. Simul enim sunt (ait Ammon.* in prædic.*) quæ neq; posteriora neq; priora sunt.*

Simul

Simul *quædam dicuntur vel tempore, vel naturâ.* Tempore simul *dicuntur, quorum* γένεσις *sive generatio est eodem tempore, vel quæ eodem tempore existunt.* Arist. lib. Categ. c.13. §.1. *Sic gemelli sunt simul: item Socrates & Plato: item Cicero & Cæsar simul fuerunt.* Simul naturâ *dicta sunt, quæ ita convertuntur secundùm existendi consequentiam, ut neutrum sit alterius caussa: ita simul relata esse dicuntur; ut duplum dimidium; item ea, quæ* τῷ λόγῳ *sive cognitione simul sunt.*


Tempore simul.

Simul naturâ.

His duobus modis additur tertius, *& forsan adhuc quartus. Quorum tamen tertius, ad posteriorem hunc revocari potest, nempe, quando disparatæ species, quæ secundùm eandem divisionem sunt sub eodem genere, simul esse dicuntur: ut homo & bestiæ in divisione animalis. Sic morales & intellectuales habitus in Ethicis sunt simul: quia sub eodem genere virtutis continentur.* Arist. lib. 1. Eth. Nicom. c.13. lib. 2. cor. c.1. lib. 2. Eud. c.1. lib. 7. Polit. cap. 15. *Quartus modus est, quo quædam dici possunt simul esse secundùm locum, nempe quæ in uno eodemq; loco primò sunt* Arist. lib. x. Metaph. cap. 4. lib. 5. Phys. cap. 1. t. 22. *Non enim simul in loco esse dicuntur, quæ sunt in uno loco communi, sed quæ sint in uno loco proprio.* Alexand. de Ales. 11. Metaph. *Atq; hæc quoq; de modis, quibus quædam simul esse dici possunt, breviter.*

EXERCITATIO
DECIMA QUARTA.
DE EODEM ET DIVERSO.

Typus hujus Exercitationis.



Thev

Theorema I.

Idem est negatio distinctionis oppositæ.

De modis prioris, posterioris & simul hactenus: sequitur Idem, cui opponitur Diversum, *ut rectè dici queat: Ens aut est idem, aut diversum. Nam* πᾶν πρὸς ἅπαν, ἢ ταὐτὸ, ἢ ἄλλο. Omne ad omne aut idem, aut aliud est. Arist. lib. ί. Metaph. cap. 3. p. 545. G. *Reddit ejus rationem ibidem Philosophus. Nam, inquit,* τὸ ἕτερον, ἢ ταὐτὸ, διὰ τοῦτο πᾶν πρὸς πᾶν λέγεται, ὅσα λέγεται ἓν καὶ ὄν. *&c.*

Idem fundamentaliter sequitur ad Vnum, quippe cujus soboles est, ut & æquale & simile; relativè verò multa respicit. Est enim Identitas, quædam unitas plurium essendi, aut quando utitur Vno ut pluribus, ut habet Aristoteles lib. δ. Metaph. cap. 9. t. 16. *Et* Alex: de Ales in 5. Metaph. t. 18. *ait*: Idem realiter duo esse, & tantùm differre in modo significandi, non est in conveniens, ita ut unum illorum per modum significandi significet per modum subjecti & recipientis, & aliud significet per modum passionis & recepti. *Diversum deinde sequitur multa simpliciter* Aristot. loco all. item lib. ί. Metaph. cap. 3.

Primùm itaq; ipsum Idem considerandum est; deinde ejus oppositum, Diversum.

Propriè loquendo Idem *potissimùm pertinet ad substantiam, in quâ omnium perfectissima unitas est. Rectè cum Alexander de Ales* lib. 4. Metaph. tex. 3.

Identitas est unitas in substantia. Æquale verò ad quantitatem; & Simile ad qualitatem. Thom. 10. Metaph. *Sumitur Idem duobus modis: relativè sive formaliter; & negativè sive fundamentaliter. Formaliter quando sumitur Idem, tum importat relationem,* Albert. Mag. in lib. 5. Metaphys. tract. 2.
Idem duobus sumitur modis. cap. 6. *& ab unitate rectè & verè distinguitur. Sumitur enim hoc modo* Idem in relatione, vel ejusdem ad se, *hoc est in relatione rationis, cùm res eadem refertur ad se ipsam. Vt si Iohannes secundùm numerum idem dicatur cum semetipso:* Vel in relatione unius ad alterum, *hoc est, in relatione reali, cùm res comparatæ sunt diversæ: ut si Iohannes dicatur idem cum Iacobo secundùm staturam, & ab unitate rectè & verè distinguitur.* Negativè *porrò sive fundamentaliter quando accipitur Idem; tum ferè in nullo ab uno differt, nisi quòd unum dicit negationem divisionis in se: Idem verò negationem divisionis à se, sive ab eo, cum quo Ens idem esse dicitur:* vel ut Franciscus Maro ait. 1. d. 8. q. 7. *sicut unum est negatio divisionis: Ita Idem est negatio distinctionis opposita. Formaliter itaq; Vnum & Idem distinguuntur, fundamentaliter verò non distinguuntur. Atq; hoc est, quod dicit Philosophus* lib. δ. Metaphys. c. 9. Φανερὸν ὅτι ἡ ταυτότης ἑνότης τίς ἐστι τοῦ εἶναι. Patet, quod identitas sit unitas quædam ipsius esse.

Theorema II.

Aliud est idem per se: aliud per accidens.

Divis

Divisio hæc Philosophi est statim in initio cap. 9. lib. δ. Metaph. *Quæ per accidens sunt idem, sunt vel in simplicibus, vel in compositis. In simplicibus duo Idem dicuntur tribus modis.* Primus est, *quando eidem subjecto accidunt, ut musicum & album esse, idem dicuntur, quatenus accidunt eidem homini.* Alter *quando id, quod prædicatur, accidit ei, quod subjicitur, ut homo Musicus.* Tandem *quando id, quod subjicitur, accidit prædicato: ut Musicus homini accidit & idem cum eo est.*

Idem per accidens.

In compositis *aliquid per accidens dicitur idem, duobus modis:* Vno, *quando compositum subjicitur, ut homo Musicus est Musicus, vel homo Musicus est homo.* Altero, *quando compositum prædicatur, ut homo est homo Musicus, vel Musicus est homo Musicus:* Vide Philosoph. loco allegato.

Theorema III.

Idem per accidens non dicitur de vniversalibus primò: sed de singularibus dicitur primò & simpliciter. Arist. lib. δ. Met. c. 9. t. 16.

Duo dicit Theorema: Primum Idem per accidens non dici de Vniversalibus: *nam quæ vniversaliter sive de vniversalibus prædicantur, ea per se, non per accidens dicuntur. Non verè itaq; dicimus, omnem hominem & Musicum esse idem.* Alterum: de singularibus Idem-per-accidens simpliciter dici. *Nam singularibus accidentia primò insunt, atq; propterea primò & simpliciter de illis dicuntur;*

propter singularia verò de universalibus. Vt rectè dicitur, Socrates est Musicus, & propter Socratem homo est Musicus. Non verò universaliter, sed particulariter. Nam propter Socratem quidem quidam homo est Musicus: Verùm non omnis: cùm Socrates non sit omnis homo.

Theorema IV.

Idem numero est, quod subjecto non distinguitur. Idem genere sunt, quæ uno genere: idem specie, quæ unâ ultimâ specie continentur. Idem analogiâ dicuntur, quæ conveniunt in certâ proportione.

Idem per se est vel singulare, vel universale.

Singulare dicitur Idem numerò. Arist. lib. 1. top. c. 6. Alex. Aphrodis. in cap. 6. lib. 1. top. & c. 1. lib. 7. top.

Vniversale idem vel est univocum, vel analogum.

Vnivocum idem dicitur, quod vel genere, vel specie idem est.

Analogicè idem sunt *quæ in analogico genere conveniunt*. Arist. lib. δ. Metaph. cap. 9. Addunt adhuc aliam speciem, nempe Idem definitione; quæ tamen ad specie Idem referri potest. *Nam quæ specie Idem sunt; definitione quoq; sunt idem.*

dem, & contra. *Ratio hujus divisionis in eo est: Tot sunt species Ejusdem, quot Vnius.* Arist. δ. Metaph. c. 6. *At unius tres sunt species: Ergo. &c. Major constat:* ταυτότης *enim sive Idētitas est quædam* ἑνότης *sive unitas* Theor. 1. hujus: *hoc est, Identitas fundatur in quádam unitate, quæ est unitas substantiæ sive essentiæ. Est itaq; idem, ut divisio habet, vel numero, vel specie, vel genere.* Arist. lib. 1. Top. c. 7. §. 1. *quibus additur unum analogiâ sive proportione* lib. δ. Metaph. c. 9. Alex: Aprodis. in 1. Topicor. cap. 6. Ammon. in Porph. Simplic. in prædic. Averr. in Epit. Metaph: tract. 1. Boët. in Porph. Albert. Mag. de prædic. *Objicis, harum Identitatum species non tantùm esse substantiæ, sed ad alia quoq; prædicamenta pertinere.* Objectio. *Concedimus quidem* Hervæo 1. d. 19. q. 1. a. 1. *quòd aliis etiam prædicamentis eædem species Identitatis attribuuntur; sed non modo eodem: substantiæ enim tribuuntur propriè: quia in substantia propriè sunt, in accidentibus verò tantùm transmutativè. Rectè enim* Alexander de Ales: lib. 5. Metaphys. tex. 16. Identitas, *inquit,* duplex fundamentum habet, vnum remotum, aliud propinquum. Remotum est substantia: quia propriè non reperitur Identitas, nisi in substantiâ: vel in illâ re, quæ modū habet substantiæ. Ad hoc autem, quod sit Identitas, non sufficit natura substantiæ; sed oportet ut sit ibi unitas in substantiâ. *Et Thomas* 10. Metaph. l. 4. text. 10. *ait: Idem & diversum propriè sunt in substantiâ, transsumptivè in cæteris generibus.*

Resp.

Identitas (Vide Arist. lib. δ. Metaphys. cap. 9. p. 514. B.) *consideratur aliquando in aliqua re cum se ipsa collata, sive respectu sui ipsius: quando Intellectus una re utitur, ut duabus: aliquando vero in multis inter se collatis, sive in una re cum alia comparata. Priori modo aliquid dicitur idem numero, quod idem est simpliciter, & subjecto non distinguitur; nempe quando eadem res ad seipsam refertur, & bis idem asseritur: ut quando dicimus, quod idem sit sibi idem, & Socrates sit idem sibi, quia non est à seipso diversus & divisus: Vel ut Aristoteles loquitur* lib. ι. Metaphys. cap. 3. p. 545. F. *Idem secundum numerum est* ἂν καὶ λόγῳ καὶ ἀριθμῷ ἕν ᾖ, οἷον, σὺ σαυτῷ, καὶ τῷ εἴδει καὶ τῇ ὕλῃ ἕν. Si ratione & numero unum sit: utputa, tu tibi ipsi & specie & materiâ unum. *Dicitur hæc relatio rationis; Extrema enim realiter distincta non sunt* Thom. 5. Metaph. lect. 9. *Idem vero hoc* (*inquit Philosophus loco all.*) λέγομεν ἐνίοτε αὐτό: *dicimus quãdoq; ipsum. Posteriore modo quædam Vnum dicuntur vel specie, vel genere, vel analogiâ. Specie, quæ unâ ultima specie: genere, quæ uno genere, continentur. Quemadmodum itaq; priori modo Socrates ad se collatus, dicitur idem numero: ita hoc posteriore collatus cum Aristotele, dicitur idem specie: collatus cum Leone, dicitur idem genere. Idem proportione & analogia dicuntur quæ conveniunt in uno prædicato secundum proportionem de iis dicto: sic idem proportione, sicut caput hominis & Christus; membra hominis & Ecclesia. Identitas hic & ille circulus sunt figuræ* ὁμοειδεῖς.

Idem genere, specie, analogiâ.

prior, si respicias negationem divisionis & fundamentum, est Identitas simpliciter; quia est Identitas realis, sicut unitas. Hoc enim modo ab uno non distinguitur: Cum Identitatis fundamentum sit ἑνότης. *Formaliter verò & in ratione respectivâ est tantùm identitas secundùm quid. Relatio enim identitatis ad seipsum, non est realis, sed rationis. Vnius enim Individui ad seipsum non potest esse relatio realis, cùm necesse sit, ut detur vera oppositio inter relationem & terminum: qualis oppositio esse non potest ejusdem ad seipsum. Econtrario verò plurimum rerum distinctarum in ratione communi* ταυτότης, *quoad negationem divisionis, & fundamentum, est identitas tantùm secundùm quid. Est enim tantùm similitudo quædam: cum solummodo unitas rationis sit, ut* Exerc. 7. *ostensum est. Atqui quoad Identitatis relationem, Identitas hæc simpliciter Identitas est: quandoquidem relatio hæc, cùm sit inter res distinctas, realis est juxta conceptum communem de relationibus. Eadem enim videtur esse ratio hujus rationis atq; illius, quæ fundatur simpliciter in unitate, de quâ ita* Suarez, disp. Metaph. 47. sect. 11. distinct. 3. Relationes, *inquit*, fundari in multitudine, distinctione, vel divisione, licet multis visum sit non esse reales, sed rationis: quia non habent reale fundamentum proximum vel formalem terminum: nihilominus loquendo cum communi sententiâ, & consequenter, verius dicitur eandem esse rationem de his relationibus & de illis, quæ fundantur in unitate. Nam sicut

distinctio includit negationem; ita etiam unitas: & e converso, sicut negatio, quam dicit vnitas, supponit Entitatem, quæ potest esse fundamentum relationis: ita etiam distinctio realis est inter extrema realia, in quibus fundatur negatio ibi inclusa: in eis ergo, ut talia sunt, poterit etiam fundari relatio realis. *Hactenus ille. Coronidis loco de Eodem notetur elegans Thomæ axioma* in lib. 2. de gener. & corr. l. 9. t. 52. Idem manens idem, semper natum est facere idem.

Theorema V.

Diversum est, quod est aliud quid, & opposito planè modo atq; Idem dicitur.

Diversum. Primùm considerantur ipsa diversa: deinde illorum consequentia.

Ens Theor. 1. nobis divisum est in Idem & diversum. Diversitas itaq; Identitati opponitur, & ad multitudinem pertinet, nec dubium est, quin diversum tot dicatur modis, quot modis dictum fuit Idem. Arist. lib. δ. Metaph. cap. 9. pag. 514. B. lib. ι. Metaph. c. 3. p. 545. G. *Diversum hoc in genere finimus id, quod est aliud quid, & opposito planè modo atq; Idem dicitur. Diversum itaq; esse, est aliquid superius ad differre.* Arist. γ. Metaph. c. 2. *hoc est, diversum est genus illorum, quæ differunt. Sumitur enim in lata hac significatione pro quavis ἑτερότητι, varietate, sive ut Scholastici barbarè loquuntur, alietate.*

Theore-

Theorema VI.

Diverſa non differentia ſunt, quæ cum alijs in genere univoco non cóveniunt, ut eo diſtingvantur: Differentia verò ſunt, quorum adhuc eſt commune genus, ſub quo differunt & diſtinguuntur.

Diverſorum alia tantùm ſunt diverſa & non differentia: alia ſunt diverſa & ſimul differentia Ariſt.lib.ι.Met.c.3.

Diverſa tantùm *ſunt, quæ non ſunt aliquo diverſa, hoc eſt, quæ non conveniunt in uno aliquo prædicato, ad eorum eſſentiam pertinente, quo ab alijs differant. Atq; hæc diverſa ſunt duplicia: quædam quidem conveniunt aliquo prædicato, ſed eo inter ſe non differunt, ſed ſunt idem: Si enim conveniunt, differre non poſſunt. Atq; hæc ſunt illa, quæ numero diverſa ſunt: Sic Plato & Socrates conveniunt quidem in prædicato eſſentiali, nempe homine (uterq; enim homo eſt): ſed à ſe invicem eo non differunt; ſed idem eſſe dicuntur ſpecie. Sunt itaq; diverſa Individuatione & numero: Plato enim non eſt Socrates, & Socrates non eſt Plato. Ad hanc claſſem etiam referri poſſunt, quæ differunt ſecundùm magis & minus. Magis enim & minus non diſtinguit ſpeciem. Quædam deniq; nullo modo, neq; genere, neq; ſpecie conveniunt, ſed ſe totis differunt: Vt decem prima genera. Vnde axioma:* Diverſa duplicia.

summa rerum genera primò sunt distincta & se ipsis differentia, substantia itaq; seipsâ diversa est à quantitate &c.

Diversa differentia.

Diversa differentia dicuntur, quæ ab aliis aliquo differunt: Philos. ibidem, *hoc est. Differentia ea dicuntur propriè, quæ sunt in unâ prædicamentali coordinatione. Quæ autem sunt in tali coordinatione, vel coordinantur sive uniuntur genere, vel specie: Ergo quæ differunt, vel genere vel specie differunt.* Arist. ibid. *Aliam Diversorum distinctionem habet Averroës* lib.2.Meteor.cap.2. Diversa, *inquit*, differunt vel per agens, vel per recipiens: Agens vel differt in specie, vel secundùm magis & minus; & similiter recipiens. *De Diversitate recipientis hoc tradit axioma idem Averroës* lib. 3. de an:text.5. Diversitas naturæ receptæ facit diversitatem in naturâ recipientis. *Referri etiam huc alterum illud potest*: Receptum in recipiente, non est secundùm modum recepti, sed recipientis.

Theorema VII.

Distinctio est rerum diversitas, quâ res disjunguntur.

Diversorum consequentia, vel (*si ita loqui libet*) modi, sunt Distinctio & Oppositio.

Distinctionis vox est ambigua.

Distinctio in genere est, quâ res inter se distinguuntur. Distinctionis enim vox ambigua est, quæ modò latissimè modò strictius, modò strictissimè sumitur. Latissimè accepta Distinctio includit divisionem omnem, sive sit vocis in sua significata: sive generis in suas

suas species: sive totius in suas partes, sive subjecti in accidentia: Item qualemcunq́; limitationem in propositione, sive sit prædicati, sive subjecti. Vt quando dicimus: Sumo sive intelligo subjectum vel prædicatum hoc vel illo respectu; secundum hanc vel illam partem: Distinguo inter rem, quæ talis vel non talis &c. Strictius paulò sumitur Distinctio, quando simul opposita includit, quo modo etiam Opposita distincta dicuntur. Strictißimè tandem in Scholis Philosophorum & eruditorum accipitur contradivisè oppositioni, & quatenus simpliciter opponitur Identitati, exclusà omni adversitate & repugnantià. Atq́; ita hoc loco sumitur. Et est profectò doctrina hæc de Distinctione minimè negligenda, sed accuratè observanda & scienda. Qui enim benè distinguit, benè docet. Et gravißima Melanchthonis admonitio semper in conspectu & memoria tenenda est, quæ extat lib. 4. Dialect. c. de distinct. *ubi ait*: Hæc doctrina de distinctione est quasi quædam doctrina de rerum numeratione, & ostendit, quæ jungi, quæ divelli oporteat; quam, ut ita dicam, numerationem rerum necessariam esse, omnes sani intelligunt.

Theorema VIII.

Distinctio realis est inter duas res distinctas, quarum una non est alia.

Distinctio vel est secundùm rem ipsam, vel tantùm secundùm conceptum rei, & rationis distinctio dicitur.

Distin-

Distinctio secundùm rem est, quæ in reipsâ est immediatè extra animum, & antè intellectus operationem. Estq; duplex: Realis & Modalis, *sive ex naturâ rei.*

Distinctio realis. Realis *est distinctio rei à re, quæ in hoc consistit, ut una res non sit alia. Est igitur distinctio hæc inter res, quæ se habent ut duæ disparatæ & à se invicem distinctæ, quarum altera nunquam potest dici altera. Zabarella* lib. de facult. animæ cap. 2. *Realem distinctionem apud Latinos duobus intelligi modis docet: & primò quidem sumi pro eo, quod est, subjecto differre: ut quando duo accidentia, quæ unum sunt specie, in duobus subjectis hærent, ut albedo in pariete & albedo in Cygno realiter differre dicuntur, hoc est, subjectis: Secundò pro eo, quod est esse res diversas, & secundùm essentiam distinctas, etiam animo non cogitante: vt cùm materiam & formam dicimus esse distinctas re, item hominem & equum: Iohannem & Paulum. Vbi tenenda sunt hæc generalia axiomata:*

1. Realiter distincta sibi mutuo tribui non possunt. *Vt hæc albedo, quæ in Cygno est, non est illa, quæ in pariete est: Et anima non est corpus: & homo non est equus: & animal non est arbor: & arbor non est lapis: & lapis non est ignis: & ignis non est aqua: & corpus non est spiritus: & substantia non est accidens. &c.*

2. Quæcunq; separari possunt, realiter distinguuntur. *Alterum enim non ingreditur constitutionem alterius. Sic aqua & frigus realiter distinguuntur, quia aqua frigus potest amittere.*

3. Rea-

3. Realiter distincta nunquam sibi mutuò essentialiter subordinantur: accidentaliter interdum subordinari possunt. *Ratio est, quia essentialiter subordinata se mutuò constituunt, quod de realiter distinctis & disparatis negatur. Accidentaliter id fieri manifestum est, quando nempe duo disparata accidente quodam interveniente sibi mutuo subjiciuntur. Sic Agar subjicitur Saræ, ut ancilla dominæ, interveniente scilicet jure gentium, aut civili servitute ac dominio.*

Realis distinctio vel sumitur ab illis, quæ in re ipsa sunt, vel quæ rem circumstāt. Prior distinctio vel Essentialis & Caussalis: vel subjectiva & accidentalis. Realis distinctio dividitur.

Quæ essentiâ distinguuntur, distinguuntur vel ut multa à multis; vel ut unum ab uno.

Quæ ut multa à multis distinguuntur, in eo differunt, in quo conveniunt: At conveniunt vel in genere, vel in specie: Ergo etiam vel genere vel specie differunt, uti paulò ante etiam id proposuimus ex Arist. lib. 5. Metaph. cap. 3. *Genere differunt, quorum non est communis materia, neq; mutua generatio: nempe quorum alia prædicationis figura est: Specie differunt, quorum idem est genus.* Arist. ibid.

Vt Vnum ab uno distinguitur Individuum ab Individuo. Illa enim numero & essentiâ numericâ distingui dicuntur.

Caussalis *distinctio eorum est, quæ caussis differunt vel internis, ut materiâ & formâ: vel externis, ut efficiente & fine. Sic aliâ formâ præditus est homo,* Distinctio caussalis.

mo, alia brutum, item materia proxima discernuntur: ita in reliquis.

Distinctio subjectiva. Distinctio subjectiva *est; quando accidentia distinguuntur subjectis, ut realis est distinctio inter albedinem in cygno & inter albedinem in pariete. Differunt enim subjectis.*

Distinctio accidentalis. Distinctio *accidentalis est distinctio subjectorum per accidentia. Accidentia hæc si propria sint, fortior & perfectior est distinctio: si communia remissior & imperfectior.*

Distinctio *realis sumpta ab illis, quæ res circumstant, est inter ea, quæ objectis, loco, tempore, antecedentibus, consequentibus &c. distinguuntur. Atq; distinctio hæc præcipuè locum habet in singularibus, quæ non sunt in eodem loco, tempore, & similibus circumstantijs.*

Theorema IX.

Distinctio modalis est distinctio rerum per suos essentiales modos.

Datur porrò in rebus creatis aliqua distinctio actualis ex naturâ rei & quidem ante mentis operationem, quæ non est tanta, quanta est inter duas res sive Entitates omninò distinctas: Sed est minor reali, major tamen rationis distinctione. Nam licet quidem plenariam differentiam, ut inter rem & rem, non ponat: quandam tamen distinctionem extra mentem relinquit: qualem posuisse videtur Aristoteles inter actionem & paßionem lib. 3. Phys. *& inter motum & tempus* lib. 4. Phys. *Hanc distinctionem eruditè asserit,*

asserit, probat, & explicat Suarez his verbis: Vt assertio hæc probetur & explicetur, suppono in rebus creatis præter Entitatem earum, quasi substantiales & radicales (ut ita dicam) invenire quosdam modos reales, qui & sunt aliquid positivum & efficiunt ipsas Entitates per se ipsos, dādo illis aliquid, quod est extra essentiam totam, ut individuam & existentem in rerum natura. Hoc patet inductione. Nam verbi gratiâ, in quantitate, quæ est in substantia, duo considerari possunt: Vnum, est Entitas ipsius quantitatis: aliud verò vnio sive actualis inhærentia ejusdem quantitatis cum substantia. Primum vocamus simpliciter rē Quantitatis, includentem quicquid est de essentia quantitatis individuæ & in rerū natura positæ, quod manet & conservatur, (*ita quidem statuit Suarez*) etiamsi quantitas à subjecto separetur, & impossibile est considerari rem illam unam numero, quæ est hæc quantitas, quin includat hanc essentiam quantitatis cum sua intrinseca individuatione & actuali esse. Secundum, id est, inhærentiam appellamus modum quantitatis, quæ est aliquid illam afficiens, & quasi ultimò determinans statum & rationem existendi ejus: non tamen addit illi propriam Entitatem novam: sed solummodo modificat præexistentē. Si enim esset nova omninò entitas, non posset esse actualis unio inter quantitatem & subjectum: sed ipsa potius indigeret,

quo

quo subjecto & quantitati uniretur. Quod inhærentia non indiget aliâ unione vel inhærentiâ, quâ uniatur vel inhæreat, ideo est, quia ipsa per se non affert propriam Entitatem, quæ inhæreat & uniatur: sed tantùm est quidam modus, qui per se est ratio unionis & inhærentiæ.

Distinctio modalis quotuplex.

Distinctio hæc modalis est duplex: Simplex & comparata.

Simplex est, *quando vel modi simpliciter inter se distinguuntur; vel Entia per suos modos; vel deniq; modi ab Entibus. Sic distinguuntur.* 1. Vniversalitas & Individualitas. 2. Vniversale & Individuum. 3. Essentia & existentia.

Comparata *tantùm est in qualitatibus, nempe cum eadem qualitas secundùm magis & minus distinguitur. Talis distinctio est inter motum celerem & tardum, teporem & fervorem.*

Theorema X.

Distinctio rationis est, quæ fit solâ consideratione & conceptu mentis.

Distinctio rationis.

Distinctio tandem rationis *ea est, quæ formaliter & actualiter non in rebus est, quæ sic distinctæ denominentur, prout in se existunt: sed duntaxat prout substant conceptibus nostris, & ab illis denominationem quandam accipiunt. Basilius* lib. 1. contra Eunomium *vocat* ἐπινοίᾳ *differre; alij* τρόπῳ ὑπολήψεως *differre. Observanda sunt,*

quæ

quæ de hâc distinctione habet Suarez disp. Metaphys.7. sect.1.d.6. Distinctionem rationis, *inquit*, non appellari eò quod inter Entia rationis versetur, in quo multi decepti sunt. Constat enim ea, quæ sic distingui dicuntur, esse Entia realia, vel potius Ens reale diversis modis conceptum, verbi gratiâ: Distinguimus in Deo unum attributum ab alio: Iustitiam à misericordiâ: quia non concipimus simplicem virtutem Dei, prout in se est, & secundùm totam suam vim; sed eam conceptibus partimur in ordine ad diversos effectus, quorum principium est illa eminens virtus, vel etiam per proportionem ad diversas virtutes, quas in homine invenimus distinctas, & in eminentissimo modo reperiuntur unitæ in simplicissimâ virtute, DEO. *Elegantissimum hac de re habet locum D. Bernhardus*, de considerat. lib.5. statim in initio cap.13. pag.902. A. *videatur idem sermone de diversis affectionibus animæ* pag.369. B.C.

Probat porrò nostrum institutum loco allegato Suarez: Mens enim nostra non fingit ὄντα, quæ sic distinguit; sed solùm per modum distinctorum concipit, quæ distincta non sunt: Ergo non ea, quæ distinguuntur; sed sola ipsa distinctio per rationem resultat. Falliturne ita mens? Non: quia non affirmat in re distincta esse, quæ sic concipit: sed simpliciter & absq; compositione sive affirmatione aut negatione ea concipit, ut distincta, per abstractionem præcisam, per quam quasi efficit hujusmodi distinctionem.

Quod si postea per reflexionem vel compositionem illam prædicat de rebus sic conceptis, non affirmat simpliciter illas distinctas esse; sed tantùm secundùm quid, id est, secundùm rationem. Quanquam autem (pergit Suarez) distinctio hæc non requirat extrema, quæ in se sunt Entia rationis; semper tamen supponit in eis aliquam denominationem rationis, qualis est denominatio subjecti & prædicati: vel saltem esse sic concisè & inadæquatè concepta. Et licet quidem hoc verum sit, quòd distinctio rationis non terminetur Entibus rationis; potest tamen in illis versari.

Distinctio rationis duplex.

Distinctio rationis vel est pura, vel eminens.

Ita ex hactenus dictis cum Thoma. 1 sent. dist. 2. q. 1. art. 3. *& hunc secuto* Fonseca lib. 5 Metaph. c. 6. q. 6. sect. 3. *distinctionem distinguimus.*

Pura est, quando neq; in re, neq; in virtutibus sive effectis rei est distinctio; sed solus intellectus sibi distinctionem format, ita ut planè nullum sit diversitatis fundamentū in rebus ipsis. *Hoc modo distinguitur Homo & Animal rationale. Referenda huc est distinctio formalis, in scholasticis dicta, quæ eorum est, quorum alterum sumitur in definitione alterius, hoc est, quæ est inter essentialiter subordinata, ut inter Genus & speciem. Nam inter Genus & speciem non datur realis distinctio, sed realis & omnino essentialis unio. Unde fit, quòd Genus de specie prædicetur in primo modo per se, hoc est, prædicatione essentiali.*

Eminens est, quando aliquid fundamenti datur in rebus, non quidem in se considera-

tis, sed virtutum seu effectuum ratione. *Unde à Thomâ de Vio Cajet.* de Ente & essent. c. 6. q. 12. *dicitur* distinctio Virtualis: *alijs* distinctio propter eminentiam ex naturâ rei, *& in illis est, quæ in se quidem nihil differunt: idem tamen in virtute & efficaciâ præstant, ac si inter se differrent. Sic distinguimus in calore radiorũ solariũ vel etiam ignis virtutem rarefaciendi & condensandi; liquefaciendi & indurandi &c. Hic enim licet sit una eademq; qualitas, nempe calor: quia tamen virtutes seu effectus, videlicet, rarefactio, condensatio, liquefactio, induratio &c. à calore ortæ distinguuntur, & ipsa virtus in calore distingui dicitur. Quod idem etiam applicari posse videtur ad distinctionem attributorum divinorum ab ipsâ essentiâ divinâ & inter sese. Nam licet quidem ibi in re nulla sit distinctio (distinctio enim multitudinem & compositionẽ infert, quæ essentiæ divinæ planè contraria est): tamen attributa illa tum ab essentiâ, tum à se invicem distingui dici possunt distinctione rationis, eâq; non purâ, sed posteriore hâc, nempe propter eminentiam divinæ essentiæ, & quòd proprietatum divinorum distincti effectus appareant.* De distinctione hactenus, sequitur oppositio.

Theorema XI.

Oppositio est diversitas rerum cum pugnâ, vel est incompossibilitas simul existendi in eodem secundùm idem.

Opposi-tio.

Alterum diversitatis consequens est Oppositio, *secundùm quam de unâquâq; re dicitur, quomodo sit ipsa res, & quod non sit non ipsa: Vt si dicas Equum esse equum, & equum non esse non equum, hoc est, non esse rem aliquam, de quâ non equus posit prædicari. Sequitur affectio hæc diversitatem, sed non immediate, verùm mediante distinctione, ut mox apparebit. Theorema habet & nostram & Cajetani (in post-præd.) definitionem. Ac Oppositionem ita circumscribimus, cum sit genus tantùm analogum respectu eorum, quæ opposita denominantur. Remotum fundamentum oppositionis sive oppositorum est multitudo: proximum diversitas. Nam in multitudine fundatur diversitas: in diversitate distinctio & oppositio. Quicquid enim abit ab unitate, fit multa: quæ multa sunt etiam diversa: diversa distinguuntur à se invicem, unde distinctio, de qua hactenus egimus. Omnis porrò distinctio habet membra opposita; unde oppositio. Quæ ipsa etiam Metaphysico in primâ notione omnino est consideranda.*

Theorema XII.

Negativa oppositio est, cujus alterum extremum est positivum, alterum negativum. Positiva oppositio est, cujus utrumq; extremum est positivum.

Opposi-tionis divisio.

Oppositio est vel positiva, vel negativa. *In Oppositionem dividimus, nempe in talem, quæ est inter extremum positivum & negativum; & talem, quæ est in-*

est inter extrema positiva. Tertia species non datur. Nam inter duo extrema negativa nulla datur oppositio. Primum quia realis oppositio, de quâ hic agimus, habere debet fundamentum reale, si non in utroq;, omninò in altero extremorum. Deinde una negatio per se & ratione sui non repugnat alteri.

At, inquis, una negatio potest cadere in aliam, vel in privationem, ut esse cæcum, non esse cæcum: Respondemus, quòd ejusmodi oppositio est ratione affirmationis in altero extremorum inclusæ, atq; ita semper alterum extremum vel formaliter, vel virtualiter positivum est, & est talis oppositio contradictoria. Quocirca quando dicitur de homine, quod sit cæcus; tum duo intelligi possunt, alterum quod virtute affirmatur, nempe hominem habere capacitatem ad videndum: cum nemo cæcus esse posit, quin illâ capacitate sit præditus, unde saxum non rectè dicitur cæcum &c. alterum quod negatur, nimirum habere visum. Quare quando idem homo non cæcus dicitur, vel negatur illa videndi aptitudo & capacitas, vel virtute affirmatur habere visum. Obj. Sol.

Theorema XIII.

Oppositio negativa est vel contradictoria vel privativa.

Ita subdividenda est oppositio negativa in duas species: nempe in contradictoriam, & privativam: *ut etiam positiva, quemadmodum in sequentibus videbimus. Vnde quatuor oppositorum oriuntur genera, de quibus* Aristoteles *partim in postprædicamentis* lib. Categ c. 10. & 11. *partim* lib. Jota

Metaph.c.4. & ſeq. *præcipit. Aut enim oppon-*
tur extrema, ita ut nulla omninò convenientia ma-
neat; ſed unum oppoſitum ſimpliciter tollat omne re-
liquum; & dicitur oppoſitio contradictoria; *aut*
inter extrema levis apparere incipit convenientia:
qualis inter privantia eſt: quorum unum licet ſit Ens,
alterum Non- Ens: *Vtrumq; tamen convenit in ſubje-*
cto, quod utriq́; manet ſubſtratum & vocatur oppo-
ſitio privativa: *aut adhuc major apparet conven-*
entia, nempe aucta usq́; ad Entitatem *ipſorum oppoſi-*
torum, ita ut oppoſitio non amplius verſetur inter Ens
& Non-Ens, *ſed inter duo* Entia, *atq; tùm dicitur* op-
poſitio contraria: *aut deniq́; eo usq́; adaucta eſt*
couvenientia, ut à ſe invicem dependeant & ſe mutuo
ponant ac tollant; & tum vocatur Oppoſitio rela-
tiva. Cajet: in poſtpræd. *Quæritur hoc loco non*
Quæſtio. *fruſtra: Quare oppoſitio privativa hic ſpecies negati-*
væ conſtituatur: cum alias Philoſophi inter negatio-
nem & privationem accuratè diſtinguant. Tenenda
Negatio duplex. *hic eſt diſtinctio Philoſophorum inter* negationem
negantem & negationem privantem. Nega-
Negatio negans. tio negans *eſt, quæ ita negat, ut abſolutè & ſimpli-*
citer nihil ponat, ſive nullum poſitivum includat ne
ratione ſui, nec ratione alterius, unde etiam nega-
ſimplex dicitur: Scholaſticis Negatio malignans:
quicquid enim poſt ſe invenit, deſtruit totum, illiusq;
Negatio privans. *oppoſitũ inducit.* Negatio privãs *eſt, quæ duntaxat*
terminum cui additur, negat, interim certum ſub-
ctum cum certâ capacitate & tempore includit. Vnde
manifeſtum eſt, non omnem negationem privativam
oppoſitam eſſe; ſed tantùm negationem negantem.

dunt nonnulli negationem infinitam,*seu(ut scho-* Negatio infinita.
lastici loquuntur) infinitantem, *quæ solùm negat terminum, cui additur, & positivè relinquit omne aliud Ens, præter illum terminum finitum, cui additur. Verbi gratiâ: Non homo, in negatione negante est simpliciter Non-Ens, in negatione verò infinita est omne Ens præter hominem. Verùm infinita negatio evidentius cernitur & discernitur in integris propositionibus, quàm in simplicibus terminis. In Logicis vocatur non negatio, sed* infinita affirmatio; *quandoquidem non copula negatur, sed tantùm res prædicati per particulam negantem removetur, ut Ens infinitum sive indeterminatum relinquatur.*

Theorema XIV.

Contradictio est oppositio maxima, cujus extrema latissimè distant, ita ut omnem excludant convenientiam.

Contradictionem primo loco ponimus: quia omnium Ordinis
maxima est & fundamentum reliquarum. Primò e- ratio.
nim ex Entis & Non-Entis conceptu oritur, & postea diversitati & multitudini adhibetur. Hinc illud Scholasticis frequentatum: Omne diversum & oppositum includit in se virtualiter diversi & oppositi negationem. *Et item aliud:* Quantò reliquæ oppositiones plus participant de contradictione, tantò habent plus de oppositione. *Extrema latissimè distare dicuntur: quia fundatur contradictio super Ente & Non-Ente, quæ nun-*

quam uniri possunt. Impossibile *enim* est, aliquid
simul esse & non esse: *ut habet vniversale axio-
ma: quod qui negat, in se rationem esse negat. Vnde
rectè additur in definitione, quòd omnem convenien-
tiam excludat. Reliquorum oppositorum extrema
quodam modo (ut patet ex antea dictis) conveniunt.
Privantia in communi subjecto, ut cæcitas & visus in
oculo. Contraria non tantùm in subjecto, sed etiam in
Entitate, hoc est, in genere conveniunt. Relata præ-
terquam quòd utroq; modo conveniant, à se quoq; in-
vicem pendent & se mutuò ponunt. Verùm contradi-
ctoriorum vnum totaliter tollit alterum: ut non equus
tollit totam naturam equi, non arbor totum esse arbo-
ris. Hinc maximus apparet illorum error, qui duo ex-
tremè opposita cõtradictionis membra consociari pos-
se affirmant, simulq; vera aut falsa esse posse audacter
asseverant, & alijs persuadere audent. Non vident il-
li immediatam contradictoriorum oppositionem ob-
stare. Aliter quidem res se habet in contrarijs quæ
(transferimus hanc doctrinam ad Enunciationes) si-
mul falsa in materiâ contingenti esse possunt. Quæ
autem est ratio? hæc est: quia subcontraria inter illa
mediant, quæ, quando contrariè opposita simul sunt
falsa, semper simul sunt vera. Verùm in contradicto-
riè oppositis, quia vniversali opponitur particularis,
omne omninò medium tollitur, cum particularis pro-
ximè universali subjungatur* 1. post. *Manet itaq;
contradictoria simul esse non posse. Quod porrò ita
probatur. Cum enim quilibet intelligat non-ens non
tantùm esse nihil, verùm etiam in naturâ nullo modo
esse posse, statim in conceptu Entis, adjunctâ simul
non-En-*

non-Entis imaginatione, hanc oppositionem fundat & statim intelligit, id quod non est, non posse non esse, adeoq́; impoßibile esse, Idem secundum Idem esse simul & non esse. Si enim dixeris, id quod est, non esse, teipsum falsitatis argues. Quare propositio illa(Impossibile est Idem secundum Idem simul esse & non esse) *rectè dicitur ab* Aquario *primum principium complexum simpliciter & firmißimum & primò primum in omnibus artibus, disciplinis & scientijs. Et ex hoc fluit alterum, quo dicitur,* impossibile esse, duas contradictorias enunciationes simul veras aut simul falsas esse. *Vna enim contradictoriarum dicit Ens: altera non Ens: Ergo si simul utraq́; esset vel vera vel falsa; tum Idem esset Ens & non-Ens, & Idem simul esset & non esset, quod est contra primum principium. Imo si verum sit duas contradictiones esse veras: tum necessariò infertur, utrãq́; falsam esse: cum semper altera alteram accuset mendacij, verbi gratiâ. Homo est homo: homo non est homo, ponatur quod utraq́; sit vera: Ergo propositio illa vera:*Homo est homo, *arguet mendacij hanc:*Homo non est homo: *Et hæc vera*: Homo non est homo, *arguet mendacij illam:* Homo est Homo: *Ergo hominem esse hominem erit verum, & non erit verum. Item Hominem non esse hominem erit verum & non erit verum. Et per consequens nihil verum nihil falsum:* ἄτοπον ἀτοπώτατον. *Certum igitur & immotum est principium:*Inter contradictoria nullum dari medium. *Vbi notandum est, quòd medium sit quintuplex.* 1. *Est* medium subjecti, *cui nullum oppositorum competit, ut inter calidum &*

frigidum datur spiritus. Vocatur hoc medium negationis extremorum, & datur in oppositione relativâ, contraria & privativa: sed hic in contradictione non datur, cùm nihil sit in rerum naturâ, quod non cadat in alterutrum membrum Entis, *aut non*-Entis. 2. Alterum medium *dicitur* participationis extremorum, *ut tepor est medium per participationem extremorum inter frigus & fervorem, quia de utroq; aliquid participat.* 3. Tertium medium est positionis sive loci, *per quod res movetur ad suum locum.* 4. Medium perfectionis *est sive proportionis inter defectum & excessum, in illo medio virtus est.* 5. Est medium assecutionis, *quo finem assequimur. Quando itaq; dicimus & probamus, inter contradictoria nullum dari medium: id intelligendum est de medio primæ & secundæ significationis.*

Cæterum Contradictio *ita prius formata ab intellectu, deindè aptatur rebus, quæ distinctionem & multitudinem habent, atq; in illis diversitatem monstrat & efficit, verbi gratiâ, substantia est diversa ab accidente: quia de substantiâ verè dicitur, quod sit substantia: sed de accidente si dicatur illud substantiam esse, falsum dicitur. Verùm autem erit, si dicatur illud non esse substantiam. Vnde manifestum est diversitatem rerumq; multitudinem verè concipi non posse, nisi prout contradictioni innitatur: Vnde arguitur, quòd prima sit oppositionis species* contradictio.

Theorema XV.

Oppositio privativa ea dicitur, quæ

quæ eſt inter Ens & non Ens privativum.

Oppoſitio *hæc alias dicitur eſſe inter habitum & privationem, ita ut per habitum intelligas non primam ſpeciem qualitatis, ubi illi diſpoſitio opponitur: ſed rem omnem exiſtentem ſive inexiſtentem actu aut potentia per naturam: per privationem verò abſentiam illius habitus in ſubjecto capace. Vnde privatio non-Ens dicitur, & habitui ſive Enti poſitivo opponitur. Licet itaq; Oppoſitio hæc fundetur ſuper Ente & non-Ente: tamen non-Ens non eſt pure negativum; ſed connotat ſubjectum & in eo habitudinem quandam ad actum. Vnde in oppoſitione hac quatuor tenenda veniunt.* Primum ſubjectum habile. *Nam lapis non dici poteſt cæcus, quod habilitatem ad videndum non habeat. Homo verò carens viſu, rectè dicitur cæcus. Sic enim verè privari dicuntur, quando ea, quæ ſunt* δεκτικὰ τῆς ἕξεως, *iſto habitu carent. Privatio enim nihil aliud eſt, quàm in habili ſubjecto* ἀπουσία *quædam formæ, ut dictum eſt.* Deinde ut habitu careat in eâ parte, in quâ habere debeat. *Homo namq; non dicitur cæcus, licet pede vel manu non videat.* Tertio requiritur tempus à naturâ determinatum. *Nam Catulus ante nonum diem cæcus impropriè dicitur, cum viderit nunquam, quippè qui ad tempus à natura præſcriptum nondum pervenit. Hinc Philoſophus* lib. Categ. c. 18. §. 12, Tunc dicimus, *inquit*, ſingula, quæ habitus recipere poſſunt, privata eſſe, cum, in quo natura ineſſe debent, nullo modo inſunt. Edentulum

In oppoſitione privativa 4. notanda.

1.

2.

3.

enim

enim dicimus, non quòd non habet dentes, & cæcum, non quòd non habet visum: sed quod non habet, quando naturâ habere debet. Nam quædam ab ortu nec visum nec dentes habent, quæ non dicuntur edentula neq; cæca. Tandem *privatione illâ non tantùm negatur actus primus oppositi habitus, sed & potentia ad illum actum. Hac enim sublatâ nulla ad habitum fit regreßio. Atq; hoc est, quod habet ibidem Philosophus* §. 20. Ἀπὸ τῆς ἕξεως ἐπὶ τὴν στέρησιν γίνεται μεταβολή. Ἀπὸ δὲ τῆς στερήσεως, ἐπὶ τὴν ἕξιν ἀδύνατον. Ab habitu ad privationem mutatio fit, à privatione verò ad habitum fieri non potest. Neq; enim, *addit*, qui cæcus factus est rursum aspexit, neq; calvus comam recepit: nec edentulus dentes emisit. *Hæc, inquam, de privatione propriè ita dictâ, intelligenda sunt, nempe illâ, quæ non tantùm habitus sui actum primum: verùm & una cum ipso ipsam potentiam tollat. Si enim de quâvis privatione intelligerentur, tum dormienti quoq; sublata esset potentia videndi, & post noctem nunquam reditura esset dies. Quod sane falsum est. Vbi itaq; potentia ad actum primum sublata nondum est, ibi fieri potest regreßio à privatione ad habitum. Quocirca quia dormienti potentia videndi per somnum non est sublata, expergefactus videt. Propter eandem caussam à privatione diei, hoc est, à nocte fit regressus ad habitum, hoc est, ad diem. Sic etiam res se habet in morbis & similibus privationibus. Tangit hanc quæstionem Suarez* disp. Me-

4. An detur regressio à privatione ad habitum?

taph.54.dist.19. *Deinde dici potest.* 1.*Quòd Regressus sit duplex: Unus ad idem numero; alter ad idem specie: sive id fiat mediatè sive immediatè.* 2. Privatio triplex est. Primùm est privatio solius actus: *Talis privatio in somno est. Qui enim dormit neq; videt, neq; audit, neq; alio quodam modo sentit.* Deinde est privatio ἐνεργείας simul & proximæ potentiæ. *Tandem* est privatio actus & potentiæ *etiam remotæ. Regressus igitur à privatione ad habitum eundem numero, naturaliter est impossibilis. Hinc rectè dicitur, quòd non sit eadem numero visio ante & post somnum. Deus quidem in novissimo die restituet nostra corpora eadem, erimusq; iidem numero, qui hodie sumus, sed hoc non fiet virtute naturæ, sed virtute divinâ. Deinde regressus ad habitum eundem specie, à privatione ἐνεργείας sive actus est possibilis. Tandem regressus à privatione potentiæ immediatus est impossibilis, mediatus verò possibilis.* Vide supra Exercit.3.th.4.

Theorema XVI.

Oppositio positiva est vel contraria, vel respectiva.

Oppositio hæc positiva *dicitur, quia est inter terminos positivos, ut constat ex Theoremate duodecimo. Est inter terminos positivos, quia, ut jam dicetur, contraria sub eodem genere maximè debent distare; distantia verò non potest esse nisi inter Entia. Inter Ens enim & non-Ens nulla dicitur esse distantia nisi secundùm rationem. Deinde oppositio respectiva debet esse inter duo Entia, quæ se mutuò ponunt & mutuò tol-*

tuò tollunt, quod etiam de non-Ente dici nequit. Talis igitur oppositio, nempe positiva, est inter calidum & frigidum, inter patrem & filium. Notetur hic discrimen inter hasce duas species, quod ex Thoma q. 7. de potentia art. 8. ad quartum assumit Suarez disp. Metaph. 45. sect. 1. dist. 8. *his verbis: Relativè opposita non semper sunt inæqualiter perfecta, scilicet quoad oppositas relationes. Quod quidem in relationibus creatis manifestè constat, si sint mutuæ & æquiparantiæ. In non mutuis enim non potest fieri hæc comparatio, cum in altero extremo nulla sit relatio realis: in relationibus autem creatis disquiparantiæ semper altera invenitur minus perfecta, ut inductione patet, in relatione patris & filij, majoris & minoris; & similibus. Et ratio est, quia fundamentum talium relationum semper est in altero extremorum cum aliquâ imperfectione, aut saltem cum minore perfectione. Solùm in relationibus increatis, etiamsi disquiparantiæ sint, invenitur æqualitas propter oppositam rationem. At verò in contrariè oppositis semper alterum est minus perfectum quàm aliud, vel ob generalem rationem, quod sub eodem genere, specie differant; quæ autem sic differunt, sunt inæqualiter perfecta: vel ob specialem naturam contrariorum, quorum unum semper est potentius alio.*

Discrimen contrariæ & respectivæ oppositionis.

Theorema XVII.

Oppositio contraria est inter contraria. Contraria autem sunt, quæ sub eodem genere maximè distant

distant & ab eodem subjecto se mutuò expellunt.

Oppositio prima fuit inter Ens & non-Ens negativum. In contradictione enim negatio omnis Entis Enti opposita fuit. Altera inter Ens & non-Ens privativum, quod in eo accedit ad Ens, quod una cum suo Ente opposito, hoc est, cum suâ formâ requirat commune subjectum. Vnde etiam licet in nullo prædicamento sit privatio, siquidem non-Ens non potest esse species Entis; tamen reducitur ad id prædicamentum, ad quod habitus ejus pertinet, Ita cæcitas, quanquam sit non-Ens & potius carentia rei debitæ, quàm ipsa illa res; tamen ad prædicamentum qualitatis pertinet. Vnde, inquam, intelligitur, quod privatio aliquo modo accedat ad naturam Entis. Quando itaq; pugna illa privativa magis adhuc ad Ens accedit, nascuntur contraria, quæ ab utraq; parte positiva sunt: ut frigiditas, caliditas, siccitas, humiditas. Falsa enim est opinio Cardan. lib. 2. subt. *quâ putat, frigus aliud nihil esse, quàm absentiam caloris. Falsa, inquam, est hæc opinio. Edit enim positivas operationes, quas à privatione proficisci planè est* ἀδύνατον. *Vnde meritò contraria tertium locum inter opposita tenent.*

Definitio contrariorum est Aristotelis lib. 10 *Metaph.* c. 4. & lib. Categ. c. 6. § 25. *In quâ duo tenenda veniunt. Prius est, quod dicitur,* contraria esse, quæ sub eodem genere maximè distant; *posterius,* contraria ex eodem subjecto se mutuò expellere. *Prius distinguit primo contraria à privativè & contradictoriè oppositis. Quandoquidem*

Duo notanda in contrariis.

*dem hæc primò diversa habet, propterea quod alterum
extremum sit negativum, quod cum altero positivo
realem convenientiam habere nequit, unde sub eodem
genere non continentur. Quod autem contraria debe-
ant esse generis ejusdem, demonstrant ex Philosopho
hunc in modum: Inter contraria est ordo per se in or-
dine ad transmutationem. Ex natura enim rei fit
transitus ab uno ad aliud & contra. Ergo inter quæ
talis est transmutationis vicißitudo, inter illa etiam
est contrarietas. Atqui talis vicißitudo transmuta-
tionis tantùm reperitur per se in illis, quæ sub eodem
genere sunt, non quæ genere differunt. Nam ex loco,
quatenus locus est, non fit transitus ad qualitatem; sed
ad locum, quemadmodùm nec à qualitate fit transitus
ad locum, sed ad qualitatem: frigus enim expellit ca-
lorem, non locum: unde simul intelligitur, quod con-
traria ejusdem speciej esse nequeant, quia alioquin ita
inter se non pugnarent. Differre itaq; debent secun-
dum formam & speciem, quod non fieri potest nisi sub
eodem genere; nec non vim & potestatem habere in se
mutuò agendi. Vnde infertur, quod illis etiam Idem
subjectum sit attribuendum, adeoq; in uno subjecto
mutua in se invicem actio. Quocirca genus, in quo
convenire debent contraria, licet videatur Logicè su-
mi in definitione: tamen id Physicè quoq; intelligere
debemus.*

Quæstio. 1.

Duo hic objici possunt: Primum an sem-
per sub eodem sint genere contraria. *Negati-
va videtur demonstrari posse ex Philosopho, qui lib.*
Categ. c. 11. §. 6. *docet, contraria vel in genere, vel
ipsa genera esse. Admodum hic se torquent interpre-
tes. Re-*

tes. *Respondemus verò ex Thomâ* 1.part.q.48.art.1. **Responsio.**
ad tertium. *Aristotelem, quando dicit, contraria esse ipsa genera, loqui de bono & malo morali, quod manifestum est ex ipso contextu, quando virtutes & vitia ut exempla subjicit. In moralibus verò non est contrarietas formaliter, ratione malitiæ, quòd hæc in privatione consistat, ut paulò post videbimus: sed ratione ipsius actus vel habitus, qui virtuti est oppositus: & qui est quasi subjectum illius malitiæ. Adeoq; & hæc contraria sunt in eodem genere, non ratione qualitatis tantùm; sed habitus quoq; vel actus. Quia verò ratione bonitatis & malitiæ habitus illi maximè distare videntur, peculiariter in ratione boni & mali opponuntur. Qualitas enim bona, quæ vel secundùm se appetibilis est, vel convenit subjecto, opponitur qualitati malæ, quæ vel secundùm se non est appetibilis, vel quæ non convenit subjecto: sic opponitur justitia injustitiæ: item calor, qui convenit subjecto, bonus dicitur, & ratione hujus bonitatis quoq; frigori opponitur, quod subjecto non convenit. Aliàs bonum & malum non sunt duo summa genera, præter decem illas Categorias. Cum bonum tot modis dicatur, quot Ens: adeò ut bonum sit substantia, ut DEVS, vel qualitas, ut virtus &c. ut constat ex* 1. Eth. c. 6. *& ex ijs, quæ in præcedentibus à nobis tractata sunt, & in sequentibus specialius tradentur. Vnde intelligimus bonum & malum in illa oppositione non pro veris generibus, sed pro certis certarum specierum, sub eodem genere contentarũ, conditionibus contrarijs sumi.*

Alterum dubium est de quantitate distantiæ contrariorum. *Dicitur in definitione, quod* **Quæstio 2.**

illa debeat esse maxima: cùm autem unius distantiæ maximæ duo tantùm sint extrema, sequitur quòd unum uni tantùm sit contrarium. Arist. lib. *1.* Metaph. c. 4. *Atqui unum tantùm non semper uni est contrarium. Dantur enim interdum media. Immotum per hæc manet axioma: Vnum uni tantùm verè & propriè dici & esse contrarium in singulis contrariorum generibus: cùm vera contrarietas consistat in maximâ distantiâ: media illa, quanquam contrarietatem aliquam habeant: contraria tamen vera non sunt. Atq; hoc potissimùm verum est de mediis coloribus, & similibus, quæ sunt media per participationem utriusq; extremi respectu extremorum. Non sunt illa verè contraria, quia terminos extremos non omninò excludunt; sed in se continent vel formaliter, vel virtute.* Dubium de virtute. *Quid autem de virtute statuendum? Hæc videtur maximè contraria vitio, licet non maximè ab eo distet. Quandoquidem vitia inter se distant extremè & maximè. Respondetur duplici modo considerari virtutes & vitia: primò ut sunt habitus atquè eo modo non continentur sub eodem genere proximo, ideoquè non necesse est, ut simpliciter summè distent. Hoc respectu rectè dicitur magis distare inter se vitia, ut contenta sub eodem proximo genere, quàm virtutes & vitia. Altero modo considerantur secundùm oppositionem moralem, ut hæc virtus, hoc vitium, circa hanc vel talem materiam: sub eâ ratione sunt simpliciter contraria, & maximè distant negativè. Quando itaquè contraria extremè dicuntur distare, intelligendum hoc est de contrariis, quæ per sese & simpliciter sunt contraria & se mutuò expel-*

expellunt. *Atq; de illis etiam simpliciter verum est*, unum uni tantùm esse contrarium, *ut se explicat ipsemet Philosophus* lib. *i.* Metaph. c.6.8.& 9. *ubi expressè inquit: hoc verum simpliciter esse de contrariis extremè, non de mediis. Unde etiam alio modo ita respondere possumus, absurdum non esse, quòd malum & bono & malo simul opponatur, cùm uni opponatur ut extremo, alteri ut medio. Atq; dicere etiam possumus unum contrarium uni tantùm opponi, quando sunt adæquata & possident universam materiam contrariè oppositam. Quia itaq; unum vitium non possidet totam latitudinem materiæ & ejus actum oppositæ virtutis: (Nam, verbi gratiâ, liberalitas inclinat tùm ad dandum, tum ad retinendum quando & quomodo recta ratio jubet & suadet. Avaritia verò tantùm illi opponitur, quatenus inclinat ad retinendum) Necessariò igitur duo vitia uni virtuti opponuntur: Et unum uni simul opponitur, quatenus actus dandi & recipiendi secundū rectam rationem est in liberalitate: Actus vero dandi & recipiendi aberrās à rectâ ratione in Avaritiâ & prodigalitate.*

Huc pertinet distinctio contrariorum in mediata & immediata: *Contraria mediata sunt, inter quæ est aliquod medium, atque propterea illorum non necesse est alterum inesse subjectis, in quibus apta nata sunt esse. Vt nigrum & album apta nata sunt esse in corpore; sed non semper alteratrum inest: potest enim aliquod inter hæc medium illi inesse, ut fuscum, pallidum, aut alius aliquis color medius inter album & nigrum. Atque contraria hæc mediata duplicia sunt: nonnullorum enim media habent nomina,* Distinctio contrariorum.

" ut inter album & nigrum sunt fuscus, pallidus & alij
" colores: Nonnullorum verò media nominibus carent,
" & describūtur negatione utriusq; contrarij, ut mediū inter bonum et malum, neq; honestū, neq; inhonestū est. Immediata cōtraria sunt, inter quæ nihil est medium, quare illorum semper alterum necesse est esse in illo subjecto, in quo apta nata sunt esse: ut bona & mala valetudo apta nata est esse in corpore animali, par & impar apta nata sunt esse in numero. Semper itaq; istorum alterum est in corpore animali & numero, nec unquam tertium sive medium. Excipis: Inter sanum & ægrum dari medium, quod Medici vocant οὐδέτερον. Illud verum medium non est. Omnis enim declinatio præter naturam est morbus, etiamsi una gravior sit alterâ. Vt enim omnis recessus à recto est curvatio: (licet aliud alio sit incurvius) ideoq; inter rectum & curvum non datur medium: ita neq; inter sanum & ægrum. Atq; hoc de priori membro definitionis contrariorum.

Affectiones contrarij. 1. Ex posteriore membro intelligitur, primò, contraria debere versari circa idem subjectum, in quod, vel circa quod suam contrarietatem poßint exercere. Illud igitur subjectum, quod est substantia, non erit contrarium. Ergo substantia substantiæ non est contraria, ut rectè docet Philosophus lib. Categor. c. 5.

2. Secundò, quòd contraria in eodem subjecto esse non poßint. Quæ enim se mutuò eijciunt ex eodem necessariò, in eodem esse nequeunt.

Dubium. Dubitatur autem, an affectio hæc contrariorum, nempe quod se mutuò expellant, sit universalis: multa enim sunt contraria, quæ hanc vim non habere viden-

videntur. Frigus enim non potest expellere calorem ex igne, nec siccitas potest expellere humiditatem ex aqua, nec nigredo albedinem à nive. Respondetur ad contrarietatem monstrandam sufficere, si ostensum fuerit in quibusdam subjectis contraria pugnare, & se mutuò expellere, licet in omnibus id non fiat, quando nimirum sunt tales affectiones, quæ non possunt sine formæ destructione naturaliter à rebus abesse. Quocirca licet talis expulsio & pugnantia in igne fieri nequeat, tamen in aliis ea est frequentissima: Sic una eademq; aqua modò est calida, modò frigida; Unus idemq; paries modò est albus modò niger. Solut.

Deinde cum dictum sit, contraria in eodem subjecto simul esse non posse, quæritur; an id de absolutâ potentiâ sit intelligendum, hoc est, an etiam DEUS non possit facere, ut duo contraria, nempe in summo gradu, sint simul in eodem subjecto? Multi putant id fieri non posse etiam per infinitam Dei omnipotentiam, sive per potentiam absolutam, cùm illis videatur implicari contradictio. Sed falluntur, quia Unum contrarium non habet immediatam & formalem oppositionem negativam cum alio, sed eam affert mediatè, quatenus nimirum unius effectus naturaliter est incompossibilis (ut loquuntur,) cùm alterius effectu. Non itaq; contradictionem infert positio duorum contrariorum per se. Quocirca quia illa incompossibilitas (liceat ita cum barbaris eruditè loqui) naturalis est, & à potentiâ naturali dependet, DEUS, qui ad naturam alligatus non est, eam impedire potest, simulq; eundem effectum positivum in eodem subjecto conjungere, ita ut simul sit calidum, ut decem & simul sit

Dubium aliud?

Solutio.

mul frigidum, ut decem. Atque ita in ordine ad potentiam divinam affirmatio unius, negationem alterius non infert. Nam licet hæ contrariæ qualitates, caliditas & frigiditas, ex suâ naturâ sint aptæ, quæ se mutuo expellant: non tamen contra illarum essentiam est, neque illa tollitur, si DEVS impediat, ne illa aptitudo in actum producatur. Vnde iterum infertur pro Theologis nostris, si absolutâ potentiâ possibile est, ut idem sit calidum & frigidum, hoc est, ut contraria sint in eodem subjecto: cur eidem potentiæ impossibile erit; ut Idem corpus sit locale & illocale, ratione nempè diversâ.

Theorema XVIII.

Contraria per se sunt, quæ ratione propriâ sunt contraria. Cótraria per aliud sunt, quæ ratione aliorum sunt contraria.

Contraria sunt vel per se, vel per aliud. *Hanc distinctionem innuit Philosophus, tum lib. Categor. tùm in Metaph. Contrariorum per se, varia numerari possunt genera.* Contrariorum per se genera varia. *Vnum est eorum, quæ sub uno genere plurimum distant, ut album & nigrum sub colore. Alterum eorum, quæ in eodem δεκτικῷ plurimum distant, ut sanum & ægrum in animali. Tertium eorum, quæ cadentia sub eandem facultatem, sive naturalem, sive acquisitam, maximè distant, ut dulce & amarum sub gustum, suasio & dissuasio sub Oratoriam. Contrariorum quoque per aliud*

Contraria per aliud.

aliud varia sunt genera. 1. per aliud contraria dicuntur, quibus contraria insunt, ut ignis & aqua. 2. quæ proclivia sunt ad recipienda contraria, ut puer bonæ indolis ad virtutem propensus est; malæ, ad vitia. 3. Quæ afficere vel affici possunt contrariis: ut homines bonæ constitutionis & valetudinarij. 4. Quæ contrariis afficiunt vel afficiuntur ut venena & antidota. 5. per quæ contraria abijciuntur aut accipiuntur, ut bona & mala institutio. 6. quæ contrariorum sunt habitus, ut scientia & error. 7. Quæ sunt privationes contrariorum præcipuè immediatorum, ut privatio sanitatis & ægritudinis.

Tandem coronidis loco notetur, quòd disparatio *sive* disparatorum oppositio *ad contrariorum oppositionem referatur. Est enim oppositio specierum sub uno genere contentarum. Vt homo & brutum; quas ipse Philosophus* lib. δ. Meta. *contrarias vocat.* Disparata *sunt vel* completa, *vel* incompleta. Disparata completa, *ad unum essentiale constituendum nunquam concurrunt. Vt homo & equus, unum essentiale constituere nequeunt.* Disparata incompleta *sunt completorum principia, adeoque unum essentiale constituere possunt. Vt materia & forma constituunt unum essentiale corpus: Corpus & anima rationalis unum essentialem hominem. Pertinent etiam huc* repugnantia, *quæ juxta Hotomanum* lib. 1. Dial. cap. 22. *sunt contrariorum antecedentia & consequentia. Vt nigrum esse; & visum disgregare, pugnātia sunt: Sic prudentem esse & non posse dissimulare iram. Hoc namque imprudentis est.*

Proverb. 12. *Aliàs repugnantia in genere sumuntur pro oppositis, diversis & disparatis.*

Theorema XIX.

Relativè opposita sunt, quæ id ipsum quod sunt, oppositorum dicuntur.

Oppositorum hactenus explicatorum semper unum tollit alterum. Nam contradictoriorum uno existente, falsum est alterum: positoq́; habitu, tollitur privatio: & contraria non possunt esse simul in eodem subjecto: nondum tamen talia opposita habuimus, quæ se mutuò necessariò ponant. Non enim verum est, posito uno contrariorum, poni & alterum, & posita nigredine, necessariò poni albedinem. Potest enim albedo sine nigredine & hæc sine albedine habere suum esse, definiri & intelligi. Neque contrariorum unum habet suam essentiam ab altero. Quandoquidem quod verum est, per se verum est, non respectu contradictorij falsi: sic visus esse posset & habitus, etiamsi nullus esset cæcus; sive nulla esset privatio. Neque igitur habitus suam essentiam habet à privatione. Quando itaq́; duo opposita illius sunt naturæ, ut non tantum sint duo ὄντα positiva, veluti contraria; sed insuper etiam alterum sit ab altero & propter alterum sit Ens, oriuntur relativè opposita, quæ definita sunt, id ipsum, quod sunt, oppositorum dici, ut relatum & correlatum, quæ respectu ejusdem non possunt eidem inesse: ut pater non potest esse pater respectu sui vel unius. Vt itaq́; se habent relata & correlata; ita

quoque erit natura relativè oppositorum, de quibus infra specialius agetur.

Ex his itaq; facilè intelligitur, sufficientia quatuor specierum oppositionum, quæ vulgò numerantur. Inter oppositionem enim positivam & negativam nullum dari vel excogitari potest medium, non aliter atq; inter negationem & affirmationem nullum est medium. Negativa verò oppositio iterum tantùm duobus modis potest sumi, nempe vel simpliciter, vel cum determinatione subjecti: positiva enim tantùm est vel absoluta, vel cum aliquo respectu. Vbi etiam medium nullum est. Ergo sufficiens est quaternarius oppositorum specierum numerus.

EXERCITATIO DECIMA QUINTA.

DE ÆQUALI ET SIMILI.

Theorema I.

Æqualia sunt, quorum una est quantitas.

De prioribus Unitatis modis hactenus; sequuntur posteriores: æquale, cujus oppositum est inæquale; & simile, cujus oppositum est dissimile. *Æqualitas ab unitate est, unde eam definimus, quòd sit unitas quantitatum, & æqualia, quorum quantitas una est. Sic Iohannes & Marcus æquales dicuntur propter eandem staturam & quantitatem. In unitate itaq; fundatur Identitas, in Identitate æqualitas. Fundamentum itaq; ut cum* Ordo.

Logicis loquar, hujus conditionis & relationis est unitas. Arist. lib. ζ. Metaph. t. 19. *Æquale definit, quod cùm nec parvum nec magnum sit, naturâ tamen aptum est & magnum & parvum esse*. Videatur Soncinas 5. Metaph. quæst. 34. *Tot autem species æqualiũ numerari possunt, quot quantitatum. De quibus hîc fusius agere operæ pretium non est. Quid etiam inæqualitas sit ex æqualitatis descriptione intelligitur*. Sequuntur similia.

Theorema II.

Similia sunt, quorum qualitas una est.

Similitudo fundamentum non habet qualitatem, prout qualitas est; sed prout induit modum quantitatis, quod optimè ex δ. Metaph. cap. 15. *colligitur, quando æqualia & similia, quòd unum numeri principium sit & mensura, ad aliquid secundùm numerum dicuntur. Quemadmodum enim æqualia dicta sunt, quod eorum quantitas est una, ita similitudo fundatur supra qualitatem, ut una est*. Videatur Arist. lib. δ. Meta. c. 9. Averroës Epit. Met. tr. 1. *Notetur hic regula*: Omne simile est etiam dissimile. *Si enim dissimile non esset, non esset simile, sed simpliciter Idem. Vnde illa trita*: Simile non est idem. *Item*: Omne simile claudicat. *vel* Nullum simile currit quatuor pedibus. *Alias similitudinis species tot numerantur, quot qualitatis, de quibus suo loco. In genere verò secundùm Philosophum* lib. δ. Metaph. c. 9. *similia dicuntur quatuor modis*. 1. *quæ idem sunt passa, quod ferè accidit secun-*

Similia quatuor modis dicuntur.

secundùm qualitatem, ut qui morbo quodam pallorem aut ruborem contraxerunt. 2. quæ omninò inter se sunt similia secundùm speciem & formam, vel quæ iisdem pluribus, quàm diversis, sunt affecta, uti maxima ex parte solent esse gemelli, qui vix internoscuntur. 3. quorum qualitas est una: ut calida secundùm calorem sunt similia. 4. quæ pluribus aut præstantioribus contrariis, quibus fit alteratio, affecta sunt, ut duo vina habentia eundem colorem, odorem, saporem: hic sapor est potior vini qualitas, quàm color. Oppositis modis dissimilia dicuntur. Hæc de similibus & ultimo Unius modo.

Coronidis loco hic annotetur, quot modis unum per se (nam species unius per accidens supra numeratæ sunt Exercit. 7. Theoremate 1.) dicatur Aristoteli lib. δ Metaph. c. 6. Primum unum dicuntur ea, quæ sunt continua sive per artem, ut fascis ratione vinculi, mensa ratione glutinis, sive per naturam, ut animal, lapis, linea. 2. aliqua dicuntur unum, quia habent subjectum unum, vel ejusdem rationis; ut omnia generabilia unum dicuntur in materiâ. 3. Quædam dicuntur unum secundùm genus, sive id sit propinquum, sive remotum, ut homo, equus, canis, sunt unum in animali. 4. Dicuntur unum, quæ ratione sive definitione conveniunt, hoc est, quæ Unum sunt in infimâ specie. Eo modo unum sunt Plato, Socrates, Aristoteles; quia sunt animalia rationalia, hoc est, homines. 5. Unum dicuntur ea, quæ & ratione & re unum sunt, hoc est, quæ sunt numero unum, ut Socrates, & hic homo, eodem monstrato.

Unius per se modi Aristotelis.

EX-

EXERCITATIO DECIMA SEXTA.

DE VERITATE.

Typus hujus Exercitationis.

(N.) Verum (th. 1.) Est vel. th. 2. { Complexorum. Hoc propriè Logicæ considerationis est
Incomplexorum: cujus natura in sequentibus theorematis describitur. 3. 4.

Theorema I.

Veritas est congruentia rei cum intellectu.

Unum hactenus fuit, Verum sequitur. Ordinis hujus ratio explicatur supra Exerc. 6. theor. 3. *Ne autem ambiguitate vocabuli veritatis decipiamur, tenendum initiò est, veritatem, vel verum, duplex esse, nempe* νοητικὸν, *quod percipit simpliciter* νοῦς: *aliud esse* διανοητικὸν, *quod* διάνοια *apprehendit, quando aliquid affirmando componit, vel negando dividit. Vel, ut alij volunt, veritas triplex est, vel est in significando, vel in cognoscendo, vel in essendo. Primam propriè esse dicunt in vocibus, scripturis, vel etiam conceptibus, quæ veritatis consideratio ad Logicam referenda est. Altera in intellectu, res cognoscente, ponitur, vel potius in cognitione vel conceptione ipsarum rerum in intellectu, quam ad Physicam pertinere statuunt, prout illa de animá, ejusq; functionibus considerat. Postrema in rebus ipsis est, à qua res*

Verum duplex.

Secundum alios Veritas triplex.

res denominantur veræ & à fictis distinguuntur. Ut hac veritate aurum verum dicitur, quando ab apparente distinguitur; & homo verus, quando à picto discernitur. Hæc veritas transcendentalis dicitur & est propria hujus scientiæ, insinuata ab Aristotele li. α. Minor. Metaph. t. 4. *dum ait.* Ut unumquodq; est Ens, ita est verum. *Quæ tres species iterum ad duas contrahuntur, nempè ad veritatem* Logicam *sive* judicij, *vel ut* Scaliger exerc. 307. sect. 27. *loquitur*, orationis, *quâ conjunguntur priores duæ species*: & veritatem rei, *quæ est simplicis apprehensionis, quæ propriè hoc loco veritas dicitur.* Est enim adæquatio intellectus & rei: *illa tantum veritas dicitur per analogiam ad hanc, quandoquidem consistit in adæquatione inter propositionem significantem & rem significatam. Fallunt itaq; & falluntur, qui veritatem transcendentalem in compositione & divisione sive in affirmatione & negatione ponunt. Ubi enim est conformitas & congruentia rei cum intellectu, ibi est veritas, juxta* Theorema *nostrum. Atqui in ipsâ rerum Entitate ante ordinem ad compositionem & divisionem sive affirmationem & negationem danda est aliqua conformitas ad simplicem apprehensionem: Quia ante compositionem vel divisionem illam dantur Entia. ὄντα enim non solùm sunt ὄντα, quatenus de illis actu vel potentiâ aliquid affirmatur vel negatur; sed ante omnem affirmationem & negationem suâpte naturâ sunt Entia.* ἕκαστον *enim* (*quæ verba jam allegavimus*) ὡς ἔχει τοῦ εἶναι, οὕτω καὶ τῆς ἀληθείας. Ut unumquodq; se habet ad esse, ita etiam

secun-

ſecundùm veritatem: Ariſt.lib. ά. ἐλάτ.] c.1. *Ergo in ſimplici apprehenſione quoq; veritas quædam eſt, & omnia ὄντα vera ſunt. Omnia enim ὄντα juxta allegatum textum Philoſophi per ſuam Entitatem vera ſunt & dicuntur. Vnde Verum adæquata affectio intelligitur Entis, nudâ ratione diſtracta ab illo: Cùm dictum ſit, quod omnis res dicatur vera per ſuam Entitatem, non per modum quendam ſuperadditum: Si enim res Entitatem habet, etiamſi omnē alium modum ſepares; intelliges manere rem veram ſive in ratione Entis, ſive in ratione talis Entis; quale aptum eſt tali conſtitui Entitate. Atque hoc eſt,* quod habet Thomas diſt. quæſt. 16. 1. part. art. 3. ad 3. *Quamvis, inquit, Ens poſsit apprehendi non apprehenſa ratione veri (ſcilicet formaliter): tamen é contrario non poteſt apprehendi verum, quin apprehendatur ratio Entis: quia Ens cadit in rationem veri: neque etiam poteſt apprehendi ens, niſi ad eam apprehenſionem ratio veri conſequatur, hoc eſt, ut ex*plicat Suarez, *quin ipſum Ens, quantumvis præcisè conceptum, verum ſit, & ſub ratione veri apprehendi poſsit, etiamſi nulla perfectio abſoluta ei addatur. Explicat porrò rem exemplo* Thomas: *Et eſt ſimile, inquit, ſi comparemus intelligibile ad Ens, non enim poteſt intelligi Ens, quin Ens ſit intelligibile; ſed tamen poteſt intelligi Ens, ita ut non intelligatur ejus intelligibilitas; & ſimiliter Ens intellectum eſt, Verū, non tamen intelligendo Ens, intelligitur Verū. Veritas itaq; Entis in ipsâ Entitate cōſiſtit, quàm definivimus congruentiam ſive conformitatem rei cum intellectu.*

In definitione hâc genus eſt conformitas

ſeu

seu congruentia. *Omnis enim veritas conformitas & congruentia est; sed non omnis conformitas sive congruentia est veritas. Nã æqualitas inter duo quanta, item similitudo inter duo qualia, conformitas & congruentia quædam est; sed non est veritas. Limitatur itaq; genus hoc differentiâ specifica, nimirum* quod sit conformitas rei cum intellectu. *Quæ conformitas, ut rectè docet* Suarez. disput. Meta. 8. sect. 7. dist. 8. *duplex intelligi potest: Actualis & aptitudinalis. Actualis in hoc tantùm consistit, quod res talis sit, qualis actu intelligitur: aptitudinalis verò in hoc, quod res sit talis, ut vero & proprio cõceptu talis res intelligi possit. Neq; veritas hæc supra Ens addit aliquid reale. Quandoquidem nullum transcendens ad Ens addit reale & positivum, quod ab ente tantùm formaliter distinguatur. Quia igitur verum transcendẽs est, supra Ens nihil addit reale, neq; ab Ente reali distinguitur realiter. Præter autem positiva realia nihil superest, quàm relatio rationis, negatio, privatio, et commentitium. At Verum commentitium non esse manifestum est, & demonstrabitur in sequentibus. Ergo verum aut relatio rationis erit, aut negatio, aut privatio. Non autem Verum dicit negationem aut privationem sicut unum, quod Enti, uti diximus, addit indivisibilitatem, adeoq; negat divisibilitatem: Verum enim nomen positivum est, non privativum, sive negativum. Ergo Verum necessariò dicit relationem. Qualis autem illa sit diximus, nempe congruentia sive conformitas.* Videatur Heruæ. 1. distinct. 19. q. 3. Fonseca 4. Meta. c. 2. q. 6. s. 2. Javel. de transc, & de vero. & 6. Metap. q. 13.

Veritas est conformitas.

Conformitas illa duplex.

Verum dupliciter sumitur.

Sonc. q. 16. *Vt autem Vnum dupliciter fuit acceptum; ita etiam verum dupliciter sumendum est. 1. pro concreto ex Ente & superaddita veritate, quomodo Ens includit: cum nulla Entis simplex passio realiter à suo subjecto sit distincta. Atq; ita acceptum verum reale est & positivum. 2. pro formalitate ipsius veri præcisè abstracti ab Ente: quo modo Ens non includit, cùm nulla propria passio in formalitate suâ subjectum habeat. Fieret enim subjecto longè nobilior & perfectior: quippe cùm & ipsius subjecti naturam in se contineret, & novam insuper affectionem superadderet. Imò & noster intellectus formaliter veritatem sine Entis mentione concipit. Veritatem hanc abstractam definivit* Isaac *adæquationem rei & intellectus: quâ definitione & nos & omnes vulgò Metaphysici utuntur; &* Anshelmus *de verit. Veritas, inquit, est rectitudo solâ mente perceptibilis. Vnde manifestum est veritatem consistere in ratione & conceptibus, nec distingui realiter ab Ente. Ex quo iterum concluditur, veritatem abstractam Ens reale non esse ab Ente distinctum. Interim tamen falsitas rectè ejus dicitur privatio, quia Ens rationis, quòd ponit veritas, aufert, nempe convenientiam rei cum intellectu.*

Theorema 11.

Veritati rei sive transcendentali mente conceptæ non opponitur falsitas; sed ignorantia: Veritati

ritati verò Logicæ semper falsitas opponitur & contradicit.

Veritas vel est incomplexorum, vel complexorum, *quæ Logica dicitur, & de qua hoc loco propriè non agitur. Veritati incomplexorum sive rei falsum non opponitur: Nam Incomplexorum sive indivisibilium intellectio in iis est, circa quæ non est falsum.* Ἡ μὲν τῶν ἀδιαιρέτων νόησις ἐν τούτοις, περὶ ἃ οὐκ ἔστι τὸ ψεῦδος, *inquit Philosophus* lib. 3. de anima. c. 6. t. 21. *Et statim in sequenti* textu 22. *subjungit Aristoteles* τὸ γὰρ ψεῦδος ἐν συνθέσει: Καὶ γὰρ ἂν τὸ λευκὸν, τὸ μὴ λευκὸν συνέθηκεν. *Falsitas enim in compositione semper consistit: nam si album non album esse dicat, ipsum tum non album, componit. Veritati itaq; quæ in compositione est, hoc est, veritati Logicæ falsitas opponitur: Huic transcendentali minimè. Si enim falsitas huic veritati opponatur, tum secundùm idem subjectum ei opponetur. Veritas autem hæc rei est, ideoq; in re est. Est enim & consistit in ipsâ rei Entitate. Ergo & falsitas, veritati rei opposita, erit in ipsâ re, & in ipsâ rei Entitate. Atqui in rei Entitate non est falsitas: quia falsitas est in non-Ente, quod Enti contradictoriè opponitur. Quod autem falsitas opposita veritati non sit in Ente probatur: nam omne falsum tollit verum: Ergo falsitas rei tollit veritatem rei, & ubi falsitas rei est, ibi res non est, ibi Ens non est. Ergo falsitas neq; est in Ente, neq; in Entitate, hoc est, verum transcendentale & Ens convertuntur. Ergo falsum & non-Ens convertuntur. Atq; ita falsum est*

non-Ens, & per consequens Ens tantùm est verum &
nequaquam falsum. Atq; hoc est, quod cum Philo-
sopho *statuimus, verum cum Ente converti, hoc est,*
omne Ens esse verum, & omne verum esse Ens; quod
sanè falsum esset, si in Ens quoq; falsum caderet, idq;
falsum dici posset. Hæc ut rectè intelligantur, notanda
est distinctio veritatis, quâ Suarez *& Neoterici Scho-*
lastici sæpius utuntur & distinguunt inter verita-
tem conceptam, & veritatem exercitam *sive*
in actu exercito. Concepta veritas *est veritas*
quiditativa, quâ nimirum mens simpliciter speciem
intelligibilem apprehendit & concipit, ipsaq; species
in mente existit, ipsam rem extra mentem positam
repræsentans. Atq; hæc repræsentatio conformitas
quædam est rei ad intellectum, & intellectus ad rem:
propter quod dixit Arist. lib.3. de anima c.8. *ani-*
mam intelligendo fieri omnia: quia per repræsenta-
tionem hanc omnibus conformatur. Conformitas itaq;
illa veritas quædam est, quia ei competit definitio ve-
ritatis: Adde quod in intellectu divino & angelico est
perfectißima veritas, nec tamen in eis compositio vel
divisio concedi potest. Simpliciter enim rem cogno-
scit. Cur itaq; in nostrâ mente sive intellectu, simpli-
citer cognoscente, planè nulla veritas inerit? Tandem
conceptam hanc veritatem, veritatem esse, tali pro-
batur Syllogismo: quodcunq; est conforme & adæqua-
tum suæ mensuræ & suis principiis, id habet propriam
veritatem: Atqui in conceptu simplici est conformitas
ad objectum, tanquam ad suam mensuram & princi-
pium, cui debet conformari: Est igitur in eo veritas.
A

Veritas concepta & exercita.

Atq; hæc est veritas concepta, cui falsitas, uti diximus, opponi non potest. Nam si rei simplicis sive intelligibilis species in mente est, tum necessariò vera est: si autem species intelligibilis ejus rei, quà intelligi nata est, in mente non est, tum nulla est, quia species intelligibilis tantùm in mente est, quod autem non est, id neq; verum neq; falsum est. Ergo species intelligibilis, quæ in intellectu non datur, neq; vera neq; falsa erit; sed nulla: Erit enim privatio ejus, ut loquitur Averroës, vel ut nos in Theoremate, ignorantia, quæ falsitas dicitur per accidens: Verbi gratia, qui Rhinocerotis speciem in mente concepit, vera illa est species & conceptus verus: qui verò Rhinocerotem esse ignorat, is nihil falsi intelligit, sed planè nihil intelligit de Rhinocerote.

Veritas porrò in actu exercito, fit cognoscendo res & proprietates earum, prout à parte rei insunt: Suarez disput. Metaph. 8. in initio; hoc est, veritas in actu exercito veritatis conceptæ species accommodat rebus & cum illis componit, quod fit non primâ sed secundâ mentis operatione, in quâ operatione non tantùm veritas, sed falsitas quoq; inest. Vt docet Arist. lib. 3 de anim. c. 6. t. 22. modo allegato. Falsitas verò oritur in compositione, quando conjunguntur ea, quæ conjungi non debent; vel dividuntur, quæ dividi non debent. *Veritas exercita.*

Vbi notandum est, duplicem esse compositionem & divisionem: una in re est; altera in διανοίᾳ sive intellectu exercito, ut loquuntur. Res ratione compositionis & divisionis in triplici sunt genere. Quædam *Compositio & divisio duplex.*

enim res semper componuntur, ut impoßibile sit eas dividi posse; ut hominem esse animal, quæ duo nexu naturali & neceßitate definitionis cohærent. Animal enim de definitione hominis est. Quædam propter ἀντιδιαιρέσεως naturam semper dividuntur, nunquam componuntur; ut homo & arbor; arbor & lapis: quædam utroq; modo se habere possunt, interdum componuntur, interdum dividuntur, ut paries & albedo: interdum enim paries est albus; interdum non est albus. Compositio in διανοίᾳ, quæ compositio Logica & enunciationum sive propositionum est, dependet à compositione & divisione in rebus facta: quæ si cum rebus consentit, & ita applicatur, prout res se habent, provenit inde Verum: verbi gratiâ, hominem & animal in rebus convenire diximus: si itaq; affirmando conjunguntur, veritas oritur: nempè vera enunciatio affirmativa: homo est animal. Hominem contra & arborem, item arborem & lapidem, in rebus dissentire audivimus: Ergò si negando separantur; veritas oritur, nempe vera enunciatio negativa: homo non est arbor: arbor non est lapis. Quando itaq; res (uti diximus) compositæ dividuntur, & divisæ conjunguntur, hoc est, quando species intelligibiles sive Ideæ non componuntur in rebus, oritur falsitas, verbi gratia, res compositæ sunt; homo & animal: quæ si dividantur negatione, oritur falsitas & falsa enunciatio: Homo non est animal. Idea quidem hominis, Idea etiam animalis, vera est; sed ex negativâ compositione oritur falsitas. Eodem modo res divisæ sunt, homo & arbor; quæ si conjungantur affirmatione, oritur fal-

sitas

sitas, & falsa enunciatio: Homo est arbor. Res intelligibilis homo, item arbor, vera est: Affirmativa verò compositio falsitatem infert. Pari modo se habent, quæ interdum componi, interdum dividi possunt. Hæc enim si actu composita sunt, & dividuntur, oritur falsum: si contra actu divisa sunt & componuntur, oritur etiam falsum; Ex eodem enim, quod res est, vel non est, propositio vel vera vel falsa est. Rectè enim Philosophus lib. θ. Metaph. c. 10. οὐ διὰ τὸ ἡμᾶς οἴεσθαι ἀληθῶς σε λευκὸν εἶναι εἶ σὺ λευκός: Ἀλλὰ διὰ τὸ σὲ λευκὸν εἶναι, ἡμεῖς οἱ φάντες τοῦτο ἀληθεύομεν. Non propterea quod nos te verè putamus album esse, tu albus es: sed propterea quod tu albus es, nos qui dicimus, verum dicimus. *Res autem in duplici sunt differentiâ: quædam sunt necessariæ, quædam contingentes. Necessariò itaq; composita impoßibile est dividi: necessariò divisa impoßibile est componi. Quocirca simpliciter circa hæc veritas & falsitas est, nec contingit quandoq; vera aut falsa esse, sed simpliciter vel vera, vel falsa sunt. Contingentia verò, quia modò sunt, modò non sunt, adeoq; subinde ratione temporis variantur, illorum quoq; veritas & falsitas variatur. Vnde Philosophus* lib. 3. de an. c. 6. t. 22. *inquit:* ἀλλ' οὖν ἐστί γε οὐ μόνον τὸ ψεῦδος ἢ ἀληθὲς, ὅτι λευκὸς Κλέων ἐστὶν, ἀλλὰ καὶ ὅτι ἦν, ἢ ἔσται. Attamen non solum falsum est aut verum, quod albus Cleon est; sed quod erat aut erit, *hoc est, (ut rectè textum interpretatur* Polus Lauredanus) *secundam operationem intellectus non modò in rerum compositio-*

Rerum duplicitas.

poſitione conſiſtere, ut in præcedentibus pronunciaverat Philoſophus; ſed etiam temporis; quo fit, ut aliqua Enunciatio ſit vera vel falſa, non ratione rei, ſed ratione temporis, ut ſi dicam, heri in magno fui convivio, falſa eſt ratione temporis tantùm, quoniam non heri, ſed aliàs fui, ſtat veritas rei, me fuiſſe in magno convivio, falſitas tamen temporis, quia non heri: & ſi dicerem, heri volavi, falſa eſt tùm ratione rei, tùm ratione temporis. Hæc Lauredanus.

Πορίσματα.

I. Propoſitiones indiviſibilium quales.

Manifeſtum hinc, quid ſit ſentiendum de propo- ſitionibus Indiviſibilium. *Cum enim omnis propoſitio ſit compoſita, cui reſpondeat compoſitio quædam in re, quæ propoſitione ſignificatur; in abſolutè Indiviſibile verò nulla cadat vel diviſio vel compoſitio, liquet propoſitionem indiviſibilis & ſimpliciſſimi per analogiam accipiendam & intelligendam eſſe, cùm non ſimpliciter & primariò denotet veritatem rei; ſed per ſimilitudinem & ſecundariò. Veli cauſsà, quando dicitur,* Deus juſtus, *fit in Enunciatione ſive propoſitione Unum compoſitum ex Deo & juſto, ſive juſticiâ, quæ ſanè in re ſubjectâ non datur. Deus enim ut ſimpliciſſimus & puriſſimus actus eſt, ita & ex ſe & juſticiâ componi nullo modo poteſt, cum juſtitia Dei ſit ipſiſſima Dei deitas &* ὀσία. *Omnia itaq; ejuſmodi prædicata & prædicationes à rebus compoſitis & humanis quidem deſumuntur, & rei ſimpliciſſimæ divinæq; eſſentiæ applicantur; humano more tamen intelligenda & accipienda non ſunt.*

I. Objectio.

Reſponderi etiam ex poſitis fundamentis facilè poteſt objectioni, quæ deſumitur ex ε. Metaph. c. 3. *ubi dicit Philoſophus bonum & malum quidem in re eſ-*

esse; verum autem & falsum non in rebus, sed in mente. Et in proximè præcedentibus: Verum affirmationem in composito habere, negationem verò in diviso: falsum verò hujus partitionis contradictionem &c: Distinguẽdum esse inter veritatem, cui opponitur falsitas, & inter veritatem, cui opponitur ignorantia, sive non ens. Loquitur enim loco allegato Aristoteles de priore veritate, de qua universaliter verum est, solum eam reperiri in compositione & divisione. Posterior autem veritas etiam in simplici cõceptu locum habet, ut explicatum est. Atq; hanc esse genuinam Aristotelis interpretationem ex eo manifestum est, quod in principio illius capitis resumpserit tres divisiones Entis, quibus lib. δ. Met. c. 7. divisum fuit in Ens per se & Ens per accidens. Item in Ens verum, & non-Ens falsum: item in Ens actu & ens potentia, & statim rejicit Ens per accidens & Ens verum. Ergo de illo vero loquitur hic, de quo locutus fuerat supra lib δ. & non de altero, quod cum Ente convertitur, & hæc scientia maximè inquirit lib Metaph. ά ἐλάτ]. c. 2. Solutio.

Intelligitur etiam ex illis, quæ hactenus explicata sunt, falsitatis principium & fundamentum in rebus non esse, cùm illæ, quatenus semper sunt eædem, non possunt non esse, aut aliter esse. Omne enim quod est, sive sit necessarium, sive contingens, quando est, necessario est; non enim potest non esse. Arist. lib. de Interpr. &c. 9. §. 12. Origo itaq; falsi penes animũ est, neq; etiam per se, sed ex accidente, nimirum, quòd res, quæ sunt, non rectè ut sunt, concipiantur ex vitio phantasiæ & per phantasiam apprehensionis ad rem sensilem se male habentis, quæ per sensum vel nihil compertum 3. Falsitatis principium.

habeat, vel malè compertum, illumq́; errorem ad patibilem intellectum transferat, unde poſtea mala factâ in animo compoſitione & diviſione, peregrina à re adeoq; falſa ſequatur affirmationis vel negationis Enunciatio. Falſi itaq́; cauſſæ ſunt ſenſuum & experientiæ error, illiusq́; ad intellectum mala accommodatio, quæ ex infirmitate naturalis ingenij in materia ſubmerſi, quodq́; nō Logicæ inſtitutio & cognitio correxit, ſed potius præconceptæ opinionis adauxit conſuetudo, originem trahit: Quemadmodum contra veritas Logica conſiſtit in ſubjecto veri, quod in ipſius rei τῷ εἶναι ſubſiſtit: Deinde in formâ, quam intellectus rem concipiens, uti eſt, rebus componendo & dividendo attribuit, quatenus nimirum res compoſitæ & diviſæ ſunt per naturam: Et tandem in ſigno, quod compoſitionem & diviſionem in intellectu ſequitur, nempe Enunciatio, quæ animi compoſitionem affirmando, diviſionem negando exprimit. Quid itaq́; ſit veritas incomplexa, quid complexa, quid etiam falſitas, quomodoq́; & cui veritati falſitas objiciatur, intelligitur.

Theorema III.

Veritas primò eſt in primâ mentis operatione, propter hanc in ſecundâ & tertiâ.

Veritas in mente triplex.

Cùm veritas cōſiſtat in cognitione & operatione Intellectus, quot hujus ſunt operationes, tot quoq; veritatis ſunt diverſitates: Cumq́; tres ſint operationes Intellectus lib. 3. de an. c. 6. *triplex quoq; in mente eſt veritas: De ſecundâ & tertiâ nullum eſt dubium: quādoquidem illis veritatē expreſſè aſcripſit Philoſophus*

phus lib. de Interpr. c. 4. lib. ε. Met. t. 8. lib. 3. de anima t. 21. *Quod autem primæ operationis veritatem spectat, ibi obscurus videtur Philosophus, dum illi* lib. Categ. c. 4. de Interpret. c. 1. ε. Meta. c. 2. lib. 3. de anima t. 22. *omnem veritatem denegare videtur. Vnde etiam multi in eâ sunt sententia secundùm mentem Philosophi veritatem in primâ mentis operatione non esse*, ut Averroês 6. Meta. t. 8. in Epit. prædicab. c. 4. Cajet. 1. p. q. 16. a. 2. Fland. 6. Metaph. q. 13. a. 3. Hervæ: quodl. 3. q. 1. a. 2. & 3. *Verùm Aristoteles* lib. θ. Metaph. t. 21. *se satis explicat, nempe veritatem à se pressius accipi & magis propriè, quando cum affirmatione & negatione conjungatur, & simplicium apprehensioni detrahatur.* Et lib. 3. de an. t. 21. *manifestissimè concedit in simplici conceptu veritatem. Nâm quod per intellectum exercitum in Enunciatione pronunciatur, & copulatur, id simplici primùm conceptu fuit apprehensum, illiq; intellectus conformatus, alias de illo affirmari nihil posset. Id enim affirmatur de subjecto, quod subjecto inest. Quando enim intellectus componendo dicit hominem esse album, formaliter & directè cognoscit identitatem, quam habet album cum homine, quæ identitas est in concepta veritate sive conceptu simplici. In exercitò vero ipso cognoscit conceptum albi quodammodo sub se continere hominem, & repræsentare illum & consequenter esse quodammodo conformem: In simplici itaq; conceptu simpliciter est conformitas, adeoq; veritas conceptus & is formalis ut repræsentans tanquam unum quid censetur cum re repræsentatâ: quam tamen veritatem &*

conformitatem per simplices conceptus nullo modo cognoscit Intellectus, unde nec propriè affirmat vel sentit veritatem, sicut facit quando simplices conceptus componit. Intelligitur igitur, quòd conceptui simplici simpliciter insit veritas, quippe cui veritatis definitio simpliciter & primò competit, uti in præcedentibus explicatum est: conceptui verò exercito sive composito per affirmationem & negationem, quia Intellectus illam conceptam veritatem sentit & intelligit. Vide Suarez disput. Metaph. 8. sect. 3. dist. 18. *Ergo huic per analogiam & proportionem veritas inest, ut in præcedentibus quoq; significatum est.* Vide eundem Suarez. in initio disp. 8.

Theorema IV.

Ad res naturales semper Intellectus humanus conformandus est: ad intellectum verò res artificiales.

An res mensura intellectus, vel contra.

Etsi quidem hactenus satis explicatum est, conformitatem rei & intellectus constituere actu & formaliter veritatem simplicem, dubitari nihilominus potest, an semper juxta res conformari debeat intellectus. Respondet nostrum Theorema: in rebus naturalibus simpliciter intellectum nostrum conformandum esse ad res. *Et ratio hujus in promptu est: nam res naturalis non habet suum esse ab intellectu, sed intellectus vel potius species sive Idea intelligibilis suum esse à re. Quocirca in hoc rerum genere quando versamur, tùm demum intellectus dicetur*

verè

verus, cùm habebit notiones rebus naturalibus conformes. In artificialibus verò res veræ statuendæ & dicendæ sunt, quæ habent conformitatem cum intellectu artificis. Vt enim in naturalibus Intellectus sive species intelligibilis suum esse habet à re: ita in artificialibus res suum esse habet ab intellectu. Verbi gratiâ: Ea domus vera dicitur, quæ est conformis intellectui artificis eam constituentis: Intellectus enim hic non mensuratur à rebus, ut fit in naturalibus; sed rerum, nempè artificialium, mensura est. Quare sive Intellectus mensuretur rebus, ut in naturalibus sive necessarijs & æternis, sive res mensurentur intellectu, ut in artificialibus; semper illud, quod alteri commensuratur, illiq; conformatur, dicitur verum. Sic horologium illud verum dicitur, quod ad mentem fabri quadrat. Quocirca cum res naturales quoq; veræ dicantur, sequitur quod & illæ alicui intellectui sint conformatæ. Is autem cum creatus esse nequeat (nullæ enim res creato intellectui conformantur, exceptis solis artificialibus) increatus itaq; erit necessariò & divinus: Quare corpus naturale verum dicitur illud, quod tale existit, quale istud DEVS secundum ineffabilem suam sapientiam creavit. Hinc Scholastici veritatem rerum *dixerunt* conformitatem rerum cum intellectu divino *vel cum rationibus formalibus existentibus in intellectu Dei, quas rationes formales liberam & sapientem Dei voluntatem esse statuimus, quæ est propria & prima mensura rerum omnium, juxta quam omnia sunt facta & creata. Omnia enim, quæ voluit DEVS, fecit, inquit scriptura*

scriptura & in Apocal: 4. v. 11. dicitur: Dignus es Domine, qui accipias gloriam & honorem & virtutem: quia tu creasti omnia, & PROPTER VOLUNTATEM TUAM *fűt & creata sunt. Dicis et Deus verus dicitur, qui tamen nullo Intellectui conformari potest? Verus dicitur DEVS propter semetipsum, quia sibimet ipsi mensura est, ut sibimet ipsi veritas & perfectio est. Ergone sibiipsi quoq; mensuratum erit? Vbi enim mensura est, ibi mensuratum quoq; esse necesse est, cùm relata se mutuò ponant & tollant. Diximus supra Theoremate 2.* omnia prædicata à reb9 humanis & compositis desumpta & rei simplicissimæ divinæq; essentiæ applicata humano more, hoc est, propriè intelligenda non esse. *Idem hoc loco de termino & vocabulo mensuræ judicandum est, quod per analogiam tantùm divinæ essentiæ attribuitur. Cum enim mensura perfectionem quandam denotat, ad DEVM, qui omnium perfectißimus est, accommodari potest. Mensuratum verò, quia imperfectionem quandam implicat, quippe, quod perfectionem suam habet à primo mensurante, commodè de Dei essentiâ dici non potest, quod sit mēsurata. Nec absurdum hoc est Scholasticis rectè statuentibus, cùm & simili modo dicant, patrem principium filÿ, filium verò principiatum dicere minimè audent, & ævum dicitur mensurare Dei æternitatem, ita tamen, ut sit maneatq; & dicatur etiam immensurabilis. Ex quibus manifestum est, absurdißimam illorum opinionem esse, quod veritatem tantùm ad intellectum creatum referunt. Nam* DEVS *ter Opt. Max.*

Deus cur verus dicitur.

Max. ante omnia secula fuitne verus DEVS? ubi autem tum intellectus noster, qui eum comprehenderet? Sæpius quoq; intellectus noster fit falsus super rebus in veritate sua manentibus: Res enim transcendentaliter vera est ante mentis conceptum. Imò ipse Philosophus scripsit, intellectum à rebus mensurari. Illa enim, inquit in Categ. Subst. *propositio vera est, quæ enunciat ut res est, vel non est. Et* 9. Metaph. *non quia ego dico, te album esse, albus es; sed quia tu albus es, qui te album cognosco, rectè cognosco. Imò si sententia hæc vera est, nihil verum erit, nisi quod aliquis credit. Vnde misera hominum sequitur conditio: erunt enim boni, vel mali, felices vel infelices ex alieno arbitrio. DEVS etiam nullus erit, quia E*picurus *dicit*, DEUM non esse. *Et nemo de salute suâ, de fide suâ, certus erit: fieri enim potest, ut impius concionator non credat verbo, quod verè prædicat, vel in Baptismi administratione pronunciat. Absurdissima & pessima opinio. Retinenda itaq; nostra est sententia, quâ veritatem transferimus ad Intellectum divinum immutabilem & infallibilem, qui non mensuratur à rebus; sed potius ipsas res mensurat.*

EXERCITATIO DECIMA SEPTIMA.

DE BONITATE.

Typus

Typus hujus Exercitationis.

(O) Bonum consideratur.
- 1. Ipsum bonum (th. 1.2. 3.) Et est
  - Aliud transcendentale.
  - Aliud certi generis quod vel
    - Naturale.
    - Morale: vel (th. 4.)
      - Honestum.
      - Vtile.
      - Iucundum.
- 2. Oppositum ejus, quod est Malū. (th. 5.6) vel est (th. 7.)
  - Malum simpliciter
  - Malū secundū quid
  - causa efficiens mali th. 8.

Theorema I.

Bonitas est perfectio Enti conveniens.

Vltimum transcendens Bonum *est. Bonum transcendens esse eleganter probat Philosophus* lib. 1. Eth. *c. 6. quando disputans contra Ideam boni Platonicam docet;* Bonum totidem dici modis, quot Ens, Nam & in substantia dici bonum, ut DEUS & mens; & in qualitate, ut virtus: & in eo, quod est ad aliquid, ut utile; & in tempore, ut occasio. *Monstrat itaq; ibi Philosophus, bonum dividi per omnes Categorias sicut Ens, hoc est, omne Ens esse bonum & omne bonum esse Ens. Atq; hæc Philosophi sententia optimè coincidit cum eo, quod scriptura habet Gen. 1.* Vidisse nimirum DEUM bonitatem in omnibus creaturis à se productis. Plotinus En. 6. lib. 7. c. 38. *ait:* de quo prædicatur Est; de eodem prædicatur, est bonum. *Nihil enim adeò malum est, nihil adeò in entitate suâ imperfectum & debile est, quin bonitatem quandam involvat. Et* Thomas 1. p. q. 5. a. 5. & q. 21. de ver. art. 2. *ait:* bonum fundari in esse. Vide etiam Michaëlem de Palatio 1. d. 16. disp. 2. *Dubium itaq; nullum est Bonum transcendens esse, itemq; ultimum transcendens, quod supra demonstratum est: quid autem sit id, quo Ens bonum dicatur apud multos dubitatur.*

Bonum esse transcendens.

Bonitatem ad Ens nihil addere positivum & reale manifestum est ex præcedentibus, quia nullum transcendens Enti aliquid reale superaddit. Averroës 4. Meta. t. 3. 10. eor. text. 8. *Aut itaq; bonitas in Ente erit relatio rationis, aut negatio vel privatio. Cōmentitium enim Bonum non esse, per se manifestum est.*

Bonitas nihil positivi Enti superaddit.

eſt. Atqui ſtatuimus Bonitatem includere & poſitionem realem Entis, & negationem defectus, & relationem rationis. Bonum enim eſt, quod perfectionem in ſe habet. Perfectio autem, nempe tranſcendentalis,

Perfectio tranſcendentalis.

eſt vera poſitio cujuslibet Entis cum negatione defectus ejusdem in ſuo genere. Atq; hoc modo, nempe intrinſecus quando ſumitur Bonitas, non conſequitur ad hunc vel illū Entitatis modum, ſed ſimpliciter ad Entitatem debitam, per quam Ens habet tale eſſe, quale habere debet, undeq; verè bonum dicitur, nimirum à perfectione.

Bonum & perfectum idem.

Quandoquidem bonum & perfectum idem eſſe videntur, ut docet Thomas 1. p. q. 5. art. 1. 3. & 5. *Bonum enim & perfectum non materialiter tantùm, ſed formaliter idem ſunt. Vnumquodq; enim in tantum bonum eſt, in quantum perfectum eſt. Hoc modo conſiderat Bonum Auguſtinus* lib. 83. quæſtionum quæſt. 24. Omne quod eſt, *inquit*, in quantum eſt, bonum eſt. *Vnde* lib. 3. de libero arbit. c. 15. *ait*: Quicquid eſt, ſicut eſſe debet, bonum eſt. *Item* lib. 1. de doct. Chriſt. c. 32. *cum monſtraſſet* DEVM *eſſe, addit*, qui ſummè eſt. At cætera, quæ ſunt, niſi ab illo eſſe non poſſunt, & in tantum bona ſunt, in quantum acceperunt, ut ſint. *Et* Boëtius lib. de Hebd. c. 2. Quicquid eſt, *inquit*, in eo quod eſt, bonum eſt. *Omne itaq; ens in ſe bonum eſt, & aliquam in ſe habet bonitatem ſibi convenientem. Atq; hinc primo evenit, quòd Bonum cum Ente convertatur, nempe quòd omne Ens ſit Bonum, & omne Bonum ſit Ens; item quòd Bonum ſit perfectio Entis.*

Virtu

Error itaq; non tantùm in Theologiâ, sed in saniore quoq; Philosophiâ est detestandus Manichæorum & Priscillianistarum, *qui quasdam creaturas ex se malas esse docuerunt, ab aliquo principio extremè malo profectas*, ut referunt D. August. tom. 6. lib. de hæres. hæresi 46. Niceph. lib. 6. hist. c. 31. Euseb. lib. 7. c. 28.

Et si quidem perfectio modò exposita, perspicuè & magnâ ex parte rem declarat, nondum tamen sufficiens esse videtur. Nam si bonitas nihil esset amplius, quàm rei perfectio; tum bonitas sive bonum non esset passio, sed Entis synonymum. Nihil enim magis essentiale Enti reali est, quàm habere aliquid perfectionis. Differentia itaq; est non in re, sed in nominibus & Etymologiâ eorum. Nam ens denominatur ab actu essendi; Bonum verò à perfectione, quam formaliter & necessariò includit actus essendi. Quocirca statuimus bonum sive bonitatem transcendentalem addere supra Ens ejusq; perfectionem relationem rationis, quam convenientiam dicimus, quæ est, ut ex jam dictis colligitur, secundùm existentiam realem, quam habere potest. Atq; hoc est quod dicit nostrum Theorema: Bonitatem esse perfectionem convenientem Enti, *hoc est, convenientiam rei cum naturâ rei debitâ. Dicimus* relationem rationis. *Ratio enim ista convenientiæ, quam bonum addit supra Ens, non est propria sive realis relatio: sed tantum connotat in alio talem naturam, habentem naturalem inclinationem, capacitatem vel conjunctionem tali perfectione. Unde bonitas dicit ipsam perfectionem rei connotando prædictam convenientiam, sive denominationem con-* Quid bonitas Enti superaddat.

surgentem ex coëxistentiâ plurium: Suarez disp. Met.10.sect.1.dist.12. Scaliger exerc.307. sect. 27. Quocirca cùm nulla sit res, quantumcunque exiguæ quantitatis, quæ alicui non congruat, necessariò sequitur: Omne Ens esse bonum. Ergo bonitas creaturarum, de quâ in Genesi dicitur, & ad transcendentem refertur, eique subjicitur, est, quâ quæque earum congruit creatori sive Deo. Dei verò bonitas, ut etiam de Veritate diximus, est, quæ sibiipsi congruit; Deus enim bonus est simplicissimè & independenter, adeoque non tantùm bonus, sed ipsa bonitas est. Vnde rectè dicimus, Deus est bonus & bonitas; est αὐτοαγαθὸς, item τὸ ἀγαθὸν, ut articulus τὸ excellentiam & eminentiam significet. Nō verò rectè dicimus homo est bonus & bonitas, quia homo non independenter & simplicissimè bonus, neque actus purus est. Hoc itaque modo Bonum quando sumitur, distinguitur aliquo modo ab Ente, & convenit omni Enti: Nam licet quidem verum sit, quòd dicatur Deus summè simplicissimeque bonus, nihilo secius tamen dici etiam potest, bonum aliorum. Quandoquidem Deus perspicuè visus est summum bonum objectivum rationalis creaturæ.

Res bona dupliciter dicitur.

Intelligitur igitur, quòd res dupliciter dicatur bona: Primùm in se, quando perfectione & Entitate sua bona dicitur, deinde alterius, adeoque respectu quodam, quando bonitas per convenientiam declaratur: quæ distinctio desumpta videtur ex Augustino lib. 8. de
„ Trinit.c.3. Dicitur igitur nos considerare hic boni-
„ tatem, quæ sit passio Entis, atque adeò quodam modo ab
„ Ente distincta: Et tali modo consideratur bonū in con-
venientia. Bonum autem in se sine tali convenientia sump-

sumptum, cum ita dicatur ab internâ & propriâ perfectione & Entitate debitâ, non videtur ad passionem Entis, sed potius ad ejus essentiam pertinere, uti modo significatum est, cum planè idem sit, quod perfectum, ut sæpius demonstratur à Thoma part. 1. q. 5. *Includitur enim perfectum in essentiali conceptu Entis realis. Non enim potest Ens cum Entitate, hoc est, realiter concipi, quin simul ejus concipiatur perfectio essentialis. Ipsum enim esse perfectio est, & essentialis perfectio per se primo convenit Enti, nec non per essentialem illam perfectionem unaquæq; res constituitur in certo gradu Entis atq; simul per eandem distinguuntur, & ordinantur Entia. Cum itaq; hoc modo bonum sumptum affectio Entis esse nequeat, nostra sententia vera erit, quòd bonum sit quidem perfectio Entis; sed cum convenientiâ respectu alterius. Omne enim Ens naturaliter convenit alicui, cum quo habet naturalem aliquam proportionem.*

Sine relatione hâc, alio respectu Bonitas essentialis, quæ est perfectio internæ rei cōveniens, defendi potest affectio Entis, adeoq; transcēdens quodammodo ab Ente distinctum & conveniens omni Enti; quando nimirum Bonum derivamus à bonitate honestâ, non quidem in genere morum, sed naturæ: si enim dicatur Ens in se bonum, sumptâ denominatione à perfectione sibi convenienti, ista bonitas nihil aliud est, quàm honestas naturalis: quandoquidem ad honestatem naturalē pertinet convenientia hæc, quatenus nimirū omne hujusmodi bonum est per se appetibile. Ista verò bonitas magis naturalis dicitur, quàm transcendentalis, ut paulò post dicetur.

Perfectio in creaturis duplex.

Potest autem perfectio hæc in creaturis esse duplex: vel essentialis sive intrinseca, *quæ ipsum esse in-cludit, de quo jam disputamus:* vel accidentalis. *Pri-or inseparabilis est & à nullo Ente separari potest; conservato nimirum in suo actuali esse & essentia. Po-sterior separabilis est, & sæpius separatur, quæ non il-la est, de quâ jam loquimur, sed paßio quædam & af-fectio non ingrediens ipsam rei substantiam. Priore bonitate & peßimus diabolus bonus est; habet enim ad-huc suum esse Essentiæ à Deo dependens. Posteriore verò modo bonus non est. Bonum enim transcendens etiam verè prædicatur de illis Entibus, quæ mala di-*
„ *cuntur. Malum enim ipsam rei Entitatem non ingre-*
„ *ditur. Vnde etiam malum Bono transcendentali non*
„ *opponitur. Hinc iterum intelligitur, quid de Flacia-*nismo *statuendum sit, quo substantia ipsa dicebatur peccatum, ipsa corruptio, ipsa malitia, ipsa ἀνομία.*

Theorema II.

Bonum transcendentale non est relatio finis non appetibilis.

Cum hactenus monstratum sit Bonitatem trans-cendentalem consistere in convenientiâ cum altero, in-telligitur, quòd non sit relatio vel finis vel appe-tibilis. *Ratio est in promptu: propterea enim res di-cuntur appetibiles, quia sunt bonæ; nec propterea sunt bonæ, quia sunt appetibiles. Bonum enim est funda-*

Caussa appetibilitatis.

mentum & caussa appetibilitatis; non aliter ac colo-ratum est caussa, ut aliquid videri poßit, quam visibi-litatem vocant. Quemadmodum enim objectum vi-sus non est visibile, nisi ratione coloris: ita objectum

volun

voluntatis & appetitus non est appetibile, nisi respe-ctu bonitatis. Vt itaq; color est caussa visibilitatis, ita etiam Bonitas est caussa appetibilitatis. Bonum itaq; natura præcedit appetibilitatem, quare ipsum appetibile per rationem boni definiri potest. Quæ autem in ipso bono est caussa appetibilitatis, & ut appetatur ut finis? *Respondet* Thomas de veritate quæst. 1. articulo 1. Nihil inveniri in bono aliud, quo caussa appetibilitatis esse possit, quam convenientiam. *Nam quicquid appetimus, propterea appetimus, quia vel nobis convenit, vel alijs rebus, quibus id appetimus; aut quia putamus, id nobis, aut illis congruere. Adde si appetibile & finis esset ipsum Bonum, de quo hic agimus: tum omne illud, quod appetitur, prout appetitur, bonum esset. Atqui omne illud Bonum non est, Aliud enim est verum bonum, aliud apparens. Apparens quidem bonum appetitur, sed bonum non est; cum tantùm videatur bonum, eoq; intellectus vel sensus decipiatur. Porrò negari quidem non potest, Bonum cum Fine maximam habere convenientiam, & affinitatem, adeò etiam ut finem & bonum idem dixerit esse Philosophus* lib. 2. Top. 1. Eth. 3. & 6. Metaph. *sed tamen ratio boni non consistit in ratione finis: quandoquidem multa bona sunt, quæ finis rationem non subeunt. Vt partes bonum constituentes licet ad id referantur, tamen in se bonitatem habent, per quam constituuntur. Deinde ratio finis in eo cõsistit, ut ejus gratiâ aliquid fiat, quod certè bonitate posterius est; quia finis quasi fundamẽtum est. Quid igitur ad autoritatem Philosophi respondetur, qui* lib. 1. Eth. c. 1. & lib. 10. c. 2. bonum

Quæstio.

Resp.

Discrimen finis & boni.

 definit,

definit, quod omnes appetunt? *Illa enim autoritate ductus Thomas* 1.p.q.5.a.1.& 1.p.q.16.a.1. & 1. cont. Gent. c. 4. *bonitatis naturam collocat in appetibilitate. Respondemus* cum Fons. 4. Metaph. c.2.q.7.sect.5. Capreol.2.d.2.q.3. Cajet.1.p.q.5. a.5. Ferrar.1 cont. Gent. c.37. Piccol. gr.8. Mor. c.1. *illam Boni definitionem non esse ab Aristotele assignatam, per essentiam, sed per accidens quoddam posterius: in quo etiam jure illam reprehendit Plotinus* En.6.lib.7.c.13.20.24.25.

Theorema III.

Bonum aliud est transcendentale, aliud naturale, aliud morale.

Has Boni species numerat Scaliger Exerc. 307. sect.27. Transcendentale Bonum *illud est, de quo jam locuti sumus, quod propter convenientiam bonum vocatur, & est quod contrarium non habet, nec realiter ab Ente distinctum est, undeq; de Ente demonstrari nequit, quia nihil prius habet: Sed est* affectus, *ut utar verbis Scaligeri,* purè in notione constitutus, propterea quòd sine ullo medio consequitur Ens. Naturale bonum *est congruentia quædam naturæ, & malum habet oppositum. Sic dicimus bonam mulierem, quia etiam malæ inveniuntur, & forsan plures quam bonæ. Ita meretrix sceleratißima bonam potest habere formam etiamsi & Deo & omnibus bonis odio sit. Sic Ecclesiæ Doctores substantiam hominis etiam non regenerati bonam esse dicunt, bonitate nimirum naturali. Non enim intelligunt illam, quæ nos Deo acceptos facit: quippe quæ habe-*

Bonum transcendentale.

Naturale.

habere debet naturam boni transcendentalis, quæ posita est in convenientiâ, nempe ut congruamus Deo; Deo autem neq; naturali, neq; morali bonitate congruere possumus: sed tantùm bonitate imputatâ, hoc est, justiciâ Christi, verâ fide nobis applicatâ. Bonitas moralis, *inquit Scaliger, est perfectio actꝰ cũ rectâ ratione. Et appellatur habitus: Est enim qualitas animi ad agendum cum rectâ ratione: ut temperantia, fortitudo, justicia. &c. Qui hasce bonitatis species confundit, peßimè hallucinatur: verbi gratia, si aliquis proponeret hominem habere perfectam bonitatem naturalem: tu verò inferres: Ergo erit bonus moraliter, & per consequens fortis, justus &c. ineptißimè nugareris.* Eodem *modo ineptißimè nugantur Pontificij, quando sub bonitate morali quærunt bonitatem, quâ boni & justi dicimur corã Deo. Quæ itaq; distinguit ipsa rei natura, distinguenda, non confundenda sunt.* Morale.

Theorema IV.

Bonum aliud est honestum, aliud utile, aliud jucundum.

Camutius 1. de Amo. & fel. c. 13. *tria bonitatis genera sibi subordinata ponit: in esse, in potentiâ, vel habitu, in operari: quæ omnia in tres species tribuit Thomas* 1. p. q. 5. a. 6. 2. p. q. 145. a. 3. ex 1. Eth. c. 3. & 8. Eth. c. 2. in bona honesta, jucunda, utilia. *Nam cùm bonũ idem sit, quod conveniens (verba sunt* Suarez): *dupliciter aliquid homini potest esse conveniens: Uno modo per seipsum, quatenus illa perfectio, quam in se habet, ex seipsâ consentanea est & conveniẽs homini. Quod adhuc duobꝰ potest modis accidere:* primò,

Conveniens aliquid homini dicitur dupliciter.

1.

primò, quo sit conveniens in ordine ad delectationem, quam tale bonum secum affert, & hoc est bonum delectabile: *secundò absq; ordine ad delectationem, sed solùm, quia per se decet vel conveniens est homini*
2. *ut sit, & hoc est* bonum honestum. *Alio verò modo est aliquid conveniens, non per seipsum, sed solùm ratione alterius boni, quod per illud, seu mediante illo, obtineri potest, quia nimirum licet ex se spectatum, delectationem non afferat, neq; ex se deceat aut conveniens sit homini; tamen ut conferre potest ad aliud bonum obtinendum, conveniens censetur, & hoc est* bonum utile. *Atq; ita constat, & illa tria membra ,, sub ratione boni contineri, & esse aliquo modo inter se ,, distincta, saltē ratione formali conceptu seu habitudi- ,, ne; nam re seu subjecto non semper necesse est distingui.* Constat enim eandem rem posse esse & honestam, & jucundam & utilem. Vide Suarez disp. 10. Metaph. sect. 2. dist. 4.

Theorema V.

Malum inter attributa Entis numerari non debet.

Cum Bonum *&* Malum *sint opposita, ut docet Philosophus in postprædicamētis, aliquid de Malo Boni tractationi subjiciēdum est.* Plotin. En. 1. l. 8. c. 1. *Esse autē malū, non opus est, ut multis probetur: cū nemo sit, qui id neget, imò qui nō sæpius de malo conqueratur, quàm de bono triūphet. Probare nihilominus id*
Probatio mali. *conantur hūc in modū: Si omnes res necessariò prædita essent suâ debitâ perfectione, ōnia essent necessaria, & tolle-*

tolleretur rerum contingentia: Atqui hoc est absurdum ut patet ex Exercit. 5. Ergo omnes res necessariò non sunt præditæ suâ debitâ perfectione: Ergo quædam illam possident contingenter. Quod enim necessarium non est, id est contingens: Ergo & illæ ipsæ res aliquando destituuntur suâ perfectione: Contingens enim aliquando non est. Carentia autem per- " fectionis, rei inesse natæ, ipsum est malum. Atq; ita " concluditur malum necessariò dari in naturâ. Ex hoc fundamento Manichæi probari conantur malum substantiam quandam esse à primo principio malo profectam. Verùm hos non tantùm in Theologiâ, sed in Philosophiâ quoq; valde hallucinari certum est. Non autem numerari potest vel debet inter attributa Entis. Malum enim, in quantum malum est, non dicit de formali aliquid pertinens ad rationem Entis, sed potius tendentiam (ut loquuntur) ad non-Ens sive imbecillitatem & defectum Entis. Quo- " circa non potest malum attribui Enti, pro ut Ens est; " sed forsan alicui Enti, prout deficit, vel defectibile est. " Per malum itaque non explicamus ipsum Ens, sed po- " tius defectum, qui aliquando in Ente esse potest. Deinde si malum esset attributum & affectio Entis, tùm unà cum Ente posset converti & reciprocari: Atqui hoc non potest, Ergo; DEUS enim malus nullo modo dicitur: Et multa entia creata nullam propriam malitiam habent. Corpora quoque cœlestia videntur libera omni malo naturali. Omnis affectio Entis debet per se & intrinsecus consequi ipsum Ens: Atqui " hoc modo malum ad Ens non comparatur; sed tan- "

Error Manichæorum.

Malum quomodo Enti tribuatur.

tùm per accidens; & extrinſecus illi convenit, ut in ſequentibus intelligetur. Ergo affectio Entis non eſt. Et ut Gabr. 2.d. 34.q. 1. & 6. argumentum ſubjiciamus: Quod exiſtit, eſt Ens: Ens autem omne bonum: Ergo etiam ſubſtantia, quæ Manichæis mala dicitur, bona eſt, quatenus exiſtit.

Theorema VI.

Malum eſt privatio perfectionis debitæ ineſſe, vel defectus boni, quod natum eſt haberi.

Diximus malum eſſe non affectionem Entis: inde autem non licet inferre: Ergo malum non èſt. Malum enim eſſe, experientia teſtatur: quid autem ſit illud in ſuo formali à multis dubitatur, & à multis planè ignoratur. Definimus nos illud per privatio-

Quid malum. „ nem: *Non enim malitia, à quâ res denominatur* „ *mala, eſt pura negatio, aliàs planè non-Ens eſſet, & nihil eâ denominaretur: neq; eſt res poſitiva. Omnem enim rem poſitivam bonam eſſe manifeſtum eſt. Nam ſi malitia eſſet res & ens poſitivum, tum aliquod Ens daretur, quod malum eſſet ex ſe & internâ ſuâ naturâ. Abſurdum autem hoc eſt. Nam monſtratum eſt in præcedentibus, quod omne Ens ex ſuâ naturâ ſit bonum. Neque etiam res poteſt eſſe mala ob perfectionem ſibi debitam. Quicquid autem ei de tali perfectione defuerit, aut quicquid habuerit ei adverſum,*

non

non ei connaturale esse potest, cum intelligatur esse illud debitæ perfectioni oppositum. Intelligitur igitur malitiam in suo formali non esse Ens positivum; sed privativum. In suo formali sive formaliter *dicimus, quia materialiter & adeò secundùm quid, Ens positivum est. Hinc* Dionysius lib. 4. de divin. Nom. *docet* Malum non esse existens, neque esse aliquid, sed esse perfectionis boniq; proprij & accommodati privationem. Basil. hom. Quod DEUS non est autor malorum. Privatio boni, *inquit*, est malum. August. lib. 11. de civit. Dei c. 9. Mali nulla natura est, sed amissio boni, mali naturam accepit. *Idem* li. 12 à principio & in Ench. c. 11. Res in quantum quædam naturæ sunt, malæ esse non possunt. Scotus *ex Damasceno citat hæc verba*: Nihil est malum nisi boni privatio, sicut tenebræ luminis. Plotin. En. 1. lib. 8. c. 1. & 10. Mali speciem pingere nemo potest, cum in quadam boni absentiâ cogitetur. *item ibidem*. c. 11. *ait*: Malum igitur, si in privatione situm est, certè in eo, quod specie privatum est, malum est. Thomas 1. part. q. 5. a. 3. ad secundùm: nullum Ens, *inquit*, dicitur malum, in quantum est Ens, sed in quantum caret quodam esse.

Tenendum autem, malum dici duplici modo: vel enim, quod in se malum est, vel, quod est malum alteri. Malum dupliciter dicitur.

Quod in se malum est, *illud formaliter* 1.

malum

malum est, & à solâ privatione malum denominatur. Non aliter atq; illud, quod formaliter bonum dicitur, perfectio est Enti debita, adeoq; perfecta positio.

2\. Quod autem est malum alteri, *id concedi potest consistere in positivo.*

In eo quod alteri malum est, quia concretum est, potest considerari aut ipsum Ens, quod alteri malum dicitur; aut illud, quod ex utroq; resultat. Verbi gratiâ, Homini malum est, habere sex digitos in manu. Malum hoc, nempe sex digitorum manus, *certè Ens positivum est. Si itaq; totam hanc manum sumas, monstrum definietur, quod est peccatum naturæ.* Malum August. lib. de natura boni cap. 3. & 4. *definit* corruptionem modi vel speciei vel ordinis naturalis. *Ergo monstrum illud malum erit, quatenus caret debita specie & conveniente partium proportione. Non itaq; ex vi positivæ perfectionis malum erit, sed ex privatione, quæ illi positivæ perfectioni inest & adjacet. Si autem respicias istius compositi partem, sextum nimirum digitum, quæ dicitur mala & disconveniens alteri, nempe quinq; digitis in manu contentis, æquè à privatione mala dicitur. Disconvenientia enim privatio quædam est, & ad eā pertinet, non aliter atq; contrarietas, repugnantia, dissimilitudo, & distinctio in interno suo* Prodigalitas. *conceptu negationem involvunt. Sic actus prodigalitatis dicitur homini malus, quia caret rectitudine liberalitatis. Est itaq; prodigalitas aliquis actus & habitus, atq; adeo res positiva, sed quatenus actus, non est mala simpliciter, sed quatenus in illo quædam est carentia*

carentia rectitudinis. Quia itaq; prodigalitas actum & habitum includit, opponi potest contrariè liberalitati. Hæc res, ut rectè intelligatur, exemplum hoc accuratius evolvendum est. Liberalitas est habitus qui versatur in dando & accipiendo. *Opposita vitia sunt:* prodigalitas & avaritia. *Avaritia peccat in accipiendo; nimium enim accipit: prodigalitas in dando; nimium enim dat. Dicuntur itaq; prodigalitas & avaritia contraria vitia, non quidem quatenus vitia; sed quatenus contrariæ inclinationes & habitus sunt, & quatenus contrariæ actiones ab illis dependet. Vitia autem dicuntur eo, quo conveniũt. Conveniũt autem in eo, in quo omnia vitia, nẽpe quod careant rectitudine: hæc autem in specie liberalitatis. Liberalitatem itaq; si opponas duobus hisce vitiis, fieri id potest duplici modo: primùm formaliter & simpliciter, atq; tum est oppositio bonitatis & malitiæ: & est oppositio habitus & privationis. Secundò prout sunt habitus contrarij contrariarum actionum: Liberalitas enim mediocriter dat & accipit: Avaritia verò tantùm accipit, & prodigalitas tantùm effundit. Malum itaq; formaliter sumptum privatio est: Malum verò alteri est positivum. Hoc modo enim in bono & positivo est & consideratur, per quod etiam distinguitur & agit & repugnat. Unde* Thomas 3. cont. Gent. c. 9. malum non repugnat bono positivè, nisi ratione alicujus bonitatis.

Liberalitas.

Theorema VII.

Malum aut est malum simpliciter

citer, aut est malum secundùm quid: Malum secundùm quid est vel disconveniens alteri, quatenus est res naturalis: Vel disconveniens alteri, quatenus est agens liberum.

Malum simpliciter est malum formaliter & per se, quod alij etiam vocant malum absolutè. Malum secundùm quid, est malum alteri, quod etiam vocant malum respectivè; de quâ distinctione satis dictum est. Malum alteri distinguit Theorema in disconveniens, quatenus est res naturalis & quatenus est agens liberum: quâ divisione malum distinguitur in Naturale & Morale; quid utrumq; sit intelligitur ex opposito, nempe Bono naturali & morali. Addi etiam posset distinctio in malum culpæ & malum pœnæ, quam habet Thomas 1. part. quæst. 48. a. 5. & 6. *Sed quia potius Theologorum est, quàm Philosophorum, illam omittimus.*

Alia distinctio mali.

Theorema VIII.

Bonum est caussa efficiens mali per accidens.

De caussa mali.

In naturâ enim & à naturâ generantur monstra, quæ tamen sunt & dicuntur res præter naturam,

παρὰ

παρὰ φύσιν. *Fit autem generatio illa per accidens. Principalis enim efficiens & caussa universalis semper agit necessariò & urget caussam particularem; quando autem materia non recte est disposita, monstrum & peccatum naturæ oritur. Hinc Aristoteles* lib. 4. de generat. animal. c. 4. *Postquam errata naturæ vel ex confusione duorum seminum diverso subeuntium tempore (aut etiam diversarum specierum) vel ex uno semine non benè distincto, vel alioquin non benè affectâ materiâ oriri monstrasset, hanc subnectit conclusionem*: Idcirco manifestum est, *inquit*, caussam eventuum hujusmodi IN MATERIA esse putare oportere.

In Moralibus mali caussa est δύναμις ἀντιφάσεως *quæ in se bona est, sed mala fit per malam actionem. Hinc* Augustinus : ex bonis mala orta sunt. *Et iterum*: si bonum non esset, in quo malum esset, malum prorsus esse non potuisset. *Et iterum* in Ench. c. 14. mala omninò sine bonis & nisi in bonis esse non possunt, quamvis bona sine malis esse possint, *Unde intelligitur, quòd Malum Bonum penitus tollere non possit, cum sine eo existere non possit. Pluribus de mali caussa efficiente litigiosa ingenia certent. Atque hæc de ultimo transcendente* Bono, *cujus origo &* „ *fons, initium & finis supremaq; mensura est summum* „ *nostrum Bonum, nimirum* DEUS *noster bene-* „ *dictus in secula.* Hactenus prior & generalis Metaphysices pars.

FINIS LIBRI PRIMI.



MARCUS ANTONIUS CASA NOVA.

IN OPT. MAX. PHILOSOPHUM ARISTOTELEM.

UNO oculo unum hominem, mirum est, potuisse videre
Quicquid cœlum oculis prospicit innumeris:
Ni tot lumina habet, quot verba: at fallimur, uni
Ni verbo innumeros credimus esse oculos.
Jure ab Aristotele nil cœlum distat, uterque
Dum videt æternis omnia luminibus.

JACOBI MARTINI HALBERSTADIENSIS.

EXERCITATIONUM METAPHYSICARUM.

LIBER SECUNDUS.

EXERCITATIO PRIMA.

De divisione Entis, item de substantiâ in genere & in specie de substantiâ incompletâ.

Typus hujus Exercitationis.

- (P) Ens est vel (th. 1. 2.)
  - Substantia (th. 3.) Est vel (th 4.)
    - Incompleta est (th. 5)
      - Materia.
      - Forma.
    - Completa (Q) (V)
  - Accidens.

Theorema I.

Ens dividitur iu ſubſtantiam &accidens.

Ordinis ratio. Metaphyſica ſupra lib.1.Exerc.2. theor.7. in partem generalem &ſpecialem tributa eſt. De illa hactenus:ut quoq; de ſpeciali agam9: ordinis ratio poſtulat.

Ratio nominis. *Dicimus autem* partem ſpecialem, quæ conſiderat ea, quæ ſub Ente ad modum ſpecierum continentur. *Propriè enim Ens non habet ſpecies.* Ariſt.lib.ε.Metaph.c.3.pag.498. C. lib. γ.c.2.lib.ζ eor.c.1.& 4.lib.η.eor.c.6. pag.538. A.lib.1.Eth.c.6.Porphyrius Iſagoge.c.3.§.10.

Species illæ ſunt,ſubſtantia & Accidens.

De prima diviſione Entis. *Vallè diſcrepant hic Interpretes: Aliter enim* Averroës lib.7.Met t.1.*aliter* Scotus 1.d.8.q.3.& quodl.q.5.a.1.*aliter* Iavellus tr.1.de tranſc. c.1. & 4.Metaphyſ.q.7. *Ens dividit.*

1. Scotus *& alij primam Entis diviſionem eſſe dicunt, qua in* Infinitum & Finitum *dividitur:& Infinitum Ens Deum finiunt : præferendamq; hanc diviſionem putant, ut Deus ſeparetur à creaturis ſuis per prædicamenta diſpoſitis, cùm inter Finitum & Infinitum infinita ſit diſtantia, adeoq; ſub genere Deus eſſe nequeat.*

2. *Pro noſtra ſententiâ inferimus: quod ex eſſentia Entis ſumitur,illud naturâ prius eſt eo, quod ex ejus affectionibus. Atqui diviſio in* Subſtantiam *&* Accidens *ex ipſius Entis eſſentiâ ſumitur:Ergo eſt prima. Minor probatur:Nam ſubſtantia dicit ipſum Ens,& Accidens dicit ipſum Ens cum addito modo, quo reverâ*

in ſua

in suâ naturâ existit. Et si omnino alio modo Ens primò esset dividendum, divideretur verius, melius & accuratius in Ens depēdens & independens. Quandoquidem hæc divisio desumitur ab internâ Entis constitutione, itemq; à caussâ & principio. Dependens enim illud dicitur, quod non à seipso existit: sed ab alio quodam externo, tanquam à suâ caussâ dependet. Independens verò id dicitur, quod seipso est, & extra se nullam sui caussam agnoscit. Quod attinet ad Scoti & Scotistarum *objectiones, respondemus 1. Quòd illa divisio in Ens finitum & Infinitum non primò fluat ex Ente; sed ejus affectione, nempe Vno. Nam finitum esse, perfectum esse, ad Vnum pertinent, ut patet ex præcedentibus. Cum itaq; hic Ens dividi debeat tanquam Genus in suas species, manifestum est, divisionem istam non ex Entis affectione, sed ex ipsius Entis naturâ derivandam esse. Deinde licet quidem inter substantias numeremus Deum: non tamen propterea in prædicamento substantiæ eum collocamus vel collocandum esse jubemus: Cùm longè aliud sit esse substantiam, & esse in prædicamento substantiæ. Deum substantiam esse negare non possumus: quia est Ens per se subsistens. Quod itaq; maximè per se subsistit, illud quoq; maxime substantia est: Atqui Deus maximè per se subsistit, quippe qui à nullo dependet; sed à semetipso, in semetipso & per nihil aliud, quàm per semetipsum est, quicquid est: Ergò maximè est substantia. Deinde sumitur hæc vox dupliciter: primùm in genere, & describitur à* Damasceno in Log. c. 4. & 39. quòd sit res per se subsistens, nullius indiga

Refutatur Scoti opinio.

Deus est substantia non tamen in prædicamento substantiæ.

Substantiæ vox dupliciter sumitur.

2. ad existendum. *Deindè accipitur in specie pro substantiâ prædicamentali, nempe quæ per se subsistit & sustinet accidentia. Priori modo cum* Aristotele lib. λ. Metaph. *Deum substantiam dicimus: posteriori (quo nonnulli interpretes* Albertus Magnus in prædicamento substantiæ, Durandus 2.d.3. q.1. Marsil. Perip. in 2.q.2. Plotinus in Examine prædicamentorum Arist. En.6.l.1.c.2. & 3. Iambl. de Myst. Ægypt. c.2. *volunt substantiam idem esse quod corpus, atq; corpus in prædicamento substantiæ summum genus esse: nonnulli verò spiritus quoq; finitos includunt: De quo autem jam disputandi non datur locus) Deum substantiam negamus, atq; ita æquè, ut* Scotus & Scotistæ *Deum à substantiis creatis, quæ prædicamentales sunt, separamus, eumq; supra omnia prædicamenta collocamus, ut hâc de re infrà pluribus agetur.*

Theorema II.

Divisio Entis in substantiam & Accidens non est divisio generis in suas species.

Quia Ens non est genus Univocum substantiæ & Accidentis. Ut statuere videntur Scotus 1. sent. dist. 3. q.1. c.3. *Occam, Gabriel.* 1. sent. d.2. *Bonetus* 1. Metaph. 6. *Ant. Andr.* 4. Metaphys. q. 1. *Nam quodcunq; non prædicatur in quid; non est Genus univocum: Atqui τὸ ὂν de substantiâ & Accidente, non prædicatur in quid: Ergo non est Genus. Major stat authoritate Porphyrii, qui ex* 1. Top. c. 4. *Genus definit:*

Ens non est Genus univocum.

1.

nit: τὸ κατὰ πλειόνων καὶ διαφερόντων τῷ εἴδει, ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορούμενον. *Probatur etiam* 2.
hac ratione: quæcunq; prædicātur essentialiter, illa etiam univocè prædicantur: quia univoca requirunt eandem essentiæ rationem: Quæ univocè; illa quoq; in quid prædicantur: quia in quid prædicari est essentialiter prædicari. Hæc autem omnia quia de Ente negantur, immota stat nostra propositio. Minor Syllogismi probatur: quia τὸ ὂν *non* τί ἐστι, *sed* εἰ ἔστι *respicit*. Aristoteles lib. β. Metaph. c. 8. *hunc in* 3.
modum argumentatur: Omne genus dicit determinatam naturam, nec continet omnem naturam: Atqui Ens non dicit determinatam naturam, sed omnibus convenit. Non enim substantia tantùm: verùm quantitas quoq;, qualitas, differentia &c. Entis nomine veniunt: Ergo Ens non est verum Genus Univocum. Verba Aristotelis ita habent: Non est autem possibile, neq; ipsum Unum Entium esse genus, neq; ipsum Ens. Necesse enim est uniuscujusq; Generis differentias & esse, & unamquamq; unam esse. Impossibile verò est, aut species generis de proprijs differentijs prædicari, aut genus esse absq; suis speciebus. Quarè si Unum vel Ens genus est: nulla differentia nec Ens nec Unum erit. *Quæ Aristotelis verba, ut re-* 4.
ctè intelligantur, tale ex illis iterum formamus argumentum: Omne genus per aliquam differentiam limitatur ad sua inferiora. Atqui nulla differentia dari potest, per quam Ens limitatur ad Substantiam & Accidentia, ut sua inferiora: Ergo Ens non est genus propriè ita dictum. Major per se manifesta est: minor

probatur: nam differentia, quatenus differentia, differt à genere (Differunt enim definitione, quemadmodum patet ex Porphyrio, ut aliud eſt animal, aliud rationale): Atqui nihil poteſt eſſe differentia quin ſit Ens: Tàm latè enim ſeſe Ens extendit, ut quicquid eſt & eſſe dicitur, Ens ſit & dicatur. Sequeretur itaq; ſi Ens Genus eſſet, aut nullam differentiam eſſe & Genus eſſe abſq; ſuis ſpeciebus, aut ſpecies Generis de proprijs differen-
5. *tijs prædicari. Vtrumq; abſurdum. Porrò ſi ſubſtantia primò & propriè Ens eſt, reliqua verò Entia dicuntur, quòd hujus ſint paſſiones: non eſt Ens Genus univocum ſubſtantiæ & Accidentis: ſed antecedens eſt verũ: Ergo & conſequens. Connexio propoſitionis vera eſt. Genus enim univocum omnibus ſubjectis ſpeciebus æqualiter convenit, non* κτ̀ πρώτερον καὶ ὕςερον. *Minor probatur authoritate Philoſophi* lib. ζ. Metaph. c. 1. *quando in hæc verba loquitur*: Ens multipliciter quidẽ dicitur: ſignificat enim aliud quid eſt: aliud quod quale & quantum &c. Sed patet horum primum Ens eſſe ipſum Quid eſt, quodq; ſubſtantiam ſignificat: cætera verò Entia dicuntur eo, quòd Entis propriè dicti quædam ſint quantitates, paſſiones, ad aliquid &c. *Et iterum*: Primum quidem multis modis dicitur: attamen ſubſtantia & ratione & cognitione & tempore & naturâ omnium primum eſt. *Vnde iterum argumentamur: quod-*
6. *cunq; non æqualiter & ſine ordine convenit ſuis inferioribus ſive ſubjectis ſpeciebus, non eſt genus univocum: Atqui Ens non æqualiter & ſine ordine convenit*

ſubſtan-

ſubſtantiæ & accidentibus. Prius enim illi; tum propter illam accidentibus: Ergo nō eſt genus Vnivocum. Vel: Vnivocum dicit aliquam naturam communem multis æqualiter (συνώνυμα enim dicuntur ὧν τό-τε ὄνομα κοινὸν, καὶ ὁ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας ὁ αὐτός):ſed ſubſtantia & accidentia ſive decem prædicamenta non conveniunt in naturâ aliquâ communi æqualiter, ut docet Ariſt. Lib.λ. Met.c.4. παρὰ τὴν οὐσίαν, καὶ τὰ ἄλλα τὰ κατηγορούμενα, οὐδὲν ἔσται κοινόν: præter ſubſtantiã & alia, quæ prædicantur, nihil commune. *Ergo nō habent decem prædicamenta commune aliquod genus. Minor alias præter Ariſtotelis autoritatem ſtat hac ratione: Si enim prædicamenta decem convenirent in communi naturâ: tunc convenirent aut in Ente, aut in alio: Atqui aliud nō datur. Quicquid enim eſt, Ens eſt. Ergo in Ente: Neq; in Ente. Si enim in Ente decem illa convenirent, ut in communi naturâ; tũ differentijs ſuis à ſe invicem differrent. Atqui nulla poteſt eſſe talis differentia Entis, ut modò demonſtravimus ratione Philoſophi* ex ϛ Met.c.3. *petitâ: Ergo Ens non eſt genus univocum decem prædicamentorum. Si etiam decem ſumma genera ſunt primò diſtincta & ſeipſis differẽtia; non ſunt compoſita ex genere & differentiâ: ſed primum eſt verum. Ergo &c. Quæcunq; verò non ſunt compoſita ex Genere & differentiâ ſpecificâ, ſuperius genus non agnoſcunt: Atqui decem ſumma genera non ſunt compoſita ex genere & differentiâ, quod etiam docet Ariſtoteles* lib.ή. Metaphyſ. cap. 6. *Ergo decem genera ſuperius non agnoſcunt. Tandem* 7.

Synonyma.

Vnivocum est vel Physicè vel Metaphysicè univocum: Atqui Ens neutro modo Vnivocum est: Ergo &c. Minor probatur: non est Ens univocum Physicè. Nam univocatio Physica propriè est in specie specialissimâ: Non Metaphysicè. Nam quicquid Metaphysicè univocum est, illud est univocum, ut animal: Atqui Ens non est univocum, ut animal. Ergo &c. Minor probatur authoritate Averrois 4. Metaphys. comm. 2. Hoc nomen Entis dicitur multis modis, *inquit*, sed non æquivocè, ut canis, qui dicitur de latrabili & marino: neq; univocè, ut animal de homine & asino: sed est de omnibus, quæ dicuntur de rebus attributis eidem, & sunt media inter univoca & æquivoca. *Idem* 12. Metaph. Com. 3. substantia, *inquit*, dicitur Ens similiter, & alia prædicamenta secundùm comparationem.

Vnivocatio Physica. Metaphysica.

Vt verò Ens non est genus univocum, ita neq; æquivocum est: ut statuunt Rabbi Moses apud Thomam q. 7. de potent. Dei art. 8. *Aureolus* apud Capreol. 1. dist. q. 2. *Æquivoca enim nihil, nisi nomen commune, habent. Deindè in æquivocis non sunt contradictoria. Possunt enim affirmatio & negatio referri ad diversa: ut Canis latrat: Canis nō latrat: Esse autē, & nō esse sunt contradictoria: ut Socrates est Ens: Socrates est nō Ens; sunt cōtradictoria: Ergo Ens non est commune tantùm secundùm nomen.* Excipis: *Porphyrius & Aristoteles affirmant nonnullis in locis Ens esse genus æquivocum. Resp. Licet quidem uterq; alicubi dicant Ens genus æquivocum; sumunt tamen æquivocum pro analogo. Propterea quod analogum si confe-*

Ens non est genus æquivocum.

conferatur cum Univocis, æquivocum; Si verò cum æquivocis, univocum dici posßit: Quæ caussa est, quòd Aristoteles lib. Categ. cap. 1. *de analogo nihil egerit.* Statuimus igitur, Ens esse genus analogon vel πρὸς ἓν καὶ ἀφ᾽ ἑνός. *Significat enim conceptum certo ordine & gradu participatum à substantiâ & accidente. Primò enim substantiæ, deindè propter substantiam accidenti inest. Accidens enim pendet à substantiâ, & esse suum ab illa obtinet, non verò contra substantia ab accidente.*

Ens est genus analogon.

Objicis: *Cui convenit definitio generis univoci, id tale genus est: Atqui Enti definitio generis univoci convenit: Ergo &c. Minor probatur: nam non tantùm Ens, sed etiam definitio ejus competit substantiæ* 1. *& accidenti, tanquam partibus subjectis:* Ὂν *enim dicitur,* ὃ ἔστιν ὕπαρξις, *cujus est realis existentia; quod æqualiter de substantiâ & accidente dicitur.* 2. *Deinde* τὸ ὂν *per se, &* τὸ ὂν *per aliud, non ingrediuntur definitiones* τοῦ ὄντος ᾗ ὄν. *Nam quamprimùm alterutrum horum additur, plus definitur, quàm quæritur. Si enim* τὸ per se *attexatur, non amplius* τὸ ὂν, ᾗ ὂν, *definitur; sed substantia definita est, quæ angustior Ente: si* τὸ per aliud, *definitur accidens, quod etiam naturæ angustioris est, quàm ipsum* ὂν ᾗ ὄν. *Cùm igitur non quæratur de definitione vel substantiæ vel accidentis; sed de definitione* τοῦ ὄντος ἁπλῶς, *seu quid Ens sit primò sive purè: ita definiendum est, ut nihil peculiare habeat, unde ipsa substantia & accidentia quoq; ex caussa* τοῦ ὄντος *eximantur: deindè verò æqualiter attribuatur.*

Argumenta putantium Ens esse genus univocum.

Refutantur argumenta opposita.

Ad argumenta illa facilis est responsio. Et quidem primum *committit fallaciam à dicto secūdùm quid, ad dictum simpliciter. Nam licet quidem definitio Entis substantiæ & accidenti competat; tamen id non fit æqualiter, quod definitio univoci generis postulat. Ad* secundum: *possumus quidem concedere, non ingredi τὸ* per se *&* τὸ per aliud *definitionem ὄντος ᾗ ὄν: quia tamen Ens per se magis Ens est, quàm Ens per accidens: inæqualitas Entis in subjectis speciebus statim apparet, quæ in generibus univocis locum habet omninò nullum. Oportet enim ut Genus univocum uno eodemq; modo, hoc est, æqualiter subjectis speciebus communicetur. Vt animal, quia genus univocum est hominis & bovis, de utroq; æqualiter prædicatur. Neq; enim homo neq; bos magis animal est: Conclusum itaq; esto:* Ens non esse substantiæ & accidentis genus Univocum sed tantùm analogicum. *Sententiam hanc nostram probant* Commentat. 4. Metaph. com. 2. Jandun. 4. Metaph. Thomas, contra Gentes. c.33. Fonseca 4. Metaph. c.2. q.1. s. 3. Tolet. in cap.4. antepr. q. 1. Javell. 4. Metaph. q.1. Capreol. 1. dist. q 1. concl.9. Soncin. 4. Metaph. q. 4. Cajet. de ente & ess.: & alij.

Dividimus igitur Ens *non in species suas, sed potius in modos:* substantiam & accidens: *cumq; substantia primò ens sit, Accidens verò secundariò atque dependenter propter substantiam: quippe quæ omnes partes & numeros præstat ei illi præripiat, quæque ut sit & finiatur, accidenti conferat atq; impertiat. Specialem hanc θεωρίαν Metaphysicam à substantia,*

stantiâ, ut subjecto primo, rectè auspicamur lib. ζ. Metaph. c.3. lib. κ. eor. c.3. lib. λ. eor. c.4. Averroës lib. 7. Metaph. c.1. comment. 2. pag. 187. F. D. Thom. in 3. dist. 1. quæst. 1. art. 1. Item 1. cont. Gent. c. 34.

Theorema III.

Substantia est Ens, quod reverâ proprium esse habet, nec est in alio habens esse à subjecto.

His verbis Dominus Philippus *in prædicamento substantiæ vertit definitionem substantiæ, quæ extat apud* Damascenum lib. Dial. cap. 39. ἔστι πρᾶγμα αὐθύπαρκτον μὴ διόμενον ἑτέρου πρὸς σύστασιν ἀλλ' ἐν ἑαυτῷ ὄν. *Substantiæ igitur meritò* Aristoteles *in lib. Categoriarum primum dedit locum, & in Metaphysicis substantiam corpoream per duos integros libros, nimirum* η. & θ. *incorpoream verò per totum* λ. *explicavit, raranter interim mentione factâ Accidentis 1. quia accidens habet suum esse à substantia. 2. quia ab eâdem sustentatur. 3. quia potißimum est Entis analogatum, per cujus cognitionem facile cognoscitur Accidens.*

Substantia præponitur accidenti.

Substantia *dicitur vel à subsistendo, quòd per se & non in alio, ut accidens, subsistat: quam denominationem probat* Augustin. li. 7. de Trin. c. 4. Isidorus li. 2. Etymol. c. 27. Damascenus c. 30. & 39. Dial. *Fonseca.* 5. Meta. c. 8. q. 5. s. 1. *vel à substando, quòd accidentibus substet, quam Etymologiam probare videntur* Arist. li. Cate. c. 5. itē li. δ. Met. c. 8.

Denominatio substantiæ.

ubi

ubi inquit: Hæc autem omnia ex eo dicuntur substantiæ, quòd non de subjecto dicantur, sed de eis cætera &c. Isidorus lib. 2. Etym. c. 26. Augustinus lib. Categ. c. 5. *ubi ait: substantiam græcè dici ὑποκείμενον*. Fonseca supra 5. Metaph. c. 8. q. 5. sect. 1. & Zarabella in Tabb: Logicis. D. Philippus *quando substantiam definit, quòd sustineat accidentia. Hoc modo sumpta Deum non includit, sed excludit. Nam in Deum nullum cadit accidens. Tum igitur significat tantùm substantiam creatam sive finitam sive dependentem. Atq; in hâc significatione verum est, quod vulgò dici solet: Divisionem Entis in substantiam & accidens esse divisionẽ Entis finiti & creati, non Entis ἁπλῶς sumpti. Quatenus igitur substantia idem esse dicitur quod οὐσία & essentia, & à subsistendo sive essendo denominatur, Deũ substantiã finimus & quidẽ in excellentissimo gradu: cũ nihil magis vel subsistat vel sit vel existat quàm Deus, quippe qui à se ipso est, in se ipso est, se ipso existit, sibiq; est omnia. Græcum οὐσία est, quod minus propriè* Cicero *naturam dixit*, Boëtius *verò cum* Macrobio lib. 1. in somn. Scipion. c. 14. Et Sergius Flau. lib. 2. c. 15. & lib. 3. c. 7. & lib. 8. c. 3. *verbum de verbo transferentes essentiam vocarunt, quamvis* Seneca. lib. 8. Epist. 89. *id latinè exprimi posse neget. De quo tenenda est sententia* Quintiliani lib. 8. c. 3. Multa ex Græco formata nova sunt, inquit, ut Ens & essentia, quæ cur tantopere aspernemur, nihil video, nisi quod iniqui Judices adversùs eos sumus, idcoque pauper-

οὐσία.

paupertate sermonis laboremus. *Qui* οὐσίαν *interpretantur substantiam, eamque à subsistendo derivant, substantiam,* οὐσίαν, ὕπαρξιν, *&* ὑφιστάμενον *Synonyma dicere videntur. In Ecclesiâ vocabula hæc accuratè discernuntur. Quia enim in doctrinâ de Deo consideranda sit & essentia divina, quæ communicabilis, & trium personarum in unâ illa essentia distinctio; Theologi ad essentiam vocabulum* οὐσίας *accommodant, quippe quæ tribus personis communis est: ad personam vocabulum* ὑποστάσεως *&* ὑφισταμένου, *quemadmodum neque apud Philosophos accuratè Philosophantes isthæc vocabula idē sunt.*

Sumitur porrò nomen substantiæ duobus modis: *primùm idem est, quod essentia rei, quæ definitione significatur* lib. δ. Metaph. c. 8. *Vnde dicitur definitionem interpretari substantiam sive essentiam rei. Quo modo substantiæ vox substantiis propriè ita dictis & accidentibus attribuitur. Nam & accidentia definiuntur. Deindè significat id, quod per se subsistit & modò ex* Damasceno & D. Philippo *definitum est. Alij paucis immutatis verbis substantiam dicunt* πρᾶγμα αὐθυπόστατον μηδενὸς ἄλλου δεόμενον πρὸς τὴν ὕπαρξιν, rem per se subsistentem, nec indigentem alterius ope, ut sit. Hospinianus: substantia, *inquit*, est, quæ in nullâ re subjectâ inhæret. Avicenna lib. 6. Metaph. substantiam *finit* Ens non existens in subjecto. Arist. in Categ. subst. lib. δ. Metaph. c. 8. substantiam dicit esse, quæ nec de subjecto dicitur, nec in alio est, ut in subjecto: *at-*

Substantia duobus dicitur modis.
1.
2.

cto: *atq; ita, ficut* lib. ζ. Metaph. t. 7. *se excusat*, ἐν τύπῳ *& figura essentiam substantiæ exponit, quam alias sic exprimit*: substantiam esse, quæ per se existit. *Nam isthæc notio omnibus substantiis tàm primis, quàm secundis, competit: hæ enim licet primis & Individuis indigeant ad existendum; tamen in ijs per se existunt fundamentaliter.*

Substantia accuratè definiri nequit.

Hæ verò definitiones omnes una cum nostrâ in Theoremate posita accuratæ non sunt. Sunt enim majore parte negativæ, & potius quid substantia non sit, quàm quid sit explicant. Atqui aliter fieri non potest. Summum enim genus est, quod per aliud superius non describitur. Nam *Ens substantiæ & accidentis genus esse jam fuit negatum, propterea quòd non dicat communem naturam, quæ substantiæ & accidenti æqualiter insit. Substantia enim primò* Ens *est, deinde propter substantiam accidentia, uti modò nos explicuimus. Ens etiam non respicit* τί ἐστι, *sed* εἰ ἔστι, *non quid sit, sed an sit. Vt autem caret genere legitimo substantia: ita etiam differentiam non habet. Vt „ enim omnia summa genera sic etiam substantia, pri- „ mò est distincta & seipsa differt. Loco differentiæ nihilominus duo ponuntur*: Habere proprium esse, & non esse in alio, tanquam in subjecto. *Posteriore hoc*: non esse in alio, tanquam in subjecto: *non negatur substantiam esse in substantia, sed negatur eam in substantia esse, ut in subjecto: Multi enim sunt modi inessendi, ut alibi à nobis demonstratur, & apud Philosophum habetur* lib. 4. Phys. c. 3.

Proprietates substantiæ.

Ex priore, nēpe habere proprium esse, *triplex arguitur substantiæ proprietas*: Prima: *quod sit Ens* αὐθυ-

αὐθυπόστατον per se subsistens. Secunda: *πρωθυπόστατον* primò subsistens: Tertia: *ἰδιοϋπόστατον* proprium esse habens, *nihil egens alio, à quo possit οὐσιοῦσθαι & essentiari: Vt aqua substantia est, quia per se subsistit, & per se propriũ εἶναι habet; manetq; aliquid, etiãsi calor vel frigus ab ea separetur aut discedat: nec est in alio: Non enim aqua conservatur in calore vel frigore; sed calor vel frigus in aqua.*

Theorema IV.

Substantia est vel incompleta vel completa.

Dividitur ita substantia non ut verum genus in suas species; sed tantùm ut genus πρὸς ἓν καὶ ἀφ' ἑνός. Nec esse potest divisio generis in species: non enim possunt dari differentiæ, quæ sint extra rationem substantiæ divisæ: Dividitur igitur substantia (ut utar verbis Suarez disp. Metaph. 33. sect. 1. dist. 4. *) ad modum transcendentis per modos intrinsecos, in quibus ipsa includitur, qui non indicant propriam compositionem etiam Metaphysicam.*

Completa substantia *est substantia perfecta, quæ intelligitur per modũ totius sive integræ substãtiæ: ut angelus, homo, corpus &c. Vnde etiã κατ' ἐξοχὴν & ἀντονομασίαν sola dicitur substantia à Philosopho* lib. Categ. c. 5. de substantia, *ubi differentias substantias esse negat.* Incompleta substantia *est, quæ habet rationẽ partis, vel ad modum partis sive indeterminati concipitur. Ad hanc divisionẽ referri potest illa Logica, qua* Arist. li. Categ. c. 5. substantiã in primã et secundã dispescit: *quarũ*

Completa substantia.

Incompleta.

hæc

hæc rectè incompleta: Est enim imperfectior & minus
,, *substantia*: prima *rectè completa dici potest. In quâ*
,, *vero divisione summum genus est substantia finita, ut* Ammonius in subst. Porphyr. c. de speciebus ibid. Boet. Tartar. Cajet. & Fons. 5. Metaph. c. 8. q. 4. s. 2. *demonstrant. Deo enim, qui solus substantia infinita existit; in prædicamento substantiæ locus non datur, ut in præcedentibus dictum est, & in sequentibus pluribus demonstrabitur.*

Theorema V.

Substantia incompleta est materia & forma.

Formam esse substantiam.

Formam *substantiam esse, (licet id nonnulli negent) ut manifestum: ita à nobis negandum non est; cùm ipsa det esse substantiis, & esse substantiarum esse nequeat, quin sit substantiale. Absurdissimum itaq; est illam inter accidentia numerare. Accidens enim non ponit substantiam, sed substantia accidens. Ergo falsissimum est, quod nonnulli defendi posse autumant, Vnionem animæ & corporis esse formam hominis: cùm hæc non substantia, sed vel accidens sit vel modus. Hinc formam substantiam finit Philosophus diversis in locis* lib. έ. Metaph. c. 8. & 11. lib. ή. eor. c. 2. lib. λ. t. 14. lib. 1. Physic. c. 6. lib. 2. eor. c. 3. lib. 2. de animâ c. 1.

Vnio corporis & animæ, non est forma hominis.

Formæ definitiones. 1.

In Metaphysicis lib. ζ. c. 8. *definit Philosophus formam,* εἶδος δὲ λέγω, *inquit,* τὸ τί ἦν εἶναι ἑκάστου, καὶ τὴν πρώτην οὐσίαν. Formam autem dico ipsum QUID ERAT ESSE uniuscujusq; & primam substantiam; *In quâ definitione*

definitione formam πρώτην οὐσίαν primam substantiam *vocat Philosophus, quâ non intelligit illam, quam videmus in Categorijs explicari, quæ nihil est aliud, quàm* ἄτομον *Individuū aliquod & opponitur* τῇ οὐσίᾳ δευτέρᾳ substantiæ secundæ: *sed intelligit illud, per quod alicujus rei essentia primùm perficitur & absolvitur. Si enim à materiâ initium facias, & illi adjungas formam, rei essentia absoluta est. Dicitur ergo forma prima substantia ratione perfectionis, dignitatis, & honoris majoris.* "
"
"
Lib. 2. Phys. c. 3. *eadem describitur his verbis:* ἄλλον τρόπον αἴτιον λέγεται τὸ εἶδος, καὶ τὸ παράδειγμα, τοῦ τὸ δ' ἐστὶν ὁ λόγος τοῦ τί ἦν εἶναι. *Quam definitionem oculatissimus* Scaliger Exerc. 307. sect. 27. *ita explicat*: materia est perfectibilis, forma verò perfectiva. Ita igitur ex materiâ & formâ unum fit: propterea, quòd sunt caussæ internæ, mutuâ coordinatione inter se ultrò citroq; dantes, atq; accipientes suo utroq; modo aliquam perfectionem. Etenim forma id agit, ut materia sit hoc aliquid. Materia videtur agere, ut forma existat: non enim esset unum ex principijs nisi aliquid faceret. *Perfectam tandem formæ definitionem tradit Philosophus* lib. ε. Metaph. c. 11. ἡ οὐσία ἐστὶ τὸ εἶδος τὸ ἔνον ἐξ οὗ καὶ τῆς ὕλης, ἡ σύνολος λέγεται οὐσία. Forma est substantia, inexistens ex quâ & materiâ, universa essentia seu substantia dicitur. *Primò dicitur* forma substantia inexistens: *inest enim in re ipsâ forma. Nam si non inesset, quomodo* "

2.

3.

,, *rem à reliquis omnibus posset separare ut principium,*
,, *quo res differret primò per se & essentialiter? Deinde habetur in definitione:* Ex forma & materia dici universam substantiam. *Ergo affirmatur, cum materia formam rem constituere, itemq; formam ἐνεῖναι, & tandem rem aliter per materiam, aliter per formam constitui. Necesse itaq; est formam esse principium essentiale & substantiale, quâ res differt & per quam maximè consistit actio. Hinc axioma Metaphysicum:* Positâ formâ tria ponuntur: esse rei, distinctio rei, & operatio rei. *Vt enim passiones propriè debentur materiæ, ita operationes compositi propriè formæ.* Arist. lib. 1. de generat. text. 55. & lib. 2. text. 53.

Affectiones formæ. 1. Affectiones formæ *sunt*: Prima *quòd sit* θεῖόν τι divinum quippiam 1. Phys. c. 9. text. 81. *Hinc Zabarella* in cont. 100. lib. 1. de cœlo *ita disputat*: Ibi (*Aristoteles*) dicit rebus omnibus à Deo communicari esse & vivere: his quidem clarius: illis verò obscurius: quælibet enim res illud, quod est, est per participationem perfectionis divinæ, sed ea participatio est inæqualis, quoniam aliæ res magis, aliæ minus ad divinam perfectionem accedũt: quoniam igitur esse cuiq; rei tribuitur à formâ, quælibet forma dicitur divina, quatenus est imago alicujus gradus perfectionis divinæ.
2. Deindè *forma dicitur* ἀγαθόν τι *Ibidem* lib. 1.
3. phys. c. 9. pag. 203. G. *atq; idpropterea:* Tertiò *enim est* ἐφετόν τι appetibile sive desiderabile. *Ibidem* 1. Phys. 9. &c. ὃ πάντα ἐφίεται. *Quod*

autem omnia appetunt, desiderant & cujus gratiâ agunt; bonum est. 1. Eth. *Est porrò* ἐφετόν τι, *quia est* εἶδος, *hoc est, species, forma* 2. Phys. c. 3. ἑ. Metaph. c. 11. &c. *Est enim speciosum materiæ & rei ornamentum: id est, complemẽtum. Tum enim res absoluta esse dicitur, si forma accesserit & quasi κολοφῶνα rei imposuerit. Quòd igitur absolvi cupit, illud etiam expetit: Res per formam absolvi cupit: Ergo formam quoq; appetit, hoc est, complectitur, (ut habet interpretatio Scaligeri* Exerc. 61. sect. 1.) *quemadmodum fœmella marem.* Arist. lib. 1. Phys. c. 9. circa finẽ.
Quartò *itaq; forma est* τέλειόν τι οὗ ἕνεκα τὰ ἄλλα lib. 2. Phys. c. 8. pag. 210. C. *Hinc Scaliger* Exerc. 307. sect. 27. *in fine.* Forma fine præstantior. *Non enim finis ingreditur (ut loquuntur) essendi rationem, nisi quando idem est cum formâ. Atq; hoc est, quod docet Philosophus* lib. 2. de animâ cap. 4. διττῶς δὲ τὸ οὗ ἕνεκα· τό γε οὗ, καὶ τῷ ᾧ Dupliciter finis dicitur: alius quidem cujus, & alius cui. *Vide etiam Philosophum* lib. δ. Met. c. 4. Quintò *forma est* ἀκίνητόν τι immobile quid. *Nam quod movetur, potentiam habet, quâ movetur.* Arist. lib. 2. de an. c. 1. *Forma, quâ talis, neq; potentia est, neq; propriè potentiam habet. Est enim* ἐντελέχεια*: Ergò forma, quâ forma, moveri non potest, nisi impropriè & per accidens, ratione materiæ.* Sextò *est,* ἀγέννητόν τι. lib. ζ. Met. c. 7. pag. 527. G. *Vbi docet Philosophus nullam formam generari. Quicquid enim generatur, habet materiam & est compositum Scaliger* Exerc. 346. *Forma neq; materiam habet, neq; cõposita*

4. Finis duplex. 5.

posita est: Ergo forma non generatur. Deindè omne, quod generatur, est διαιρετὸν dividuum: At forma non est διαιρετὴ sed ἀδιαίρετος lib. ζ. Met. c. 8. ἄτομον γὰρ τό εἶδος: Indivisibilis enim forma est: Ergo forma non generatur lib. η. Metaph. c. 3. Ex se itaq; forma est. Nam si aliunde esset, esset vel ex materiâ, vel ex alio, quod extra materiam est. Non ex materiâ: quod tùm ex jam dictis, tùm hâc ratione manifestum est. Materiâ enim esset ignobilior, quippe cujus effectum existeret: esset q; indistinctum caussa distincti: ἄτοπον. Atqui forma tantâ nobilitate prædita est, quam materia, prout talis, nunquam attingit. Iam enim dictum est ex Philosopho, quòd sit θεῖόν τι, ἐφετόν τι, τέλειον, ἀγαθόν: quòd nunquàm de materiâ dicetur, cui attribuitur τό μεταβλητον, τὸ εὐκίνητον. Neq; etiam aliunde est. Esset enim vel ex aliâ formâ, vel ex integrâ essentiâ. Ex aliâ formâ non est: formæ enim natura talis est, ut non poßit propagari διὰ τὸ ἐνδεὲς τῆς ὕλης, propter inopiam materiæ, ut loquuntur interpretes. Vnde Aristoteles, & cum hoc Scaliger, disertè negat formam generari locis allegatis ζ. Metaph. c. 8. η. eor. c. 3. Scaliger Exercit. 346. Non deniq; ex integrâ essentiâ est forma. Esset enim tum composita: At forma composita non est, sed simplex quippiam, & nihil omnium hâc est simplicius. Concludimus itaq; quia forma non est ex materiâ, nec ex formâ, nec ex integrâ essentiâ, EX SE est. Vnde verè principium dicitur forma & quidem essentiale sive substantiale.

Forma ex se est.

Materiam quoq; ex substantiarum numero ejicem

jicere non possumus, cùm, ut ex prædictis intelligitur, materia formâ informata substantiam det composi-tam, quod de Accidente dici nequit. Hinc rectè Zabarella libro de medio Demonstrationis cap. 6. *Materia non est, nisi substantiarum. Materia hæc, quia cum formâ compositum essentiale constituit, essentialiter* στοιχεῖον *dicitur. Item Platoni* ἀνάγκη. *Est enim principium internum & immanens ad constituendum compositum, necessarium adeo, ut sine illâ compositum esse nequeat, nempe quod à materia & formâ constituitur.* Arist. lib. 1. Phys. t. 8. & 2. cor. t. 28. & lib. δ. Mataphys. c. 2. *ubi materia dicitur* αἴτιον ἐξ οὗ γίνεταί τι ἐνυπάρχοντος. *Quam definitionem etiam supra recitavimus, simulq; materiam in primam & secundam divisimus. Cùm autem materia prima propriè illa sit, quæ hoc loco incompleta dicitur substantia, quid illa sit penitius considerandum est. Rectè monet Themistius* in digressione magnâ 1. Phys. *duplici ratione Materiam primam considerari: Primùm absolutè in se, ut est Ens: nempe Infimus Entis realis gradus, & vocatur potentia: deinde respectivè, quatenus est subjectum transmutationis primum. Hæc Metaphysicæ, illa Physicæ est considerationis & describitur ferè in hũc modum:* ὕλη πρώτη ἐστὶ τὸ πρῶτον ὑποκείμενον ἑκάστῳ, ἐξ οὗ γίνεταί τι ἐνυπάρχοντος μὴ κατὰ συμβεβηκός. εἴτε φθείρεταί τι, εἰς τοῦτο ἀφίξεται ἔσχατον. Materia est subjectum cujusq; rei primum, ex quo insito per se & non secundùm accidens gignitur, & si interit, in hoc postremùm interit. Aristot.

esse substantiam.

Materia cur ἀνάγκη dicatur.

lib. 1.

Materiæ conditiones. lib. 1. Phys. c. 9. *Dicitur* 1. Primum subjectum *ad differentiam secundorum ac proximorum subjectorum, ex quibus immediatè res generantur.*

2\. *Est* primum cujusq; rei. *Apta enim est materia prima, ut ex eâ omnes res fiant sine certâ speciei determinatione.*

3\. Ex illâ inexistente sive insitâ fit res: *quo à privatione materia prima distinguitur: quæ in re genitâ non permanet, sed actutum evanescit.*

4\. Per se & non secundùm accidens illa inest rebus genitis: *quo ab accidentibus distinguitur, quæ etiam in rebus generatis inesse solent, easq́; ὄντα secundùm accidens constituere, ut Iohannes Doctus, est Ens secundùm accidens ex doctrinâ sive eruditione constitutus.*

5\. *Vltimò* in materiam primam, si quippiam interit, ultimùm abit. *Nam illa est simul primum & ultimum subjectum. Primum (ut intelligitur ex altero hujus explicationis membro) ortus, ultimum interitus habitâ ratione. Nam animal (ut exemplo rem illustrem) primò omnium ex primâ materiâ est: deindè ex elementis: tum ex nervis, musculis, arterijs, venis, carne, ossibus, sanguine, atq́; ita deinceps, donec perficiatur: cùm interit, in terram, in pulverem abit, & tandem in primum illud rerum omnium subjectum. Atq́; ultimâ hâc differentiâ distinguitur materia prima à formis rerum naturalium, quæ omnes (solâ animâ rationali, quæ in homine est, exceptâ) rebus corruptis ilicò desinunt esse & dispereunt, nihilominus adhuc persistente materiâ.*

Materia prima æterna. *Ex quâ tandem materiæ primæ definitione illius æ-* ternitas,

ternitas, *quòd nimirum ortus & interitus per se & in se expers sit, colligitur. Si enim generaretur materia prima, opus esset aliquo subjecto primo, ex quo generaretur, & quod in ea, tanquam pars essentialis & constituẽs, remaneret: At qui primum hoc subjectum ipsamet materia prima est, ut ex definitione manifestum est. Quocirca si generatur, antequam generatur, est, & si interit, post interitum manet, vel quod idem est, interijt antequam interijt. Nam quicquid generatur, ex subjecto aliquo primo generatur. Ergò si materia prima generatur, generatur ex aliquo primo subjecto & per consequens ex seipsâ generatur, cùm illa, uti dictum, primum subjectum sit. Quod ex seipso generatur, illud fuit, antequam generatur: Ergo si materia prima ex seipsâ generatur, fuit antequam generata est, hoc est, fuit antequam fuit, hoc est, fuit simul & non fuit. Contradictio. Eodem modo se res habet, si dicatur materia prima interire. Ergo materia prima neq; generatur neq; corrumpitur* vide Philosophũ loco allegato, nimirum lib. 1. Phys. c. 9. *Ita, inquam, definitur & explicatur Materia prima Physicè: Metaphysicè verò & quidem hoc loco absolutè, ut Ens, consideratur: unde etiam alio modo à Philosopho describitur.* lib. ζ. Metaphysicorum cap. 3. §. 8. ὕλη πρώτη ἐστὶν, ἣ καθ᾽ αὑτὴν μήτε τὶ, μήτε ποσὸν, μήτε ἄλλο μηδὲν λέγεται οἷς ὥρισται τὸ ὄν: οὐδὲ δὴ ἀπόφασις, ἀλλ᾽ ἔστι τι καθ᾽ οὗ κατηγορεῖται τούτων ἕκαστον: materia prima est, quæ per seipsam neq; quid dicitur, neq; quantũ, neq; aliquid aliud, quibus

Alia descriptio materiæ primæ. Metaphysica.

quibus Ens determinari solet: nec tamen est negatio hæc, sed est, de quâ omnia ista prædicentur, *hoc est, materia prima nec est perfecta aliqua substantia, nec quantitas, nec aliud aliquod accidens, nec tamen est etiam negatio substantiæ vel accidentis, sed est id, de quo omnia interventu substantiæ perfectæ, ex ipsâq; & formâ compositæ, prædicantur accidentia. Cùm enim ea prædicentur & insint perfectis substantijs, poterunt etiam in materiâ primâ, locum habere aliquem. Diligenter autem in descriptione hac notanda est particula negativa, ubi Philosophus inquit,* materiam primam non esse negationem substantiæ, quantitatis, & aliorum accidentium. *Istâ enim docet, non materiam primam penitus nihil esse, sed revera Ens quoddam & substantiam quandam, licet imperfectam, de quâ & ipsum quid & accidentia prædicta queant prædicari. Negaturne illo, inquis, materiam primam puram esse potentiam? Pura potentia est & non est, diverso respectu.* Nam *pura* potentia *duplex dicitur esse: vel enim est* objectiva, *quæ non est aliud quippiam, quàm res nondum existens, quæ tamen poßit aliquando existere. Atqui hæc potentia cùm sit pura rei negatio, hujusmodi certè non erit materia prima: vel est* subjectiva, *quæ jam præsens existens, per actum informantem desiderat informari: atq; hujusmodi dici potest materia prima simulq; actus incompletus sive incompleta substantia, desiderans à formâ perfici & compleri.*

Nota.

An materia prima sit pura potentia.

Quæritur porrò: an potentia hæc sit de essentiâ materiæ primæ? Affirmamus: quandoquidem illa ab altera

altera substantiâ incompletâ sive principio naturali, nimirum formâ substantiali, nec non reliquis rebus omnibus, distinguitur: cùm tantùm materiæ primæ proprium sit formas desiderare informantes, posseq; informari. Habet igitur, inquis, potentia hæc in materiâ formæ rationem? Si ita de materiâ physicè consideratâ loqui velis, nihil prohibemus; modò intelligas formam καταχρηστικῶς & ἀναλογικῶς dictam. Non enim materiam perficit, quod aliàs formæ, propriè ita dictæ, proprium est; sed imperfectam relinquit, caussaq; est perennis, cur materiâ aliunde informari desideret.

Dubitari autem potest, quid de potentiâ hâc, quando forma informans accedit, sit censendum: Non enim videtur aboleri, cùm contrarium tantùm à contrario perimatur; hæc verò potentia formæ perfectæ non adversetur; sed potius illam appetat: neq; credibile est, eam cum illâ simul subsistere: darentur enim duæ formæ in uno subjecto vel materiâ, quod pro absurdo habetur. Expeditam arbitramur esse responsionem hanc: introductâ formâ substantiali perfectâ potentiam hanc neque planè destrui, neq; omninò manere. Cùm illa sese habeat ut fames naturalis ad satietatem, quâ adveniente, illa non penitus annihilatur, aliâs nunquam semel saturi esuriremus; sed tantùm perficitur: Eodem planè modo potentia, in materiam primam postquam forma introducta est, non quidem in eâ jam est amplius; nec tamen etiam abolita est; sed tantùm perfecta atq; illius desiderium expletum. Dubium. Solutio.

Ergo, excipis, potentia hæc nihil aliud est, quàm Objectio.

privatio & formæ absentia. Fames enim nihil aliud, quàm satietatis absentia est, hanc desiderans. Sed audi tu: fames quidem satietatis absentia dici potest, sed per se non. Per se enim considerata fames, est vera illa & realis qualitas animalis, sive illam appellites dispositionem subitò transeuntem, & paulò post redeuntem; sive impotentiam naturalem, quatenus animal redditur ad operationes suas inhabile; sive potentiam naturalem, quâ cibos potentissimè appetere animal aptum redditur: ita & in materiâ primâ se res habet, cujus potentia non privatio formæ est; sed positivus aliquis formæ appetitus. Vnde manifestum est, nos haud difficulter largiri, duo in materia prima reperiri, quorum prius est ipsum esse materiæ incompletum; alterum hæc materiæ potentia, quæ tamen non est peculiare aliquod esse, nec habet à materia peculiare esse distinctum; sed tantùm est modus, & dicitur potentia esse. Atque hinc sequitur ex materiâ & potentiâ illius (quod nonnulli per sententiam hanc nostram concedendum esse arbitrantur) non extrui positivas essentias, nec compositum hinc fieri ex duobus his, tanquam positivis principiis, cum potentia ad esse non sit ipsum esse, nec perfectum aliquod possit nonnunquam ens ex his existere, nisi potentia illa per formam saturetur.

Solutio.

Duo in materia prima.

Consectaria duo.

Ex his duo consectaria accuratè veniunt observanda. 1. cur materia prima, cùm sit essentia simplicissima, nequeat dici actus purus: nempe propterea, quòd præter suam essentiam insuper potentiam obtineat, per

1.

neat, per quam subinde adventu formæ perfectæ desiderat compleri & perfici. 2. quòd clarißimè præcidatur illa in infinitum progreßio. Quia enim hæc potentia prima est, inhærens in primo subjecto, cujus illa prima est, & quasi quædam essentialis forma; præter hanc nil in materia vel excogitari poterit, in quod materia dividatur vel resolvatur, nisi in ipsum nihil. 2.


Atque hæc de substantijs incompletis Materia & Forma, *quæ propterea ita dicuntur, quia neque forma per se, neque materia per se esse potest; sed utraque sunt in composito, ut ex hactenus dictis est manifestum.*

EXERCITATIO SECUNDA.

DE SUBSTANTIA corporeâ.

Typus

Typus hujus Exercitationis.



Theorema I.

Substantia completa est vel corporea vel incorporea sive spiritualis.

Hæc

Hæc divisio prima esse videtur, quâ summum genus substantiæ per corporeum *&* incorporeum, *tanquam primas differentias oppositas, distinguitur: si nimirum DEUS excludatur, & tantùm spiritus finiti per differentiam illam,* incorporeum, *intelligantur. Nos autem incorporeo sive spirituali etiam DEUM intelligimus, qui verè spiritus est.* Ioh. 4. *Non enim hîc in prædicamentorum serie, sed* " *in Metaphysicâ ὄντων specialium enumeratione sumus occupati.* " *Dicuntur hæ duæ substantiarum species completæ, sed non modo eodem.* " Nam corporea substantia *completa dicitur propterea, quòd ex materiâ & formâ est composita, atq; ex illis, tanquam suis principiis sufficientibus internis completa & absoluta existit.* Incorporea *verò non propter compositionem, sed perfectionem completa dicitur.* Ratio nominis.

Plato in conv. *inter corpora & spiritus medias introduxit naturas, quas Dæmones Platonicos nonnulli vocant.* Scalig. Exerc. 355. *colligit Aristotelem Dæmones hosce Platonicos agnovisse, quod videatur* lib. δ. Metaph. t. 15. *illos inter substantias numerare*, & lib. 5. Top. c. 1. & 3. Rhet. c. 18. *Dæmonum mentionem injiciat. Verùm deceptus est Scaliger in eo, quòd non observaverit, Aristotelem ijs in locis ex alienâ sententiâ loqui. Debuisset cum illis rectè conferre* lib. 2. de an. t. 29. *Vbi penitus in dubio & suspenso relinquit, an tales Dæmones dentur, nec ne? Cùm enim non vidit rationes sufficientes, quibus communem illam de Dæmonibus sibi persuaderet opinionem, maluit eam in dubio relinquere, quàm aliquid certi de re incertâ asserere. Ad* lib. δ. *itaq;* Metaph. De Dæmonibus Platonicis.

taph. *quod attinet, voluit ibi Philosophus latitudinem substantiæ explicare, simulq; ostendere, quod si dæmones sint, etiam sub substantia comprehendi debeant.* ,, *Dæmonibus autem istis Platonici attribuunt* ,, *corpora, quæ sacrificij nidore pascantur. Michaël Psellus* in principio lib. de Dæmon. *Natura dæmonum, inquit, non est absq; corpore, sed habet corpus & versatur circa corpora. Iamblichus* de Myster. Aeg. *ait: Dæmon est immortalis & partibilis. Et ibidem talem facit ordinem: post Deos, inquit, ponimus Dæmones, heroës, animas puras. Dæmones autem sunt superiores heroibus. Et Apuleius* de Deo Socratis *dicit: Dæmones sunt genere animalia, ingenio rationabilia, animo paßiva, corpore & tempore æterna: Et ideo sunt paßiva, quia perturbationibus subjacent. Item Proclus* de an. & dæm. c. 10. *Nec animæ sunt dæmones, nec erratici Dij, ut putabat Amelius, sed medius est eorum inter Deos mortalesq; ordo.* De Dæmonibus hisce Platonicis multa vide apud ipsum Platonem. 4. de leg. 5. de republ. in Timæo, in Symposio. Plotinum Enn. 3. lib. 4. & 5. Enn. 4. lib. 4. c. 43. Alcinoum de doct. Plat. c. 15. Porphyrium in lib. de sacrific. in Epist. ad Anebon. Ægypt. Jamblichum de myst. Ægypt. Proclum in Alcibiad. 1. in Timæum: de sacrificio & Magia. Michaëlem Psellum de Dæmon. Plutarchum de Urbe Thebis & Socratis Dæmone: Augustinum Steuchium de Perren. Phil. lib. 8. c. 2. 19. 21. 28. Marsil. Ficinum in Platon. Sophist. c. 36. Eundem in Plat. Protag. in Phædr. c. 2. 11.

50. 35. in Apolog. Plat. in 10. de Republ. Plat. in Timæ. c. 21. 24. item in 1, & 6. de legibus: in Plotini Enn. 1. lib. 6. c. 7. Enn. 2. lib. 1. c. 6. lib. 3. c. 7. Enn. 3. lib. 2. c. 3. li. 4. in argum. libr. lib. 5. c. 5. in Platon. Theolog. lib. 10. c. 2. Jacobum Carp. in Alcin. digress. 4. Synesium in pr. lib. de somnijs. Apulejum de Deo Socratis. *Imo ipse Damascenus* lib. 2. de fid. Orth. c. 3. *videtur angelis mediam tribuere naturam inter corpus & spiritum: Quando inquit angelos incorporeos esse* πρὸς ἡμᾶς: *corporeos verò respectu Dei. Et Macarius homilia 4. inquit:* ἕκαστον κατὰ τὴν ἰδίαν φύσιν σῶμα ἐστίν, ὁ ἄγγελος, ἡ ψυχή, ὁ δαίμων. *Verum enimverò quicquid etiam de hisce Dæmonibus corporeis dicatur. Sine ratione, sine mente, sine sensu asseritur. Quocirca parum habent apud eruditos probabilitatis, ut ait* Cardan. lib. 19. *Credat igitur de illis Paracelsus* in lib. de monstr. de Salam. de Nymph. de Mag. & passim alibi, *quicquid sibi libuerit. Si enim Dæmones isti nutriuntur, corruptibiles erunt, abundabunt quoq; excrementis. Nam ubi est nutrimentum, ibi etiam est excrementum. Imò semen emittent, ex quo, si intereant, renascantur, atque tum diversitatem quoq; sexus habebunt. Contra hosce Dæmones lege disputationes apud Augustinum* lib. 8. 9. & 10. de Civitate Dei. *Theodoretum.* 3. de curat. Græc. affect. *Eusebium* lib. 5. præp. Evang.

Refutantur.

Theorema II.

Corpus sive corporea substantia est,

tia est, quæ ex materiâ & formâ componitur.

Ratio ordinis. *Priore loco de substantiâ corporeâ agendum esse duximus, quòd corpus nobis sit notius, quàm spiritus, quippe qui (liceat mihi* Gellij ex lib. 20. cap. 4. *vocabulo uti) cognobilis per conceptum corporis. Aristoteles quoq; in Metaphysicis prius egit de substantiâ corporeâ, eamq;* lib. ζ. & η, *diligenter explicavit.* Corpoream substantiam finimus, quæ ex materiâ & formâ componitur. *Talis enim compositio tantùm in corpore est. Alias compositio sex*

Compositionis modi sex. *modis fieri potest.* Prima *est ex materiâ & formâ,*
1. *quâ corpus naturale constitui diximus.* Altera *est ex*
2. *partibus integralibus, sive quantitativis, quæ etiam in solis corporibus conceditur, cum sola corpora quanta*
3. *existant.* Tertia *est ex naturâ & supposito. Hæc ut*

Essentiæ & quiditatis discrimen. *intelligatur compositio, distinguatur natura & essentia à substantiâ & quiditate. Essentia ab actu essendi sumitur, quo res est: Et sumitur alias in concreto ut quod est: aliquando in abstracto, ut quo est: Quod est: Vt si dicamus hominem esse essentiam Socratis:* QVO EST, *ut si dicamus humanitatem. Humanitate enim homo est, quod est. Substantia tantum dicit ordinem ad rei esse, cujus est essentia: Quiditas*

Natura. *ad definitionem: Natura verò, pro ut Natura est, ad ordinem ad rei esse addit adhuc ordinem ad operationem. Hinc axioma Metaphysicum:* Quodlibet in quantum est, operatur; & quod desinit ab

Suppositum. operatione, desinit ab esse. *Per suppositum intelligitur ipsum Individuum. Quæ itaq; ponuntur*

in de-

in definitione speciei, sunt de Intellectu naturæ & essentiæ: suppositum verò hoc sive Individuum speciei definitionem non ingreditur; sed & speciei & accidentibus particularibus, ut fundamentum, supponitur, unde etiam nomen, quod suppositum dicatur, accepit. Quarta compositio est ex esse & essentiâ, quæ habent rationem & proportionem Actus & potentiæ, uti supra explicatum est. Quinta est compositio generis & differentiæ specificæ, quæ Logica est. Sexta & ultima est substantiæ & accidentium. Quod attinet primam & secundam compositionem, illam in Intelligentijs esse simpliciter negamus: posteriores suo modo concedere possumus. Hoc autem volumus: Materiam & formam esse principia omnium substantiarum sensibilium sive corporearum: Materia enim & forma tantùm componunt corpora, neq; ulli rei competit materia, quin sit corpus: neq; ullum corpus est, quin suam habeat materiam.

4. 5. 6.

Porrò circa definitionem corporis movetur dubium: in quo consistat caussa unitatis compositi, an ipsa principia, nempe materia & forma, sint illius caussa? Etsi quidem maximam hîc difficultatem esse cum Scaligero Exercit. 307. sect. 20. fateri cogimur: Affirmatè tamen respondendum esse censemus. Materia enim est in potentiâ ad formam, ut actum suum: quare quando ea accesserit, statim illam arripit, & cum ea unitur, nullam aliam ob caussam, quàm quòd ejus potentia est. Potentia verò & actus propterea possunt unum compositum constituere. Nam actus in potentiam immediatè immergitur, illiusq; naturam intimè perficit. Atq; hinc Iavellus

Dubium spinosum.

Solutio.

8. Metaph. q. 7. Ex Averroë 8. Metaph. text. 15. *ut indemonstrabile principium accipere jubet:* Ex actu & potentiâ fieri unum. *Et* Soncinas ibid. q. 38. *hominis indisciplinati, ait, esse, rationem quærere, quare ex potentiâ & actu fiat unum. Hanc etiam esse sententiam* Aristotelis, *apparet ex* lib. 2. de anim. c. 1. pag. 387. *Vbi docet nullam caussam quærendam esse, quare anima uniatur corpori, vel cur unum ex animâ & corpore fiat: Verba Philosophi hæc sunt:* διὸ καὶ οὐ δεῖ ζητεῖν, εἰ ἓν ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα, ὥσπερ οὐδὲ τὸν κηρὸν καὶ τὸ σχῆμα, οὐδ' ὅλως τὴν ἑκάστου ὕλην καὶ τὸ οὗ ὕλη &c. Iccirco non quærere oportet, an unum sit anima atq; corpus, sicut neq; ceram & figuram, neq; omninò materiem cujusq;, & id, cujus materies est &c. *Vnde manifesta ratio apparet, cur unitatis compositi ex materiâ & formâ non alia sit caussa quærenda, quàm in materiâ & formâ, cùm illa se habeat ad hanc, ut potentia ad suum actum: Quare materia appetit suam formam, ut suam perfectionem, quâ adveniente ipsa suum esse, quod alias habitura nō esset, acquirit. Quare cum eadem sit ratio animæ & corporis (anima enim forma est, corpus materia) principium & caussa unitatis compositi ex animâ & corpore, hoc est, animati, extra animam & corpus quærendum non est. Fallunt itaq; & falluntur, qui hodie hominem ex tribus componunt, nempe ex animâ, corpore & spiritibus, arbitrantes animam & corpus uniri non posse, nisi accedant spiritus, ut vinculum, animam cum corpore copulantes & unientes. Quæ sententia allegato loco à Philosopho expreßè rejicitur, & merito:*

Animam & corpus non per spiritus uniri.

rito: si enim tali modo per spiritus uniuntur anima & corpus, iterum quæritur, quidnam sit illud, quòd spiritum ab unâ parte cum corpore, & ab aliâ cum animâ connectat, & conjungat, an sit adhuc alia quædam natura vel res? Quod si concedatur, de illâ iterum idem quærere in infinitum possumus. Unde ita colligimus: si vis unionis multò aptius conceditur & collocatur in anima & corpore, quàm in superveniente spiritu, anima & corpus per se unum constituunt sine tertiâ quadam spirituum copula: Atqui Antecedens est verum: Ergo. Probatur: nam corpus habet se in potentiâ ad animam, non ad spiritum. Quemadmodum itaq; (ut utamur exemplo Philosophi) nulla alia est caussa unionis ceræ & sigilli eidem impressi, quàm potētia ceræ ad sigillū, quâ recipit & continet sigillū, nec opus est ullo alio vinculo vel copulâ: ita unionis animæ & corporis nullū aliud est, quàm potentia in corpore recipiendi & retinendi animam: itemq; in materiâ recipiendi & retinendi formam: Forsan putant mortis caussam dari posse nullam, nisi concedatur ejusmodi vinculū. Fallunt: Mors. corruptâ enim materiâ, corrūpitur utiq; & perit potētia retinendi ipsam animā, quā deperditā necessariò insequitur resolutio animæ à corpore, quæ est ipsa mors.

Quæritur iterum: an unius compositi, hoc est, Quæstio alia. corporis, plures esse possint formæ? Unā formā specificā, quemadmodum unius corporis unū tantū ESSE, concedimus; licet alias plures formæ in eodem cōcedi possint; quæ tamen formæ rationē non habent. Ultima enim, quæ differētia specifica, officio veræ & genuinæ formæ, veriq; & genuini actus fungitur. Nam corpus in homine, licet habeat suam formam, & actū: ta-

men actus ille, hominis actus non est: hominis enim actus est ejus specifica forma: Atq; ex duobus actibus nunquam fit Unum, sed ex duobus, quorum unum potentia, alterum actus est, fit unum actu.

Alia quæstio.

Quæritur tandem: quare forma essentialis cum materia faciat unum per se, forma verò accidentalis Unum per Accidens? *Rationem hujus duplicem damus:* Prior: *quia illius arctior est unio, quàm hujus. Immediatè enim à materia suscipitur & continetur, datq; materiæ suum* ESSE; *ut sit actu & per se aliquid.* Posterior: *quia forma substantialis hæret in ipsâ materiâ primâ, quatenus illa prima potentia est, quod de Accidentali forma nunquam dicetur. Ea enim hæret in materiâ, quatenus jam actu est, actumq; habet perfectum à suâ formâ substantiali.*

Theorema III.

Corpus aliud est simplex, aliud mixtum.

Omnia corpora ratione suæ quiditatis & Entitatis pertinent ad hanc scientiam, licet aliâ consideratione ad alias. Brevitatis verò caußâ (cum alias totum universum huc esset referendum) generales & communes illorum species enumerabimus. Dividitur itaq; corpus in simplex & mixtum. Simplex corpus *dicitur, quod ex primis principijs existit, non ex corporibus alijs compositum est. Vel corpus simplex est, quod simplicem sive unam habet materiam.* Id est vel à mixtione alienum, *quod & propterea incorruptibile & ingenerabile, ut sunt cælum, & cor-*

Simplex corpus.

pora

pora cœlestia: vel ordinatum ad mixtionem, nempe destinatum compositorum mixtioni: Corruptibile itaq; & generabile, ut sunt quatuor Elementa: Ignis, elementum calidum & siccum: Aer, humidum & calidum: Aqua, humidum & frigidum: Terra, frigidum & siccum: Quia itaq; hæc sunt corruptibilia & generabilia; omnia, quæ ex illis miscentur, sunt generationi & corruptioni obnoxia.

Theorema IV.

Mixta corpora sunt vel imperfectè vel perfectè mixta.

Quid mixta corpora sint, ex simplicium naturâ intelligitur, nempe quæ ex simplicium mixtione existunt. Miscentur autem ex illis quædam perfectè, quæ ob id perfectè mixta: quædam imperfectè, quæ imperfectè mixta dici consueverunt, & sunt vapor, græcis ἀναθυμίασις, halitus humidior, quàm siccus; & fumus, καπνὸς, halitus siccior, quàm humidus: Ex his generantur Meteora, quæ ratione subjecti dividuntur in ignea, ut Coruscatio, Cometa &c. Aërea, ut venti, Halo: Aquea, nix, ros, pluvia &c. Mixta corpora quid.

Theorema V.

Perfectè mixta sunt vel inanimata vel animata.

Perfectorum mixtorum (nempe ad quorum constitutionem omnia elementa justâ proportione concurrunt) alia sunt animata & vivunt: alia inanimata, quæ neq; sensum neq; motum habent, ideoq; vitæ expertia dicuntur. Sunt verò hæc duum generum: Perfectè mixta.

Metallorum divisiones.

vel Metalla, vel Mineralia. Metalla *iterum duplicia, vel* imperfecta, *ut sulphur, vitriolum, argentum vivum: Vel* perfecta, *e.iq; vel* pura, *ut argentum, aurum: vel* impura, *ut æs, ferrum, stannum, plumbum.* Mineralia *sunt vel* mollia *vel* dura, *eaq; vel* imperfecta, *ut arena: vel* perfecta, *quæ sunt vel* lapides, communes, *ut cos, silex &c. vel* rari, *qui sunt* pretiosi, *ut gemmæ; &* non ita pretiosi, *ut marmor, Alabastrites: Vel* terra Metallaris, *ut Creta, terra Lemnia, & quævis sigillata.* Mollia *sunt vel* liquabilia, *ut alumen, Bitumen, Naphtha, Thus, Lacrymæ: vel* friabilia: *ut salgemmatum, Indicum, Ammoniacum, Petrosum.*

Theorema VI.

Animata corpora sunt vel vegetantia, vel sentientia.

Animatorum corporum alia sentiunt; alia sensu destituta vivunt, *& dicuntur vegetabilia, sive vegetantia, quæ habent solùm animam vegetantem, cujus virtute & efficacia nutriuntur, crescunt, & ex semine vel traduce sibi similes species producunt. Horum nonnulla* tantùm herbescunt, *indeq; herbæ dicuntur; quæ sunt vel* alimentariæ, *vel* minus alimentariæ. *Atq; iterum hæ sunt vel* Coronariæ, *ut Majorana, viola, ruta &c. vel* medicinales, *quæ sunt vel* simplices, *ut Saporosa, Mercurialis: vel* Aromaticæ, *ut Zedoaria, Zingiber, Calamus aromaticus &c: Nonnulla etiam* arborescunt, *idq; vel* perfectè vel imperfectè. Imperfectè *ut frutices, qui sunt vel* nobiliores, *ut Cinamomum: vel*

Vegetabilium divisio.

Arborum divisio.

minus

minus nobiles, *ut rosa, rubus, corylus &c.* *Quæ* perfectè arborescunt, *dicuntur Arbores, quæ sunt* vel frugiferæ *ut Primò*: pomiferæ, *malus, pyrus, ficus &c.* 2. Bacciferæ, *morus, Iuniperus: &c.* 3. Nuciferæ: *Castaneæ, Iuglans, fagus &c.* 4. Glandiferæ, *quercus, suber.* 5. Strobiliferæ, *abies, Pinus &c. Vel sunt* steriles, *ut salix, Buxus.*

Theorema VII.

Corpora sentientia sunt animalia: quæ vel irrationalia vel rationalia.

Animata sentientia sunt, quæ habent animam vegetantem & sentientem. Hæc in rationalia, & irrationalia distribuuntur, hoc est, in bestias, & homines. Sentientia.

Bestiæ vel terrenæ sunt, vel aquatiles, vel ancipites. Cicero lib. 1. de naturâ Deorum. Bestiarum divisio.

Terrenæ vel sunt volatiles, vel tantùm terræ adhærent. Volatiles *vel sunt* animalia imperfecta, *ut sunt insecta, apes, Vespæ, Muscæ, Scarabæi: Vel sunt* animalia perfecta, *quæ sunt vel* multifidorum pedum, *ut gallina, Philomela, alauda &c. vel* planorum pedum, *ut cygni, anseres.* Bestiæ, terræ tantùm adhærentes, sunt vel reptiles, vel quadrupedes: *quæ sunt vel* ruminantes, *ut bos, capra, cervus &c: Vel* non-ruminates, *ut leo, canis, porcg &c.* Reptiles *sunt vel* primariæ, *ut vermes, formicæ: vel* secundariæ, *ut pediculi, pulices.* Bestiæ aquatiles *sũt pisces: qui vel* molles vel duri. Molles *sunt vel* squamosi, *ut Carpio, Perca,* Terrenæ. Aquatiles.

Lucius:vel non-ſquamoſi,*ut anguillæ*. Duri *ſunt vel* Cruſtacei ut Cancer; vel Teſtacei, *ut conchæ, Oſtreæ*. Ancipites beſtiæ *ſunt, quæ (ut Cicero loquitur) in utráq; ſede vivunt, nempè in aqua & terrâ,indeq; græcis* Amphibia *dicuntur,ut autor eſt* Varro 4.de linguâ Lat. *ut ranæ,ſerpentes, Crocodilus.&c.*

Ancipites beſtiæ.

Theorema VIII.

Subſtantia vel corpus rationale eſt homo, qui conſtat animâ rationali & corpore. Eſt enim animal rationale.

" Homo *rectè dicitur μικρόκοσμος: omnium " enim cæterarum ſubſtantiarum ſimulacrum & me- " dium quoddam eſt, compoſitum nimirum ex ijs, ex " quibus totum hoc univerſum,nempe ex corpore & ſpi- " ritu,qui anima rationalis dicitur. Hinc Nazianz.* in Orat.de Paſch. p.669. *Hominem nominat* alterum angelum,adoratorem mixtum, viſibilis naturæ ſpectatorem, intellectualis myſten: terrenum & cæleſtem,caducum & immortalem, viſibilem & intelligibilem, medium inter magnitudinem & humilitatem, eundem ſpiritum & carnem: In quo imprimis quieſcere & delectari voluit conditor. *Elegantiſſimè enim Ambroſius* ex Baſil. lib. 6. Hexaem: cap. 3. Fecit DEUS, *inquit*, Cælum, non lego, quòd, requieverit: fecit terram, non lego,

lego, quòd requieverit: fecit solem, lunam, stellas, nec ibi lego, quòd requieverit: sed lego, quòd fecerit hominem & tunc requievit; habens cui peccata dimitteret. *Augustinus* lib. 10. de civit. Dei cap. 12. & lib. 4. confess. 14. item quæst. 67. *testatur*, Hominem verè magnum Dei miraculum esse grande, prefundum, & in homine omnem propemodum creaturam esse. Communia enim homini omnia naturalia cum omnibus rebus, quæ cõstant, & in homine omnia contineri, inq; eo omnium rerum naturam consistere patet: Universitatis creaturæ magna quædam portio est homo, tantoq; gradu cæteris excellentior, quanto imagini divinæ vicinior, *ut loquitur Isidor.* lib. 1. sentent. cap. 13. ex 29. homil. Gregorij in ascension. Domini. vide etiam Damascenum lib. 2. de fid. Orth. cap. 12.

De corpore satis in præcedentibus; de animâ adhuc quædam proponenda restant. Τὸ ὅτι *Animæ nemo, nisi* ἀῤῥωςία διανοίας *laborans, negabit.* Dicæarchus *tamen &* Aristoxenes *animam nomen inane esse, nullamq; ejus esse naturam asseverabant*, *teste* B. Lactantio de Opific. Dei cap. 16. *Qui animam esse concesserunt, illi eam aut substantiam, aut accidens asseverant. Qui animam accidens constituerunt, isti eam retulerunt vel ad Quantitatem, ut* Pythagoras, *qui animam numerum dixit: vel ad qualitatem, ut* Dinarchus, *qui eam* ἁρμονίαν *quatuor Elementorum, vel secundùm* Aristoxenum *intenti corporis esse voluit. Alij, ut* Andronicus

De animâ rationali.

Anima accidens dicitur.

Peripateticus & *Medici nonnulli*, *teste* Leuvenclaio cum Galeno (*ut testatur* Nimesius cap. 2.) *animam κρᾶσιν & temperamentum dixerunt.*

Anima substantia dicitur. *Neque, qui substantiam animam asseruerunt, in eadem sunt sententiâ: alij enim illam corpoream, alij incorpoream dixerunt. Qui corpoream, alij puram, alij mixtam voluerunt. Corpus simplex & purum animam statuerunt* Parmenides & Democritus,

Ignis. *nempe Ignem:* Zeno *flatum ignis, datumq; esse hominibus ex ignibus illis cœlestibus & sempiternis, quæ sidera & stellæ nominantur.* Varro *putavit animam*

Aër dicitur. *esse aërem conceptum ore, deferuefactum in pulmone, tepefactum in corde, diffusum in corpus.* Hipponi

Aqua. *anima fuit aqua. Mixtum esse animum partim ex æthere, partim ex Elementis somniavit* Empedo-

Sanguis. cles. Critias *eam esse sanguinem dixit: alij ventum,*

Ventus. *& animum quasi ἄνεμον dictum putarunt.* Heraclitus *esse ἀναθυμίασιν τῶν ὑγρῶν exhalationem humidorum est opinatus.* Vide Aristotelem lib. 1. de anim. c. 2.

Animam non esse corpus. Animum verò corpus non esse *sequentibus rationibus demonstratur. Omne corpus per se est ἔνυλον, est ἀντίτυπον, est τριχῆ διάστατον, est κινητὸν, est μεριστὸν καὶ διαιρετὸν, est αἰσθητὸν, est τοπικὸν, et recipit δύναμιν ἀντιφάσεως: Atqui animus non est materiatus, non ἀντίτυπος & solidus, non habet tres dimensiones, non est mobilis, sed ἀκίνητος, non est divisibilis, non enim partem habet extra partem: non est in loco: ἀμεγεθὲς γὰρ οὐ καὶ ἄογκον καὶ ἀμερὲς, neque clauditur super-*

ficie fixâ: Est quidem in suo corpore, sed ὡς ἐν σχέσει,
ut in inclinatione: vel, ut apud Æneam Gazæum,
loquitur Plato ὡς ἐν τινὶ φρουρᾷ, quem Plato in li-
bro de Republ. σπήλαιον, Empedocles verò ἄν-
τρον appellavit. Et nullum instrumentum est locus sui
agentis vel primò moventis: At corpus est instrumen-
tum animæ Plato in Alcibiad. 1. Et ἡ ψυχὴ ex
sententiâ veterum τάξιν ἐπέχει τεχνίτου, τὸ δὲ
σῶμα ὀργάνου. Tandem anima non recipit δύνα-
μιν ἀντι φάσεως. Ergo anima non est corpus. De- 2.
inde omne corpus est in essentiâ generis, est commu-
nicabile, recipiendo successivè diversas formas, cùm
ejus interna caussa sit πανδεχὴς, adeoq; est genera-
bile & corruptibile, ex se mutabile, & ab agente lædi
potest, iis etiam conservatur, & nutritur, medianti-
bus alterationibus, ex quibus constat, & habet figu-
ram & superficiem: Atqui omnia hæc de animâ ne-
gantur. Ergo &c. Tertiò: nullum corpus per se & 3.
essentialiter distinguit, neque est ἐντελέχεια, neque
est πρώτη οὐσία σώματος, neque est caussa actio-
num sive principium motus, neq; est θεῖόν τι, ἀγα-
θὸν, καὶ ἐφετόν τι, neque habet individuam essen-
tiam, individuas vires, individuas actiones &c. At-
qui omnia hæc affirmantur de animâ: Ergo anima
non est corpus, multò minus medium inter corpus &
incorporeum, ut per Riphæas nives errat Patricius
παμψυχ: lib. 2.

Neq; quantitas est anima, neq; numerus, seipsum movens: quia non crescit: nec quantitas discreta, par vel impar &c. quod per se manifestum. *Animam non esse quantitatem.*

Neque ἁρμονία est: Omnis enim ἁρμονία

est qualitas, & omnis qualitas est accidens: At anima accidens non est. Destructo enim corpore manet superstes, quòd ex illius actionibus apparet, cùm sit ἀπαθὴς, ἀμερὴς, ἄογκ⊕, χωριστὴ, ἄϋλ⊕. Deinde qualitas recipit magis & minus: At anima respectu actus primi, hoc est, in suâ essentiâ, non recipit magis & minus: Ergo non est Qualitas. Tandem in nullam ἁρμονίαν potest cadere contrarium & δυσαρμονία: cum illam prorsus destruat: At in animam essentialiter non mutatam cadere possunt contraria, ut modò virtutis sit capax; modò vitij: Non igitur ἁρμονία est anima. Denique animam non κρᾶσιν esse *manifestum est. Temperamentum enim est nihil aliud, quàm elementorum inter se commistio: Atqui anima non est ex elementis: Ergo &c. Et si anima est κρᾶσις, tum omne, quod temperamentum habet, habebit animam & erit animatum. Ergo & elementa & omnia ex his mixta sine discrimine animata erunt. Tandem temperamentum ætatibus, temporibus, victuq; permutatur, quæ vicißitudo & varietas in animâ non cadit.*

Anima non est κρᾶσις.

Quid igitur tandem anima? Aristoteles lib. 2. de anima cap. 1. *eam nobis in genere describit his verbis:* ἡ ψυχή ἐστιν ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματ⊕ φυσικȣ̃ ζωὴν ἔχοντ⊕ δυνάμει, τοιȣ̃τον δὲ ὃ ἂν ᾖ ὀργανικόν: Anima est actus primus corporis naturalis, quod particeps est vitæ facultate, cujus partes sunt instrumenta. *Quæ tamen definitio Physica est non Metaphysica.*

Animæ definitio.

Est igitur Aristoteli anima ἐντελέχεια πρώτη

sive

ſive οὐσιώδης. *Quod enim animam & formam habet, id Philopono* ἐντέλειον ἔχει*: Patritio* ἐντελὲς ἔχει*: Scaligero Exercit. 307. ſect. 12.* ἐν τέλος ἔχει· Et Budæo *eſt* ἐντελοῦς συνοχή. *Non itaq; anima eſt agitatio vel motio, non operatio, non actio ipſa; ſed cauſſa & fons operationis. Excluditur ergo actus ſecundus. Ipſa enim forma ſubſtantialis corpus animans & perficiens eſt anima. Magis Metaphyſica & eſſentialis eſt deſcriptio, quam legimus apud Damaſcenum* lib. 2. de fide Orthod. cap. 12. Ψυχή ἐστιν, οὐσία ζῶσα, ἁπλῆ καὶ ἀσώματος, σωματικοῖς ὀφθαλμοῖς κατ' οἰκείαν φύσιν ἀόρατος, ἀθάνατος, λογική τε καὶ νοερὰ, ἀσχημάτιστος, ὀργανικῷ κεχρημένη σώματι, καὶ τούτῳ ζωῆς, αὐξήσεώς τε, καὶ αἰσθήσεως, καὶ γεννήσεως παρεκτική, οὐχ ἕτερον ἔχουσα παρ' ἑαυτὴν τὸν νοῦν, ἀλλὰ μέρος αὐτῆς τὸ καθαρώτατον, ὥσπερ γὰρ ὀφθαλμὸς ἐν σώματι, οὕτως ἐν ψυχῇ νοῦς, αὐτεξούσιος, θελητική τε καὶ ἐνεργητική, τρεπτὴ, ἤτοι ἐθελότρεπτος. Anima eſt ſubſtantia vivens, ſimplex & incorporea, & corporeis oculis ſecundùm propriam ſui naturam inviſibilis, immortalis, rationalis, intellectualis, infigurabilis, organico utens corpore: illi vitam, augmentationem, ſenſum, & generationem tribuens, non aliud habens præter ſeipſam, mentem: Sed pars ipſius eſt puriſſima. Quemadmodũ n. oculus in corpore, ſic mens in anima, liberæ poteſta-

tis, vo-

tis, voluntate prædita, & operationis efficax, vertibilis, id est, mutabilis voluntate &c.

De numero animarum.

De numero animarum quæritur, an plures sint una? *Triplicem vitam esse nemo negat, nempe* vegetantē, sentientem & ratiocinantem. *Vnde triplex anima rectè arguitur*: Vegetativa, sensitiva, & anima rationalis. *Quæritur ergo, an tres illæ animæ re, an saltem ratione distinguantur? Vtrumq; discrimen, reale & rationis conceditur, sed respectu diverso. Quatenus distinctæ hæ animæ in distinctis existunt subjectis, re distinctæ sunt.* Vegetativa *enim anima tantùm est in arboribus, fruticibus, herbis, graminibus, quæ omnia vivunt quidem & animata sunt, sed tantùm animâ vegetativâ sine sensitivâ.* Sensitivâ *animâ sine rationali vivunt bruta animantia, ut bos, leo, capra &c.* Anima rationali *vivit homo. Anima igitur vegetativa prout in herbis, arboribus est, re distinguitur ab animâ sensitivâ, & anima sensitiva, prout in animalibus brutis est, re distinguitur à rationali animâ. Vt autem sensitiva in brutis sub se habet animam vegetativam, non ut animam à seorsim existentem, sed ut facultatem: Ita in homine non tres sunt animæ sive formæ, sed una est anima rationalis, quæ inferioribus quoq; illis, nempe sentiendi & vegetandi facultatibus, prædita est. Vnde rectè Scaliger* Exercit. 102. sect. 5. *asserit, hominis animam regulam esse omnium viventium. Sed hâc de re pluribus, Deo volente, in* nostrâ Anthropologiâ. Vide interim Suarez disput. 6. Metaphys. sect. 9. dist. 17. Damascenum loco allegato.

Quæ-

Quæritur porrò, an anima ſit tota in toto, & qualibet ejus parte tota? *Affirmativè reſpondemus; eſt enim forma ſubſtantialis totius & partis. Quemadmodum enim recedente animâ non amplius totum corpus dicitur homo, niſi æquivocè: ita neq; oculus, neq; manus, dicuntur tales eſſe, niſi æquivocè. Vnde manifeſtum eſt, nullam partem corporis proprium habere opus, animâ recedente. Et ſanè quod dicitur de anima in genere, maximè verum eſt de animâ intelligẽte: Illa enim cùm ſpiritus ſit, quilibet intelligit quod ſit indiviſibilis. Quare cum nulla alia anima ſit in homine, præter illam; quælibet verò pars corporis humani ſit animata; intelligitur, quòd ſit actus cujuslibet partis. De eſſentia loquimur: Quantum enim ad virtutes, non tota eſt in qualibet parte; ſed per facultatem viſivam, in oculo; per virtutem audiendi, in auribus &c. Idem docet Auguſtinus* libro contra Epiſtolam fundamenti capit. 16. *Vbi inquit*: Singulis ſui corporis partibus tota præſto eſt, cùm tota ſentit in ſingulis, atque in ſingulis diſtantibus locis tota ſimul adeſt, non unum deſerens: ut in altero tota ſit, neque ita utrumq; tenens, ut aliam partem hic habeat, & alibi aliam, ſed ſufficiens ſe exhibere ſingulis locis totam: quoniam tota ſentit in ſingulis, ſatis oſtendit, ſe locorum ſpacijs non teneri. *Idem docet D. Bernhardus* de interiore domo cap. 47. *Vbi docet animam ita eſſe in ſuo corpore, ut Deus eſt in mundo.* Videatur etiam Auguſtinus lib. 6. de Trin: cap. 6.

Quæſtio.

Quæri-

Alia quæstio. Quæritur etiam: an anima rationalis possit separari à corpore, & an sit immortalis? *Affirmamus. Nam quodcunq; extra materiam operari potest, illud est immortale: quia itaq; hoc potest anima; rectè immortalis finitur. Cùm enim omnes omnium aliarum formarum operationes non sint in ipsis, sed in compositis: hæc sola, licet quidem communes habeat operationes, cum corpore, ut sunt, sentire, vegetare, movere;* Philosophus de Somn. & vigil. c.2. *tamen cum corpore simul non exercet suam operationem propriam: nempè intelligere, quod in solâ inest animâ. Probatur hoc exemplo eorum, qui Ecstasim (quæ raptus mentis est cum cessatione omnium operationum in inferioribus potentiis) patiuntur. Hi enim multa vident & intelligunt, quæ mente sensibus depreßâ nunquam vel viderant vel intellexerant. Operatio verò cujusq; rei naturam demonstrat. Vt enim se res habet ad operationes: ita se habet ad τὸ εἶναι, ut ex præcedentibus manifestum est. Omninò igitur anima à corpore separatur, & minimè extinguitur. Atque hoc argumentum, quia ex verbis Philosophi erui potest, concludit* Zabarella lib. de Accret. & nutritione: c. 15. pag. 811. Aristotelem *immortalitatem animæ humanæ credidiße. Atque verè inde colligitur: Nam quod in se propriam habet operationem, id non tantùm aliis, verùm & sibi quodammodo existit, atq; adeò ab eo, quo cum existit, separari potest. Separatur itaque anima hominis & immortalis est: imò expreßè hoc testatur Philosophus* lib.3. de anim. c. 5. *ubi intellectum agentem dicit* ἀθάνατον καὶ ἀΐδιον. Videatur etiam Plato in

in Gorgiâ mihi pag.312. E. & ibidem pag.313. in Menone.p.16.G.in Phædro pag.344. C. ibid.pag 381.A.lib.10.de Republ.pag.516.in Apologia Socratis pag.369.

Quæritur tandem: an anima hominis ita à corpore separata existẽs, æternùm extra corpus sit mansura, an verò aliquando iterum cum corpore sit unienda, hoc est, an futura sit aliquando mortuorum resurrectio. *Affirmari id posse, præter argumenta ex sacris petita, & articulum fidei constituentia, rationibus probabilibus ex recta ratione derivatis testantur omnes Patres & Theologi orthodoxi.* Alia quæstio.

Faciemus periculum. 1. Omnis forma post mortem superstes naturaliter requirit materiam: Anima humana est forma post mortem superstes: Ergo anima humana post mortem requirit materiam. Major probatur: Quia anima illa, quæ post mortem superstes est, spiritus incompletus est. Vnde iterũ infertur: Omne incompletum naturaliter tendit ad perfectionem compositi: At anima à corpore separata, est Ens sive spiritus incompletus: Ergo tendit ad perfectionem compositi. In his argumentationibus nullam propositionem negabit vel Plato vel Aristoteles, vel etiam Philosophus Christianus: Ergo veritatem concludunt. Nisi forsan quis quærat, cur spiritum incompletum dicamus animam à corpore separatam. Expedita est responsio: Quia est Ens incompletum, & species incompleta: Non enim est Ens absolutum: sed principium; quod perfectum & completum extra suum principiatum non existit. Quod probat etiam Hafenrefferus locis

Theol.lib.3.stat.3.Rest.loc.2. de Christo pag. 316. *cujus verba mox adscribemus.*

2. *Quodcunque separatum à corpore retinet potentiam agendi in corpore, id quoque retinet & conjunctionis cum corpore desiderium, propensionem & dependentiam. At anima separata à corpore, retinet potentiam agendi in corpore: Ergo anima separata à corpore, retinet etiam conjunctionis cum corpore desiderium, propensionem & dependentiam. Major est manifesta. Minor probatur ratione & authoritate. Ratione: Nam potentia illa animæ est* δύναμις φυσικὴ, *& proprietas quarti modi, quæ non tollitur, quin simul tollatur ipsum subjectum, ipsa anima: at anima post mortem non tollitur: Ergo neque* δύναμις *illa* φυσική. *Authoritate.* D. Gregorius Nyssenus *in libro* περὶ κατασκευῆς ἀνθρώπου, *non tantum hujus appetitus & desiderij mentionem facit: sed penè eodem nobiscum utitur argumento, quando cap.27. in hunc modum disputat:* Τοιοῦτόν τι καὶ περὶ σεαυτὸν ἐννοῶν, οὐχ ἁμαρτήσεις τοῦ πρέποντος. Φυσικῇ γάρ τινι σχέσει καὶ στοργῇ πρὸς τὸ συνοικῆσαν σῶμα τῆς ψυχῆς διακειμένης, ἐστί τις κατὰ τὸ λεληθὸς αὐτῇ διὰ τῆς συνανακράσεως τοῦ οἰκείου σχέσις τε καὶ ἐπίγνωσις, οἷον σημείων τινῶν παρὰ τῆς φύσεως ἐπικειμένων, δι᾽ ὧν ἡ κοινότης ἀσύγχυτος μένει διακρινομένη τοῖς ἰδιάζουσι. Τῆς τοίνυν ψυχῆς τὸ συγγενές τε καὶ ἴδιον ἐφ᾽ ἑαυτὴν πάλιν ἑλκούσης τίς πόνος εἰπέ μοι. Τῇ θείᾳ δυνάμει κωλύσαι τῶν οἰκείων

τὴν

τὴν συνδρομὴν, ἀῤῥήτῳ τινὶ τῇ τῆς φύσεως ὁλκῇ πρὸς τὸ ἴδιον ἐπειγομένων, *hoc est.*

Idem ſi de temetipſo cogitabis, haudquaquam à verò aberraveris. Nam quum animus affectione & amore à natura ſingulari corpus, in cujus quaſi contubernio fuit, proſequatur: iccircò eidem conjunctione priſtinâ quædam ineſt erga proprium corpus occulta ſive affectio ſive cognitio, natura quaſi notas ſingulis imprimente, ne illa, quam diximus, in communitate omnia confunderentur, ſed quoddam ſingulorum diſcrimen remaneret: Quapropter quum animus ipſe quicquid ſit ſibi cognitum & proprium eſt, colligat, quis obſecrò labor poteſtati divinæ fuerit impedire, ut ne cognata rurſus concurrant, quæ ductu naturæ quodam ineffabili ad ſe mutuò feruntur? *Habere etiam animam à corpore ſeparatam dependentiam ad corpus probat Hafenrefferus in locis Theologicis* lib. 3. ſtat. 3. loc. 2. in quæſt. Vnone modo ſumitur vocabulũ Hypoſtaſeos? *Vbi in tertiâ ſignificatione ait: Perſona non habet dependentiam ad aliud, ſicut anima ſeparata ad ſuſcitandum corpus. Et loco modò allegato inquit:* Quæ naturaliter unita ſunt, illa ita ſeſe mutuò perficiunt, ut neutrum ſine altero, perfectionem ſuam obtineat (ſic ſine Animâ corpus mortuum eſt: & illa ſeparatâ, corporis reſurrectionem cum deſiderio expectat) ſed naturarum in Chriſto longè alia ratio eſt &c.

3. Hinc porrò ita argumentamur: Nulla propensio & dependentia est frustra data, sed necesse est aliquando impleri: At in animâ separatâ à corpore est propensio conjunctionis cum corpore: Ergo non est frustra data: sed necessariò aliquando implebitur. Major constat per axioma Philosophicum: Deus & natura nihil faciunt frustra. Minor nititur Syllogismo præcedente.

4. Quicquid est in statu imperfecto & violento, illud perpetuum non est: At anima extra corpus constituta est in statu imperfecto & violento: Ergo ita perpetuò non est. Major probatur: Quia nullum violentum & imperfectum est diuturnum. Minor quoq; constat: Nam principium extra suum principiatum constitutum est in statu violento & imperfecto: At anima separata à corpore, est extra suum principiatum: Ergo est in statu imperfecto. Inquis: verisimile non esse, quod dicimus, animam post separationem à corpore in statu imperfecto esse: idq; ob duplicem rationem: alteram Theologicam, alteram Philosophicam. Theologica hæc est: quòd animæ, & quidem piorum post mortem sint in manu Dei & sinu Abrahæ, adeoq; in statu perfectißimo. Philosophica: quòd anima, à corpore soluta, perfectius videatur operari, ratiocinari, intelligere. Ad priorem rationem dicimus: distinguendum esse inter internam perfectionem sive imperfectionem: & inter statum ejus externum. Hic licet post mortem sit perfectißimus: non tamen tollit imperfectionem illam internam, quam communem habet cum principijs extra sua principiata cõstitutis,

tutis, neq; etiam delet vel extinguit στοργὴν illam & ὄρεξιν, itemq; desiderium informandi iterum suum corpus, sed potius auget. Cupit enim anima, ut secum eadem felicitate fruatur corpus. Et si anima, quando separata à corpore in sinu Abrahæ quiescit, in perfectißimo est statu, hoc est, si est perfectißima in sese simpliciter & non duntaxat κατά τι, deturbabitur ab illa perfectione, quando in extremo die iterum assumet suum corpus: Quod absurdum. Ergo simpliciter ratione essentiæ suæ constitutionis in perfectißimo statu non est: sed perfectio illa, quando in novißimo die cum corpore vicißim unietur, complebitur. Philosophica ratio laborat vitio à dicto secundùm quid. Nam etsi quidem anima suas in sese proprias quasdam habet operationes inorganicas, quas post separationem retinet & suo peculiari modo exercet: manent tamen etiam in eâdem potentiæ operandi per organa corporea, imò ipsum corpus informandi, hominem in suâ specie constituendi &c. quarum respectu à nobis imperfecta sive in statu imperfecto & violento esse rectè dicitur. Imperfectum enim Philosopho lib. δ. Metaphys. c.16. t.21. (ut idem ex libro primo manifestum est) dicitur vel quantitate, vel virtute, vel fine. Imperfectum quantitate locum hic habet nullum: quia anima spiritus est, quantitate carens. Virtute verò eam imperfectam esse patet ex dictis. Potentiam enim, quam in se habet, agendi per organa corporea, informandi corpus, constituendi hominem in suâ specie, adeoq; perfectam cõstituere speciem &c. in actum producere nequit. Deindè fine imperfecta est. Anima enim

humana non perinde est spiritus completus in suâ essentiâ, ut angeli. Non enim condita est, ut in se absolveret ὂν completum & speciem perfectam Entis: sed ut in corpore & per corpus, tanquam in suâ & per suam materiam constitueret nō angelum aut spiritum simplicem: sed hominem, de quo verè prædicari posset, quod sit substantia corporea. Adde si anima humana constitueret & absolveret in se speciem completam & ita Ens completum esset, utiq; & corpus esset species completa. Si verò hoc concedatur, anima & corpus erunt perfectè disparata, quæ nunquam unum essentiale, hoc est, hominem, constituent. At hominem essentialiter unum esse, constantem animâ & corpore essentialiter unitis, nemo inficiabitur: Ergo anima & corpus disparata completa non erunt, sed incompleta, adeoq; incompletæ species, & incompleta ὄντα, quæ essentialiter uniri, & unam completam speciem, unum completū ὂν, constituere possunt. Manet igitur, animam nō esse speciem completam, sed hominem; illam verò tātùm partem speciei sive totius, quam extra suum totum constitutam in statu violento & incompleto esse, nemo vel Philosophorum, vel hominum quoq;, qui duntaxat naturali judicandi facultate pollent, inficias ibit.

5. Probare possumus desiderare animam non conjunctionem tantùm cum corpore, sed conjunctionem cum eo ipso, quo cum sit ante separationem unita. Argumentum ita habet: Determinata & eodem numero forma determinatam appetit & eandem numero materiam: At anima separata à corpore post mortem determinata & eadem numero forma est: Ergo anima à corpore separata determinatam appetit & eandem nume-

numero materiam: Et per consequens, frustraretur anima suo desiderio, si cum alio corpore jūgeretur, præter id, quod inhabitavit ante, quod informavit, quocum deniq; conjungi expetit. Quid hic reprehenditur? Nihil audio, præter unum, idq; valde jejunum. Materiam, inquiunt, desiderare formam, non hanc istam: Illud enim probare Philosophum lib. 1. Phys. c. ult. hoc nusquam reperiri apud ullum Philosophum, aut authorem. Quid tum postea? Nō reperiatur. Ego tamen Philosophus hoc assero, & verum esse statuo, idq; non sine ratione. Ratione, non authoritate Philosophus pugnat. En Anima forma est: post mortem verò est extra suam materiam, suamq; speciem, quam per naturam suam constituere debet: In statu itaq; imperfecto & violento est, adeoq; ipsa imperfecta. Nam tota, integra & perfecta formæ natura consistit in tribus: ut informet materiam, & ita compositum constituat: ut compositum ab omnibus aliis speciebus distinguat; & tandem ut sit caussa actionum in composito. Vt enim passiones propriè debentur materiæ, ita operationes Compositi propriè sunt formæ. Arist. lib. 1 de gen. text. 55 & lib. 2. text. 53. Hisce omnibus extra materiam constituta anima destituitur: Ergo, ut diximus, in statu imperfecto est. Iam propriè imperfectum tendit naturaliter ad suam perfectionem: Ergo & anima in statu imperfecto constituta: Ast alio modo non acquirit illam perfectionem, nisi conjungatur cū suo corpore: Ergo maximo tenetur desiderio, ut cū eo iterū unū existat individuū. Quod manifestū est in forma assistente. Verbi gratia: Nauta est forma assistens navis. Est enim caussa motus & rectitudinis ejus in navi.

Quare nihil magis in votis habet nauta quàm in navi sua esse, eamq; gubernare & movere: Imò extra navem propriè nauta non est, & si est, imperfectus est. Unde à minore ad majus ita rectè argumentamur: Forma aßistens extra suum subjectum est imperfecta: Ergo multò magis forma informans. Consequentia bona est: Nam inter formam informantem & materiam essentialis est affinitas: inter aßistentem verò & subjectum ejus tantùm accidentalis. Ad Philosophum quod spectat, scio ejus verba, quæ extant lib. 1. *ἀκρ. t.* 81. τοῦτ' ἔστιν ὕλη, ὥσπερ ἂν εἰ θῆλυ ἄῤῥενος, καὶ αἰσχρὸν καλοῦ, *hoc est*, materia perinde appetens illud, atq; si fæminam marem, & turpe appetat pulchrum. *Verùm quomodo Aristoteles ibi aliter loqui potuit? Agit de principiis generationis: In generatione verò materiæ tantùm tribui potest appetitus: quia materia tantùm est, forma nondum existit: Ergo neq; ejus appetitus. Quocirca in generatione tantùm appetit materia, nunquam forma. Aliter verò se res habet in præsenti negotio, ubi non agitur de generatione, per quam ex potentia materiæ producitur forma: sed de conjunctione materiæ cum formâ, quæ superstes est post corruptionem sive resolutionem. Si tu hic quæreres ex Aristotele, an in tali casu formæ quoq; appetitus tribui poßit: utiq; non negaret Philosophus. Autoritatem desideras? En Virgilius hujus appetitus mentionem facit* lib. 6. Aen.

Rursus & incipiant in corpora velle reverti.

Appetitum hunc vocat Gregorius Nyssenus στοργὴν καὶ σχέσιν. *& Hafenrefferus dependentiam, desiderium, expectationem, ut dictum fuit in secundo argumento.*

6. Quod

6 .*Quod in genere de omnibus Ethnicis asserit Apostolus Paulus* Rom. 1. v. 19. Τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ, φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς. ὁ γὰρ θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσε. τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, ἥτε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης: *Id in specie quoque verum est de Platone & aliis sanioribus Ethnicis. Accuratè enim is rerum naturam intuens, perq; illam ad primam caussam ductus, agnovit eam DEUM esse omnipotentem, cui nihil omninò sit impossibile. Unde etiam secundùm Platonem Deum facere posse impossibilia naturæ, testatur Augustinus* lib. 22. de civit. Dei cap. 26. *Hoc posito fundamento, quæritur, si Platoni sive Platonico obijciatur vel à Christiano, vel à Judæo, Deum post certum & determinatum tempus resuscitaturum mortuos; an possit id simpliciter, ut impossibile, reijcere. Hic mecum omnes, qui* ἀρρωστίᾳ τῆς διανοίας *non laborant, fatebuntur, quòd, salvo posito axiomate, id neq; à Platone, neq; ab ullo Platonico possit negari. Sic enim Christianus Philosophus urgebit Platonem: Quæ sunt impossibilia naturæ, potest Deus: At resurrectio mortuorum est impossibilis naturæ: Ergo Deus potest resuscitare mortuos. Major stat per fundamentum Philosophiæ Platonicæ. Minor vera conceditur à lippis & tonsoribus: Ergo conclusio quoque vera erit. Porrò igitur urgendus est Platonicus hunc in modum: Quodcunq; Deus potest, non est simpliciter impossibile: At virtute divinâ possunt resurgere mortui: Ergo resurrectio non est simpliciter impossibilis. Et iterum: Quod simplici-*

ter impoßibile non est, id temerè sine certâ & firmâ ratione negari non debet: At resurrectio mortuorum, quam asserit Iudæus vel Christianus, non est simpliciter impoßibilis: Ergo tenere sine certâ ratione negari non debet. Iam descendendum est Platoni sive Platonicis cum Athenagorâ Christiano Philosopho in theatrum universæ naturæ, & circumspiciendum, an dentur argumenta sive signa sive testimonia resurrectionem hanc simpliciter negantia. Hoc quando fit, demonstrabitur ab Athenagorâ ut etiam à nobis demonstratum est, non ex scripturâ, sed ex naturâ & rectâ ratione nullam inveniri certam demonstrationem in naturâ, sententiam hanc Christianorum denegantem: sed plurimas rationes eam confirmantes. Atque ita per visibilia hæc primùm videt Plato Deum omnipotentem, & per principium hoc quodam modo credit Iudæo vel Christiano. Atque hoc respiciens Augustinus. lib. sent. 7. *dixit*: Omni fide dignum est, nihil Deum non posse: tali etiam ratione colligi potest, NON ESSE CONTRA NATURAM, UT RESURGAT HOC CORPUS.

7. *Damascenus duplici argumentorum genere resurrectionem mortuorum probat* lib. 4. de fid. Orth. cap. 28. *ex naturâ & scripturâ: Argumenta ex naturâ petita ita resolvimus. 1. Qui ex pulvere terræ hominem in principio constituit; is rursus resolutum & conversum in terram, ex quâ sumptus fuerat; potest suscitare: At Deus ex pulvere terræ hominem in principio constituit, fatentibus & concedentibus Ethnicis, & Philosophis: Ergo etiam resolutum & conversum in terram potest suscitare. 2. Quicunq;*

negat resurrectionem mortuorum, negat utiq; discrimen hominis à rationis expertibus: At hoc est absurdum negare: Ergo neque resuscitatio mortuorum negabitur. 3. Qui negat resurrectionem mortuorum, affirmat tantùm agrestes feras beatas esse: Sed hoc est absurdum: Ergo &c. 4. Qui negat resurrectionem mortuorum, negat Deum, providentiamq;, & contra omnia casu duci & ferri affirmat: At negare Deum, & providentiam, atq; è contrario affirmare cuncta duci & ferri casu, absurdum judicant Philosophi: Ergo resurrectionem negare non possunt. Minorem sufficienter probat Damascenus loco allegato. Videatur etiam disputatio Irenæi lib. 5. contra hæres. cap. 3. mihi pag. 437. c. Epiphan. cont. hæres. lib. 1. tom. 3. cap. 42. mihi pag. 137. c. item lib. 2. cont. hær. tom. 2. cap. 67. mihi pag. 316. C. Tertull. de resurr. carn. c. 13. Oratio de Resur. cern. Athenagoræ, Philosophi Christiani Atheniensis. *Cujus argumenta omnia ex solâ natura & rectâ ratione petita huc referre nimis longum foret.* Videatur porrò Ambrosius de fid. resurrectio. Minutius Felix. in octavo.

8. *Ex verbis Lutheri in Genes.*cap. 1. pag. 10. a. *ita rectè inferimus: Quæcunque creatura in cognitione naturæ naturaliter exercetur, motum cœli intelligit, cœlestia corpora metitur; illa non est condita, ut tantùm in hac infimâ orbis parte vivat: sed ut cœlum possideat, & vitâ æternâ fruatur. At solus homo (non vacca, non canis, non sus &c.) naturaliter in cognitione naturæ exercetur, motum cœli*

intel-

intelligit, cœlestia corpora metitur: Ergo solus homo (non vacca &c.) non est conditus, ut tantùm in infimâ hâc orbis parte vivat; sed ut cœlum poßideat, & vitâ æternâ fruatur. At (subsumimus nos) cœlum poßidere & vitâ æternâ frui nequit, nisi resurgat. Ergo resurrectio necessariò futura esse videtur.

Qualia autem sunt hæc argumenta? Dicam, sed non meis verum D. D. Pelargi verbis, qui in comm. sup. Damasc. de fid. Orthodoxa lib. 4. c. 28. p. 260. b. *ita scribit*: Argumenta, quæ pro resurrectione carnis afferuntur, in textu duorum sunt generum: alia ἔνδοξα; alia ἀναγκαῖα & ἀποδεικτικά: illa q; RATIONIBUS; hæc scripturarum testimonijs constant. *Ἔνδοξα igitur & probabilia sunt hæc argumenta, non ἀναγκαῖα, non demonstrantia, vel quæ articulum fidei constituere poßint. Quod forsan suo loco & tempore pluribus demonstrabitur. Interim hujusmodi argumenta plane negligenda & abjicienda non sunt, quod iterum eruditè monuit doctißimus Pelargus* in lib. 1. cap. 3. de fid. Orthod. Damasc. *his verbis*. Ἀποδείξει Syllogistica non aliam ob caussam uti libuit; nisi ut ostenderetur ipsi etiam rationi ἀθεϊσμὸν esse contrarium: Logicam verò sancto huic inservire usui, ut Deum inde astruamus. Etsi enim nulla videbatur opus demonstratione ejus dogmatis, quod fidem postulat: Τὸ γὰρ τῆς ἡμετέρας παιδείας ἐστὶν ἀνωτέρω τῆς κοσμικῆς καταλήψεως. Tatian. cont. gent. Quæ Origenes non malè accusa-


cuſatus eſt apud Epiphanium in ἀνακεφαλαιώσει, quòd ἐκ συλλογισμῶν Ἀριστοτελικῶν & γεωμετρικῶν Deum Patrem adſtruere voluerit: non improbari tamen debet tempeſtiva adverſus impios διάλεξις, quâ non modò Eccleſiæ doctores alios; ſed & Apoſtolos & Chriſtum ipſum uſum fuiſſe conſtat: quam etiam ceſſantibus miraculis & deficientibus alijs noſtrâ culpâ donis, neceſſariam autor innuit: ita tamen, ut rationem præcedat oratio, omnis boni principium. Chryſoſt. lib. 2. de orat. *Quocircà ne adhuc quis ſuſpicetur, nos Articulum fidei in articulum rationis transformare: uberiùs hunc in modum nos explicamus. nempe affirmare nos, rationem ita argumentando de reſurrectione balbutire, (ſunt enim probabilia argumenta, quibus contradici poſſe nemo negat) eam verò certò ſolâ ratione cognoſci poſſe, conſtanter negare: Deinde argumentis illis duntaxat oſtendi, mortalibus largiri immortalitatem, mortuos reſuſcitare, non implicare contradictionem, ideoq; ne quidem ductu rationis ſimpliciter impoßibilia judicanda eſſe. Quandoquidem, ut infrà demonſtrabitur, & etiam ex hactenus diſputatis conſtat, quæcunq; non implicant contradictionem, poßibilia judicat ratio potentiæ divinæ. Ex quo principio omnes athei articulos fidei Chriſtianæ; itemq; miracula, in Biblijs contenta, in dubium vocantes vel planè negantes urgeri poſſe nemo ſanus negabit.*

EX

EXERCITATIO TERTIA.

DE INTELLIGENTIIS.

Typus hujus Exercitationis.



Theo-

Theorema I.

Eſſe intelligentias & angelos apud ſaniores Philoſophos nunquam fuit dubitatum.

Subſtantia completa præcedente Exercitatione, theoremate I. tributa eſt in corpoream, de qua ibi: & ſpiritualem, de quâ præſens Exercitatio cum proximè ſequentibus inſtituetur.

Spiritualis ſubſtãtia vel eſt ad aliud, quod informat, determinata, ut anima hominis, de quâ in Theor. ult. præcedentis Exercitationis: vel abſoluta, quæ ſimpliciter in ſe ſpiritualis eſt, & ad nullam materiam ordinata.

Hæc eſt vel infinita ſive increata, nempe DEus ter. Opt. Maxim: vel finita & creata, ut ſunt angeli. De his prius; tũ de Deo agemus. Angeli conſiderantur vel in eſſentiâ; vel in affectionibus.

Eſſentiæ conſideratio conſiſtit in quæſtione an ſit, & quid ſit.

Eſſe Angelos ſive intelligentias collegerunt Philoſophi ſaniores ex orbium cæleſtiũ motibus. *Corpora enim cæleſtia contemplantes, ſimpliciſſimaq; illa in ſuo genere & ejusdem naturæ eſſe obſervantes, aliam habere iſta materiam, à corporibus ſublunarib. & elemẽtaribus concluſerunt, nẽpe à forma et ab interno principio motus activo liberã. Denique corporũ illorum diverſiſſimos, imo cõtrarios, vidẽtes motus, cũ nihil à ſemetipſo; ſed quicquid movetur,* Intelligentias ſeu angelos eſſe.

ab alio

ab alio moveatur, ab aliis, & quidem externis principiis illos cieri demonstraverunt. Aßignaverunt itaq; corporibus illis & orbibus cœlestibus vñç mentes sive formas, non informantes quidem, sed aßistentes, adeoq; agnoverunt quasdam intelligentias substantias nimirum intelligentes, expertes materiæ & corruptionis, aptas ad corpora cœlestia perpetuò movenda.

*Has Metaphysicæ esse contemplationis diximus su*pra lib. 1. Exercit. 2. Theoremate 5. *Nametsi quidem concedimus, quod habet* Goclenius in præfat. Metaph. Isagoge th. 5. 12. 19. 20. & seqq. *doctrinam de Intelligentiis & Deo constituere posse peculiarem quandam scientiam in Philosophiâ. Nam dato subjecto & distincto modo considerandi, datur etiam distincta scientia: Atqui hic datur subjectum* intelligentia, *& distinctus modus considerandi,* nempe immateriata *& quòd sit expers compositionis ejus, quæ corporis est, unde multæ affectiones peculiares ob incorporeitatem illi convenientes sequuntur. Etsi, inquam, hæc vera sunt: mens tamen nostra tum adeò in rebus illis cæcutiat, & parvum admodum sit, quod de spiritibus & Deo intelligamus naturaliter, tam exiguæ cognitioni peculiaris scientia attribui & destinari non potuit. Ab Aristotele itaq; & omnibus, qui Aristotelem sequuntur, de illis in prima Philosophiâ, hoc est, in illa scientiâ, quæ de Ente, quatenus Ens est, agit, pertractatur, tùm quia sunt nobilißimæ & excellentißimæ substantiæ; tùm quia in prima hac Philosophiâ non tantùm rationem speciei, sed etiam principiorum habent, quod potißimùm & quidem primariò & principaliter de Deo verum est. Vnde*

Locus tractationis de intelligentijs.

axioma

axioma Metaphysicum: communissimus, primus, & immediatus effectus Dei, est esse.

Promisimus autem nos, priori loco de Intelligentijs *acturos, quas per motum corporum cælestium à priscis Philosophis inventas esse diximus.* Arist. lib. 8. Phys. c. 6. lib. λ. Metaph. c. 8. text. 43. Plato lib. 1. de Legibus. *Atq; sententia illa, nempe* Intelligentias illas esse orbium cælestium motrices, *adeò absurda esse non videtur, quin potius sine veritatis jactura aut certè sine aliqua falsitatis apparentia approbari poßit. Si enim orbes corporum cælestium ab Intelligentijs non moverentur, quomodo rerum sensibilium & insensibilium, mundi corporei & incorporei ordo & connexio constaret? quæ etiam via ad Intelligentias & mentes à materiæ concretione sejunctas investigandas relinqueretur Philosophis? omninò nulla. Quomodo etiam illud absurdum sit in Theologia non videmus, cùm nihil magis de Iehovæ sapientia & omnipotentiâ decedat, si mundum mediatè per Angelos movere velit, quàm cùm animal movet per animam, vel corpus naturale per naturam. Approbare hanc sententiam putant nonnulli* Augustinum lib. 3. de Trinitate c. 4. *ubi dicit:* quemadmodum inferiora corpora per superiora, ita superiora per spiritum vitæ quodam ordine regi. *Apud* Thomam *hæc res certißima est* Opusc. 10. art. 3. & opusc. 11. art. 2. & de potent. quæst. 6. art. 3. *ait:* Fidei sententia est, quòd substantiæ separatæ sive angeli moveant corpora cælestia. *Allegant etiam pro hac sententia* Origin. homil. 13. & 14. super Numeros D. Augustini

Intelligentias esse orbium cæli motrices.

lib.83.quæst.q.97.& lib.8.super Genesin c.24. Thomam.lib.3.cont.gent.c.78.& 79.Dionyſ. c.5:Cæleſt.Hierarch.& 8.cap.de divin.nomini:Greg.4.Dial.c.4.&c.

Cælum ab intelligentijs moveri probatur.

Moveri autem cælos per Intelligentias pluribus hunc in modum probari poſſe videtur: Principium motus cæleſtis aut eſt internum, aut externum. Si internum, eſt vel forma naturalis ſive natura, vel animalis ſive anima. Non natura. Hæc enim principium motus & quietis eſt: Motus quidem, quando corpus naturale eſt in loco violento; ut quando lapis in aëre hæret, forma naturalis cauſſatur motum deorſum: ſic ignis quando in terrâ eſt, eadem cauſſatur motum ſurſum: Contra verò quando ignis eſt in concavâ Lunæ, & lapis in centro, utpote in locis proprijs; uterq; per formam quieſcit. Hinc Ariſtoteles lib.1. de cælo text. 100. Omnes res, *inquit*, quieſcunt, per motum, cum perveniunt ad ſuum locum. *Et ſuper illum text. Averroës*: Quia rebus accidit quies, quando loca ſua naturalia attingunt. *Ergo cælum & corpora cæleſtia, quia in proprio ſuo loco ſubſiſtunt, magis per ſuam formam quieſcere debent, quàm moveri.* Deindè *omnis forma, quæ movet rem naturalem, eam movet per quandam qualitatem. Phyſicum enim motum ſine qualitate fieri impoſſibile eſt. Quis autem in cæleſtibus corporibus mihi monſtrabit qualitatem reſpondentem gravitati & levitati in Elementis, per quam illa propendeant ad motum circularem?* Tertiò: *per formam corpus ſimplex tantùm ad unum motum determinatur, quia ipſa eſt determinata natura. Atqui in corporibus cæleſtibus varios*

expe-

experimur motus: Ergo illa non sunt ad unum determinata forma. Ultimò: nulla forma, nulla res corporea, est capax potentiæ infinitæ: Atqui talis ad motum corporum cælestium requiritur: Nam licet quidem is per potentiam divinam aliquando sit cessaturus: attamen secundùm cursum & ordinem naturæ neq; cessare neq; deficere potest: quocirca ratione potentiæ, quâ agitatur ista corpora, motus ille æternùm durare posset. Ergo motus ille non est à formâ cælesti.

Animam porrò non esse in cælo docuit Aristoteles lib.2.de cælo text.6. Deindè si anima in cælo esset, cælum esset corpus organicum: nam anima est corporis organici forma. lib.2.de anim. c.1. Atqui cælum est corpus similare inorganicum: Ergo cælum non habet animam. Tertiò: nulla anima & forma, materiæ immersa, agit & operatur sine lassitudine: Atqui forma & virtus movens cælos, operatur sine lassitudine: Ergo non est anima materiæ immersa. Animam non esse in cælo.

Cur autem, inquis, Aristoteles sæpius cælum animatum dicit, & Averroës illi animam attribuit? Aristoteles nullibi defendit animam in cælo esse: quando autem interdum illud animatum prædicat, id facit secundùm excellentiam. Intelligentia enim in cælo excellenter fungitur muneribus animæ. Averroës verò licet cælo animam attribuere videatur, de subst.orb.c.1.lib.12.Met.t.36. nihil tamen de virtutibus animæ præter intellectum & virtutem desiderativam in eo agnoscit, nullibi addens virtutem motricem, quam intelligentijs relinquit: absq; dubio ductus & motus ultima nostrâ ratione, nempe quòd nulla for- Cur cælum animatum dicatur.

la forma materiæ immersa sine laßitudine operetur. Hactenus igitur probatum est, cælestia corpora principio & virtute internâ non moveri. Non etiam externo principio. Id enim aut finitum aut infinitum. Non infinitum: Nihil enim infinitum, nisi solus Deus. Quòd verò Deus immediatè movet, id miraculosè movetur: quod de cælestibus corporibus, eorumq; motibus absurdum est adseverare. Ergo finitum, adeoq; Intel-
" *ligentia, vel aliud quid: At aliud non datur. Huic*
" Aristotelis *sententiæ omnes illi, qui in salvandis ap-*
" *parentijs* Purbachium & Regiomontanum *non*
" *sequuntur, subscribere coguntur, & intelligentias stel-*
" *lis potißimùm erraticis sive planetis præficere atq; ad*
" *illorum multiplicationem multiplicare. Idem etiam faciendum est* Tychoni in Ep. Danæo in Physi. Hieron. Fracast. in Homocent. Schult. lib. 1. Sphær. c.4. lib.2. c.8. *& qui hos sequuntur, cælumq; realiter in orbes dissectum esse negant, & stellas proprio motu sine motu orbis moveri statuunt.*

Concluditur itaq; pro Aristotele, cælum præter Intelligentias moveri non posse. Atq; hoc unicum fuit medium, cujus beneficio ad τὸ ὅτι intelligentiarum cognoscendum pervenire potuit. Unde etiam Philosophus tot colligit intelligentias lib. λ. Metaphys. à text. 42. usq; ad textum 51. *quot orbes numerantur, &* text. 48. *expreßè arguit: si plures essent intel-*
" *ligentiæ, quàm lationes, frustra essent. Quam ta-*
" *men sententiam cum sacrâ scripturâ meritò rejici-*
" *mus.*

Difficultatis & instantiæ solutio.

Contra totam nostram disputationem de Intelligentijs, motricibus orbium cælestium, aliquis potest inferre.

ferre. Posse fieri ut corpora cælestia per se, solo concursu Dei *adjuta, ita moveantur. Concedimus quidem opera* Dei *ordinata esse & ita perfecta, ut proprias actiones etiam per se, solo concursu* Dei *adjuta, administrare poßint. Verùm quid hic Philosophus?* A posse ad esse, regerit, non valere consequentiam. *Posse hoc fieri libenter concedit: Credit enim & demonstrat,* DEVM *esse omnipotentem. Ergo etiam cogitur credere,* DEVM *efficere posse, ut cælum per se, accedente immediatâ suâ actione, moveatur: Illud autem actu ita moveri, non statim credit, nisi videat rationes: Quocirca hunc in modum arguit contra datam objectionem: quodcunq; movetur, movetur ab alio: Cælum movetur: Ergo movetur ab alio. Si ab alio, aut immediatè à* DEO, *aut ab Intelligentiâ, aut à formâ internâ, quo ultimo modo etiam dici potest, quòd per se, hoc est, per proprium insitum principium moveatur. Si movetur ab interno principio & formâ; tum forma illa erit naturalis: quia cælum est corpus naturale: habebit itaq; & formam naturalem. Illa autem forma vel erit merè naturalis: vel erit anima; tertia non datur. Atqui neq; formam neq; animam movere cælestia corpora monstratum est. Ergo non moventur ab interno principio. A Deo itaq; immediatè? Id neq; ratione, neq; ex scripturâ probabitur. Deus enim perfectè creavit omnia (erant enim, ut loquitur scriptura, valde bona) & cuilibet rei suum indidit & addidit principium activum agendi & movendi. Quemadmodum igitur bos suum habet principium proprium, nempe animam, quo movetur, quemadmodum homo suo principio activo se movet de loco*

in locum, quemadmodum animalia & naturalia corpora omnia suum habent principium & activum & paßivum motus: ita etiam illud corporibus cælestibus, perfectißimis illis substantijs, minimè denegavit Deus omnipotens & omnia faciens. Quia itaq; principium illud activum motus neq; interna forma vel anima informans esse potest: Erit forma aßistens, quam intelligentiam & spiritum esse constat ex præcedentibus & sequentibus. Hisce rationibus qui credere recusat, is ad absurdum redigi posse videtur, ut statuere cogatur, cælum & cælestia corpora non naturali motu, sed miraculoso adeoq; violento cieri.

Theorema II.

Angeli sive Intelligentiæ sunt spiritus separati & liberi à corporibus & ab omni materiâ corporeâ.

Quid sint intelligentiæ. Esse angelos sive Intelligentias demonstratum est; quid porrò sint, videndum sequitur. *Duo autem dicit Theorema* 1. Intelligentias liberas esse à corporibus 2. Separatas esse ab omni materiâ, adeoq; actus simplices & puras formas. Aristoteles *ubiq; suâ innitens demonstratione utrumq; probat* 8. Phys. *quòd perpetuò & sine laßitudine poßint movere. Omnis enim forma recepta in corpore sive materiâ à qualitatibus ejus impeditur, & delassatur, ideoq; tam stabilem & perpetuum motum edere non potest.* Thomas 1. p. q. 50 a. 1. & 2. *aliam rationem Philosophi elicet ex* lib. λ. Met. t. 41.

Omnis

Omnis materia conjunctam habet quantitatem: Atqui angeli non habent conjunctam quantitatem, hoc est, non sunt quanti: Ergo neq; materiam habent. Minor probatur: si habent angeli quantitatem, illa est vel finita, vel infinita. Non infinita, quia talis non datur: & si omninò daretur, non posset in tempore movere. Non finita, quia & illa nequit movere in tempore infinito. Manet itaq; angelos esse actus puros sine corpore & materiâ.

Objicis: *Angeli sæpius apparent in formâ corporis: Ergo sunt corporei: Respondemus corpus illud adventitium esse ex aëre in speciem craßitiei condensatum, effigiatum & ab angelo assumptum. Ex aëre, inquam, id condensatum esse. Si enim ex craßiore esset materiâ, quàm sit aër: non posset illud tam facili negotio dißipare.*

Theorema III.

Etsi Angeli sunt spiritus, nec compositi ex materiâ & formâ: actus tamen simpliciter puri, nihil potentionalitatis, ut loquuntur, includentes, non sunt. Vnde etiam aliquando orti arguuntur.

Inter veteres Ecclesiasticos doctores non defuerunt, qui Angelis corpora, adeoq; materiam propriè ita dictam, tribuerint. Origenes lib. 2. de principijs cap. 23. *Præter* DEVM *nihil vivere statuit, sine*

corpore. Et ibid. cap. 8. *expreßè dicit, Angelos esse corporeos & habere suas quasdam animas.* *Caßianus* collatione 7. cap. 13. *asserit, Angelos corpus habere, quo subsistant; quamvis sit tenuius nostro.* *Tertullianus* in libro de Carne Christi, *tametsi Angelos carnem habere neget, illos nihilominus alicujus corporis esse affirmat.* *Imò ipse Augustinus licet* in Enchirid. cap. 59. item lib. 21. de civitat. Dei cap. 10. *dubitet; in alijs tamen locis magis in hanc inclinat sententiam, Angelis nimirum corpus tribuendum esse.* Epist. 115. lib. 11. de civit. Dei, cap. 23. lib. 2. in Gen. ad lit. cap. 17. *Alij è contrario Angelos incorporeos esse rectè statuerunt & defenderunt.* *Gregorius Nyssenus* libro de vita Mosis: Verus sermo, *inquit*, ad nos usq; descendit, aliquem Angelorum, Qui Natura Incorporii sunt, in adminiculum cuiq; constitutum esse. *Idem statuerunt* Nazianzenus Orat. 2. de Theolog. Chrysostom. hom. 22. in Genes. Epiphan. contra hær. 26. Theod. in div. dogm. Basil. in homil. quod Deus non sit autor malor. Ignat. in Epist. ad Trallian. Hieron. ad Avitum. Gregor. lib. 4. Moral. c. 9. Fulg. de Fide ad Pet. c. 3.

Error Philosophi.

Aristoteles *disputans* lib. λ. Metaph. t. 30. 31. *de Angelorum sive Intelligentiarum puritate & simplicitate, omnem ab ijs potentiam tollit. In quo gravißimè hallucinatur Philosophus. Nam simplicitas nihil potentionalitatis continens, soli competit primo Enti,*

Enti, Deo ter. Opt. Max. Unde etiam nonnulli ut Fland. 12. Metaph. q. 5. *disputationem hanc Philosophi ad solam primam substantiam trahunt. Verum quia* Aristoteles *satis perspicuus est, & revera de omnibus intelligentiis concludit, quòd potentiâ in universum careant, hoc modo excusari nequit.* Videatur Javellus 12. Metaph. q. 12.

Intelligentias verò simpliciter puros actus esse negatum etiam est in præcedentibus, quando illos supra lib. 1. Exercit. 9. theor. 9. *ex* Scaligero *compositas diximus ex eo, quod aliquomodo respondet potentiæ, & ex alio, quod respondet aliquo modo actui. Non verò propterea statuimus, illud, quod quodam modo potentiæ respondet, esse materiam, quæ possibilitatem necessitati contrariam introducat. Intelligentiæ enim sunt necessariæ: quodcunque verò est necessarium, illud non habet potentiam ad non esse. Ergo Angeli & Intelligentiæ non habent potentiam ad non esse. Consequentia patet: Illud enim tantùm habet potentiam ad non esse, quod habet potentiam ad aliud esse. Atqui talem potentiam in angelis negamus: (Falsa enim est opinio* Averrois 12. Metaph. text. 30. 41. Epit. Metaph. tr. 4. Nicoleo: in q. de subjecto Phys. Jandu. 12. Metaph. q. 10. Mercen. in dilucid. *quâ tantùm potentiam contradictionis pro potentiâ agnoscunt.) Ergo angeli necessarij sunt. Quodcunque enim caret* δυνάμει ἀντιφάσεως *sive potentia ad esse & non esse, id necessarium est.*

Ergo ab alio effectivè dependent? Omninò. Sunt enim multi numero angeli, adeoque finiti essentiâ, cùm plus

Angeli dependent effectivè ab alio.

plus uno infinitum esse nequeat, ut supra lib. 1. Exerc. 10. theorem. 3. *demonstratum est. Ergo ab alio sunt effectivè licet sint necessarij. Neq; absurdum est unum necessarium ab alio esse, uti probat* Cajet. ex 8. Phys. & 5. Metaph. *Vnde infertur: Quodcunq; est effectivè ab alio, illud est compositum. nempe ex potentiâ recipiente & actu recepto: Angeli sunt effectivè ab alio: Ergo Angeli sunt compositi ex potentiâ & actu. Non enim potest esse actus receptus nisi in potentia recipiente. Quicquid verò sit illa potentia, non est potentia materiæ, neq; generabilis neq; corruptibilis.* ,, *Alius enim est modus & ratio recipiendi* ,, *actum in materialibus & alius in immaterialibus sive spiritualibus. Hæc absq; motu & conditionibus materialibus; illa cum motu & ejusmodi conditionibus.* Javellus lib. 12. Metaphysicorum q. 12. *explicat hanc potentiam, quòd accipiatur pro eo, quòd cùm sit imperfectum, possit tamen perfici, licet non respiciat ad non esse. Hanc autem potentiam potissimùm in angelis reperiri, illorum arguit imperfectio: cùm solius creatoris sit omni imperfectione carere, & omni perfectione perfectum & absolutum esse.* Ex quibus itaque componitur angelus? *Variè respondent Scholastici:* Boëtius, *ex esse & quid est;* Autor Comp. Theol. p. 2. c. 11. *ex quid est, & quo est,* Thomas 1. p. q. 50. a. 2. & 3. *ex essentiâ & existentiâ. Vbi* Scaliger *existentiam sumit ut materiam, & essentiam ut actum.* Ex. 359. s. 2.

Quæstio.

De ortu intelligentiarum.

Ex his porrò altera Theorematis pars, quâ dicitur: Intelligentias aliquando esse ortas: *necessariò infertur: Si enim effectivè dependent à Deo, ab eo-*

ab eodem aliquando factæ sint oportet. Deinde *quot sunt infinita, tot sunt æterna: Atqui unum tantùm infinitum supra est demonstratum: Ergo unum quoque erit tantùm æternum: Ergo intelligentiæ æternæ non sunt. Dari etiam necessariò unam intelligentiam " supremam, à quâ dependeant reliquæ, pluribus in se- " quentibus demonstrabitur. Damnamus itaq; & reij- " cimus hoc loco sententiam* Aristotelis, *ut impiam & falsam, quâ intelligentias ex naturâ motus & temporis sempiternas statuit* lib. λ. Metaph. cap. 6. *Vbi hunc in modum disputare videtur: omnes substantias esse corruptibiles impossibile est: Ergo necessariò aliqua substantia æterna est concedenda. Antecedens monstratur: si enim omnes substantiæ corruptibiles essent, nihil esset sempiternum, quod consequens falsum est. Necesse enim est, Vnum tantùm æternum sive sempiternum esse, propterea quòd tempus æternum sit. Tempus æternum esse probat: Tempus enim non potuit de novo incipere, ita ut non fuerit antea, cùm sine tempore non detur prius & posterius. Tempus verò non est sine motu; vel enim sunt idem, vel tempus est quædam passio motus. Ergo quemadmodum tempus: ita etiam motum æternum esse oportet, quod, inquit Philosophus, de nullo circulari & locali motu dici potest. Nervus itaq; totius hujus discursus in hoc consistit Enthymemate. Sine tempore non datur prius & posterius; Ergo non potest dari initium temporis, neq; moventium, quæ sunt intelligentiæ hæ, de quibus agimus. Vt igitur posito & concesso uno absurdo infinita sequuntur: ita ex positâ thesi multa colligit, quæ probare nullo modo possumus. Hinc enim*

Error Philosophi.

Tempus æternum.

funda-

fundamento innituntur omnia, quæ de æternitate disputat, non habere intelligentias potentiam ad non movendum, esse planè immobiles; quod quidem de motu Physico si intelligas, verum est: habent nihilominus suum motum intelligentiæ, quia neq; omnipræsentes, neq; omnisciẽtes sunt: Sunt enim finiti spiritus.

Responsio ad argumenta Philosophi.

Ad rationem itaq; Philosophi dicimus, illam frivolam esse. Duplici enim modo respondere possumus. 1. secundùm conceptum nostrum imaginarium. Si enim modo concipiendi nostro loquamur, concedendum est, præter prius illud & posterius reale, concipi posse imaginarium, posseq; tempus reale habere initium, ante quod non fuerit, ita nimirum ut illud ANTE *non significet tempus prius reale, sed tantùm imaginarium, non aliter atq; Aristoteles ipse quando* lib. 1. de cæ*lo disputat, extra cœlum nihil esse, illud* EXTRA, *non designat locum realem. Quemadmodum igitur non licet argumentari:* Extra cœlum nihil est: *illud* EXTRA *significat locum: Ergo extra cœlum est locus; & per consequens aliquid. Est enim contradictio, extra cœlum est nihil, & extra cœlum est aliquid. Si igitur extra cœlum nihil est, aliquid ibi esse nequit. Ita etiam absurdè infertur: ante tempus non fuit tempus: Ergò ante tempus fuit tempus, quia illud* ANTE *significat tempus. Implicatur enim contradictio. Vt igitur per illud* Extra *intelligitur locus imaginarius: ita per hoc* Ante *significatur tempus imaginarium; & minimè reale, uti jam dictum est. 2. Secundùm rem si respondendum sit, statuendum & concedendum omninò est, ante initium temporis non fuisse tempus, sed infinitam æternitatem,*

tem, cui tempus non semper coëxtitit. Atq; tum illud Ante *significat æternitatem, quæ antequam ullum tempus fuit, in* DEO *præextitit.* Vide Suarez disput. Metaph. 29. sect. 1.

Thomas de Vio Cajetanus quæst. 10. in comm. suis ad librum Thomæ de Ente & essentia pag. 164. *ab hisce erroribus, & quidem potissimùm ab illo, quo Angeli à Deo effectivè non esse statuuntur, vult liberare Aristotelem & commentatorem. Præter rationes verò, ibi positas, ipse Philosophus se declarare videtur* lib. λ. Metaph. c. ult. *quando allegat versum Homeri* Iliad. β. οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω. Non est bonum pluralitas principatuũ: Unus est princeps. *Et ipse* Averroes *testatur* in lib. 2. Meta. comm. 4. *DEVM esse maximè Ens & verum, & esse caussam Entitatis in cæteris. Ergo & in intelligentiis. Item* 12. Metaph comm. 36. & 44. *quælibet res habens caussam finalem, habet etiam caussam efficientem: Atqui caussa finalis intelligentiarum est DEVS: Ergo habent etiam caussam, & DEVS illarum est efficiens principium. Plura argumenta lege apud* Cajetanum loco allegato. *Verùm vix excusari posse cum Averroë* Aristotelem, *in præcedentibus dictum est. Si itaq; verum est, quòd intelligentiæ sint ab æterno principio, nempe Deo; utiq; verum esse sequitur, quòd sint etiam compositæ ex esse & essentiâ, ex genere & differentiâ, ex naturâ & subjecto, supposito & accidente, & non simpliciter simplices.*

Excusatio Aristotelis nulla.

Angelos plures existere diximus: quæritur itaque hic

hic obiter, quomodo plures existentes differant; an Numero? *Principium Individuationis in Intelligentiis & spiritibus monstravimus supra Exer. 9. Theorem. 9. Vbi autem est principium individuationis, ibi etiam discrimen numerale esse potest: sed quia numerus potissimùm respicit materiam, id per analogiam intelligatur; quemadmodum in proportione Individuum dicitur Angelus, quatenus in eo aliquid est, quod respondet formæ, & aliquid, quod materiæ.*

Quæstio.

De numero intelligentiarum.

Quæritur tandem, quantus Intelligentiarum sit numerus? Arist. lib. λ. Metaph. c. 8. *numerum Intelligentiarum à numero orbium cœlestium deducere conatur, totidemq; substantias à materiæ concretione abstractas, constituit, quot sphæras cœlestes & orbes motos sui seculi Astronomi* Calippus & Eudoxus *numeraverant & posuerant, nimirum quadraginta septem vel quinquaginta quinq;. In quo duplici modo erravit Philosophus:* Primò *in numero orbium cœlestium corporum, quem Mathematici posteriores correxerunt.* Deinde *in numero intelligentiarum. Plures enim* (D. Thom. 1. p. q. 50. art. 3. & alibi) *ad laudem* DEI *& ministerium hominum creatos esse angelos cœlestis doctrinæ veritas affatim testatur & docet.* Propheta Daniel *videt millia millium Angelorum, & decies millies centena millia* Dan. 7. v. 10. Psal. 68. v. 18. *dicitur* currus Dei viginti millia millia angelorum. Luc. 2. v. 13. *multitudo militiæ cœlestis annunciat exhibitionem Messiæ, eumq; celebrat.* Math. 26. v. 53. *inquit Christus, se posse à patre suo plus quàm duodecim*

Error Philosophi.

decim legiones angelorum impetrare. Autor Epistolæ ad Hebræos cap. 12. v. 22. *dicit* : accessistis ad innumerabilium Angelorum cœtum. *Epist. Judæ v. 14.* Veniet cum sanctis myriadibus suis *Apoc. 5. v. 11.* Et vidi & audivi vocem Angelorum in circuitu throni & animalium seniorum & erat numerus eorum millia millium. *Ponitur autem numerus certus pro incerto. Multitudinem hanc Angelorum* Dionysius Areop. de cœlesti Hierarch. c. 7. *& ex illo* Damasc. lib. 2. Orthod. fid. c. 3. *in tres Hierarchias secundùm nomina, quæ sacra scriptura illis attribuit, redegit* : In prima *sunt Throni, Cherubin & Seraphin* : In secunda, *dominationes, virtutes, & potestates* : In ultima, *principatus Archangeli, & angeli. Videatur etiam Thomas part. 1. Summæ Angel. quæst. 106.* Picus *singulis Hierarchiis sua attribuit officia: Primam ait versari in conspectu DEI: alteram cœlestia regere corpora: & extremam in rebus sublunaribus occupatam esse. Hierarchiam hanc approbarunt* Chrysostomus homil. 4. in Genes. Nazianzen. Orat. 2. de Theolog. Gregorius Magnus homil. 34. in Evangel. Scholastici omnes. Augustinus vero in Enchirid. ad Laurent. cap. 58. item ad Orosium cont. Priscil. cap. 11. *confitetur se ignorare. Basilius* lib. 3. *contra Eunomium censet, omnes angelos unius inter se esse naturæ, differre tantùm quatenus muneribus majoribus à DEO ad tempus proficiantur. Verùm quid de his & similibus, an ita se habeant nec ne, statuendum sit, Philosophus neque judicare potest, neque debet.*

Angelorum in hierarchias divisio.

Theo-

Theorema IV.

Intellectus in angelis non est ipsa essentia; sed potentia ab essentiâ differens.

Ordinis ratio. De angelorum essentiâ hactenus; sequuntur illorum affectiones.

Affectiones Angelorum vel sunt internæ, vel externæ.

Affectiones internæ sunt potentiæ illæ internæ: Intellectus & Voluntas.

De intellectu angelorum. De Intellectu itaq; angelico priore loco agemus. *Nam primaria hæc proprietas est, quæ immediatè spiritualitatem sive immaterialitatem sequitur, quemadmodum* Thomas *caussam intellectualis dat immaterialitatem.* 1. p. q. 14. art. 1. *&* Dionysius Areopag. in libro de Hierarch. *hanc caussam præsupponit, quando ex minore & majore immaterialitate minorem & majorem intelligendi vim demonstrat.* Videatur etiam Soncin. 12. Metaph. q. 57.

1. Quid sit? *Quæritur autem primùm*, quid sit intellectus in Angelis. Averroês lib. 12. Metaph. & Epit. Met. tr. 4. *imò (ut videtur) ipse Philosophus* lib. λ. Metaphysicor. t. 50. *Intellectum angelicum statuunt esse ipsam Angeli substantiam. Qui error ex præcedente fluit, quo cum* Aristotele Averroês *angelis simplicitatem carentem omni omninò potentiâ tribuebat*, lib. 12. Metaph. t. 30. 41. in Epit. Metaph. tr. 4. *Cùm autem neq; hoc, neq; illud angelis;*

gelis; sed soli Deo, qui solus perfectißimè perfectus, & simplicißimè simplex, competat, concludimus, quòd neq; intellectus angeli sive Intelligentiæ sit ejus essentiæ, neq; intelligere ejus esse. Nulla enim essentia sive "
substantia creata, sine aliquo instrumento, per seipsam "
agere potest. Hinc rectè Suarez disp. Metaphys. 18. "
sect. 3. dist. 42. Proxima, *inquit*, facultas ad actionem accidentalem in creaturâ est accidens, à substantia distinctum. *Actus itaq; substantialis, quo Angelus est, est ipsa essentia Angelica: Intelligere verò, quia est actio accidentalis, facultas intelligendi in Angelis est qualitas quædam, re à substantiâ angelicâ differens.* Deindè *intelligentia creata est intrinsecus mutabilis in actionibus intelligendi, non verò intrinsecus est mutabilis in substantiâ suâ: Ergò actus intelligendi non est ejus substantia: Ergo est accidens, ei superadditum.* Vide Suarez disp. Metaph. 35. sect. 4. dist. 10. *Vnde* Dionys. lib. de cælest. Hierarch. c. 11. *tria hæc in Angelo distinguit:* essentiam, facultatem sive virtutem, & operationem. *Et* Thomas 1. p. q. 51. a. 3. *ut omnem potentiam, ita & potentiam intelligendi distinguit realiter ab essentiâ angeli. In cognoscendi etiam actionibus semper aut ferè semper proximum principium agendi distinguitur à proximo principio recipiendi. Quandoquidem ad actionem hanc perficiendam, præter facultatem, quam alias vitalem vocant, species requiritur, quæ suppleat vices objecti, & loco illius concurrens ad actum. Atq; ita principium agendi est potentia, quatenus est informata, specie: principium verò recipiendi est nuda potentia; quia*

Tria in angelo distincta.

objectum, sive ejus species, non juvat ad recipiendum, sed ad agendum. Quare rectè distinguitur aliquo modo in cognoscendi actibus, principium recipiendi, & agendi.

Intellectum essentiam ipsam Angeli non esse, sed potentiam & virtutem demonstratum est: quæritur nunc secundò, quomodo, vel per quod principium, intelligat intellectus. Principium illud ipsam Angeli essentiam non esse patet: esset enim Intellectus essentia angelica, quod jam negatum, & ut argumētatur Thomas 1.p.q.55.a.1. & Hervæus 2.d. 4.q.1. Angeli substantia imperfectior est; quàm ut possit rerum omnium species repræsentare: vel nunquam non cognosceret, nec posset in suâ cognitione & intellectione immutari: quod absurdum: ut disputat Gabr.2. d.3. q.2. a.3. Scholastici medium, per quod intelligant angeli, dixerunt esse speculum divinum, in quo omnia viderent & cognoscerent angeli. Absurda hæc sententia est: essent enim angeli boni omniscij: cùm in isto speculo omnia repræsententur: & mali dæmones nihil planè intelligerent. Vno verbo: Angelus planè improportionatus est aliquid ex eminentiâ divinâ cognoscere. Quomodo ergo intelligit angelus? Dicam per partes. Et enim semetipsum intelligit: & res creatas: & ipsum DEVM. Seipsum intelligit, ut objectum potentiæ unitum per semetipsum. Cùm enim quælibet intelligentia sit spiritualis, de se actu intelligibilis est, & intellectui, qui potentia spiritualis est; proportionata. Est igitur maximè proportionata & commensurata propriè suo intellectui: Ergo maximè seipsam poterit intelligere, intueri & comprehendere.

2. De modo intelligendi in angelis, seu principio.
1. Opinio.
2.
3. Opinio vera.

Videa-

Videatur Thomas 1.part.q.56.art.1 Scotus in secundum dist.3.q.8.Richard.art.6. q.1. *Alterius speciei Angelos, ut & alias res omnes creatas & naturales, intelligit per species ingenitas. Habet enim à principio omnium rerum scientias & species innatas, & à naturâ vel potius primo autore inditas. Atq; in eâ perfectione superat intellectus Angelicus, humanum, qui à principio est tanquam tabula rasa, in quâ nihil est depictum.* Aristot. lib.3. de an. cap.4.

Quæritur hîc obiter: an angelus, cum per species innatas intelligat, cognoscat quoq; singularia. Averroës *id negat* in para. lib. de divin.12. Met.t.37. & 51. lib.2. de an. t.24. in Epit.Met.tr.4. *ductus hâc ratione; quòd species tantùm sint universalium: quod & probat & defendit* Zimara 2. de cælo contr. 10. *Verùm singularium intellectus & cognitio angelis non potest derogari, quandoquidem Intelligentia intelligit motum, quem efficit, & qui omninò singularis est: item intelligit seipsam. Unde Thomas 1.p.q.57.art.2. tam perfectas dicit angelorum species, ut simul singularia repræsentent.* Quæstio.

Deindè *quæritur:* an intelligant Angeli per discursum. *Negativa patet ex præmissis, nempe quòd intellectus angelicus in illis potissimùm naturalibus, non, ut humanus, opus habeat discursu, aut compositione ad intelligendam vel concludendam conclusionem ex principiis, vel effectū ex caussâ, vel proprietatem ex essentia. Omnia enim simpliciter intuetur. Cujus consectarium, quòd rerum illarum naturalium* Alia quæstio.

& similium, quarum veritas evidenter est cognita, habitum non habeat, vel sibi acquirat. Nullo itaq; modo in Intelligentiam cadit Habitus? Illarum, inquam, rerum, de quibus hactenus diximus, habitum sibi non acquirit; sed simpliciter vi naturali introspicit & intelligit. Aliter verò res se habet in contingentibus, & illis, quæ conjecturâ assequitur & cognoscit. Probabile enim est, per talem cognitionem intelligentiam sibi acquirere habitum, qui non sit illa virtus intellectualis, sed similis opinioni humanæ. Atq; hoc fieri potest, quando arcana scrutatur, & intelligit aliquid de arcanis & internis cogitationibus hominum, aut futuris contingentibus, quorum notitias ingenitas non habet. Sic tum aliquid per modum habitus acquirere, vel etiam habere videtur; quando quasi memoria repetit, quæ cognoverat antea: Quod ex Augustino manifestum est, quando inquit: Creaturam spiritualem moveri per corpora, etiamsi non moveatur per loca, nempe cõsiderando præsentia, præterita, & futura. *Tandem Deum intelligit angelus in se, ut in quâdam exiguâ divinæ celsitatis effigie, & imagine; in re verò aliâ, ut in speculo, divinam essentiam contuetur, & contemplatur. Nam deprehenso & cognito effectu, aliquomodo etiam cognoscitur caussa necessariò. Omne enim effectum suam caussam arguit. Si itaq; intelligentia se perfectè cognoscit per semetipsam sive per speciem sui, nec non res aliæ per ingenitas species; poterit etiam suum & reliquarum rerum primum authorem cognoscere. Si enim nos possumus ab effectu pervenire quodammodo ad cognitionẽ caussæ primæ & Dei: Ergo modo longè perfectiore ad illam perve-*

pervenient Intelligentiæ: cùm in illis longè nobilior sit intellectus, quàm in hominibus; tùm *quòd nobiliores habeant caussas;* tùm *quòd sint nobiliore lumine intelligendi, & perfectioribus actibus proportionatæ: Ergo etiam perfectius, quàm homines, Deum cognoscũt. Quod tamen de Intellectione absolutè intelligendum; non de comprehensione, nec quidditativâ cognitione: quâ à nulla creaturâ Deus cognosci potest naturaliter. De hac re eleganter loquitur Marsil. Ficin.* in Platon. Conviv. Orat. 5. c. 4. Angeli Sancta mens, nullo impedita corporis ministerio, in seipsã reflectitur, ubi Dei vultum in sinu suo insculptum introspicit, inspectum ilicò admiratur, avidissimè semper inhæret: vultus illius divini gratiam, pulchritudinem dicimus: aviditatem Angeli, Dei vultui inhærentem, vocamus amorem. In angelis nobilior intellectus, quam in homine.

Quæritur ultimo: an Angelus internos mentis humanæ & aliorum angelorum conceptus possit intueri. *Neq; internos mentis hominis aliorumq; angelorum conceptus, neq; internas voluntatis electiones, imò neq; phantasiæ visiones, neq; appetitus commotiones, prout à ratione voluntatisq; arbitratu dependent, Angelus ex se intelligit, neq; contingentia futura, prout talia sunt, neq; etiam effectus naturales, ut tales, certò scire semper potest. Quæ res in sacris literis est expedita: an autem ratione certâ extra illas demonstrari poßit, dubitatur. Veruntamen statuimus cum* Suarez disp. Met. 35. sect. 4. dist. 3. *quòd ad convenientem rationalium & intellectualium rerum societatem & gubernationem non expediat, ut u-* Alia quæstio.

nus liberè poßit alterius cogitationes liberas intueri. Vndè rectè conjicimus talem uniuscujusq; Intelligentiæ creatæ esse naturam, ut illi non debeantur absolutè principia omnia necessaria ad aliorum cogitationes cognoscendas. Dubium verò non est, angelos voluntariâ aliquâ conversatione & ostensione per spirituales nutus, &, ut loquitur quidam Damasceni *interpres, per signa, humanis vocibus proportione quadam respondentia, conceptus sibi suos mutuò cõmunicare, atq; ita suo modo colloqui (quemadmodum etiam Scholastici hanc communicationem vocant locutionem angelicam, quâ angel9 superior illuminat inferiorem,) idq; sine distantiæ lociq; impedimẽto. Alias de hâc re variæ sunt Scholasticorum opiniones. Alij enim (referẽte Durando* lib.2.sent.d.11.q.2.*) dixerunt angelos describere diversas figuras in cælo per applicationẽ virtutis, & per illas sibi mutuò suos exprimere conceptus, & sic ad invicem loqui. Recenset adhuc alias, quas de industriâ omittimus. Ipse Durandus statuit non alio illos colloqui modo, quàm eo, quo cum hominibus, formando nimirum voces in aëre. Thomas* part.1.Summæ Angel.quæst.107.art.1. *existimat Angelum unum suâ voluntate ordinare suum cõceptum ad alium, atq; ita cum alio loqui. Scotus.* 2.sent.distinction.9.q.2. *opinatur vnum angelum in alterius intellectu effectivè imprimere conceptum similem conceptui suo, ad quem non concurrat alter angel9, nisi paßivè, seq; habeat per illum, non ut videntem sed ut audientem. Augustinus* in Enchirid. cap. 59. & lib.16. de Civit. Dei, *suam inscitiam hic agnoscit, & ingenuè fatetur, se neq; scire neq; affirmare posse, quânam ratione angeli*

vel ad aurem forinsecus, vel in animo intus hominibus loquantur, aut aliquando locuti sint. Quod attinet animum sive intellectum nostrum, certum est, quòd etiam illum, ut suæ naturæ maximè affinem, illuminare possunt & movere, non quidem interna illuminatione (id enim solius Dei est): sed ad modum suadentis; neq; id tantùm proponendo species suas, quod inter ipsos fieri diximus: sed per sensibilia atq; phantasmata, tum credenda, tum agenda, nobis offerunt & objiciunt. Futura contingentia non certò præfinire & præscire posse Angelos, inde manifestum est. Nulla enim virtus creata potest aliquid certò & evidenter cognoscere, nisi ex caussis: Atqui caussæ futurorum contingentium sunt incertæ, & possunt producere & non producere effectum: Ergo etiam illorum cognitio incerta est. Atq; hoc intelligendum potissimùm est de puris illis contingentibus, quæ à caussa liberà proficiscuntur. Quòd deniq; supernaturales effectus non certo possint scire & intelligere naturaliter, manifestum est. Supernaturalia enim, quatenus talia, excedunt omnem capacitatem naturalem & creatam.

Futura contingentia nescit angelus.

Neq; supernaturalia.

Theorema V.

Angelis ineſt voluntas ab eſſentiâ & intellectu diſtincta, & arbitrij libertate prædita.

Sequitur altera Angeli potentia interna, nempe Voluntas. Appetitus enim Intellectivus æquè in Angelis sequitur Intellectum, atq; in nobis appetitus ra-

tionalis, rationem, & in animalibus irrationalibus appetitus sensitivus, sensum. Sensitivus communi nomine dicitur appetitus: Intellectivus verò & rationalis voluntas. Hic appetitus & hæc voluntas si in Angelis non esset, tum etiam frustra in illis concederetur boni universi universalis; & diversitatis bonorum particularis cognitio. Ad quid enim cognosceret, si ex ijs, quæ potiora sunt, non posset eligere? Eligit autem Angeli voluntas libera subitâ quâdam vel solidæ vel apparentis veritatis acceptione, sine ullâ morâ vel ratiocinationis vel deliberationis. Unde etiam liberè potuerunt à vero bono Angeli deficere, ut sacræ nos docent literæ. A proprio hoc arbitrio & vertibilitate secundùm voluntatem Angelus à Damasceno lib.2.de fid. Orth.c.3. *dicitur* αὐτεξούσιος.

Voluntas angelorum.

Theorema VI.

Intelligentiæ dicuntur quantæ, non quidem quantitate prædicamentali, sed intelligibili.

Affectiones Angelorum internæ fuerunt; sequuntur externæ. Externæ affectiones vel inhærent; vel sunt actiones transeuntes.

Affectiones inhærentes vel sunt absolutæ; vel respectivæ. Affectio inhærens externa absoluta est quãtitas intelligibilis, *quã Intelligentijs attribuit Scaliger* Exer.359.ſ.3. Quantæ, *inquit Scaliger*, sunt intelligẽtiæ, haud quidem quãtitate prædicamẽtali; sed quãtitate intelligibili, ut noster intellect9 intelligat, in eis unã partem,

Quantitas angelorum qualis?

partem, quæ non sit alia. Nihil enim infinito æquale potest esse. Æqualitas enim est certa ratio mensuræ, quæ in infinitum non cadit. &c. *Atque hinc idem Scaliger* sect. seq. 4. *intelligentiis figuram tribuit. Quodcunque enim fines habet & terminos, quos non potest transgredi, illud figuram habere videtur: Atqui tales terminos & fines, secundùm* Scaligerum *habent Intelligentiæ: sunt enim finitæ;* Ergo *&c. Majorem probat: quodcunque enim terminatum est, aliquâ figurâ terminatum est:* Et *figura non est ipsa corporis extremitas, uti opinati sunt veteres; sed positio extremitatis.* Vide ipsum Scaligerum. *Isthæc autem omnia metaphoricè intelligenda sunt: quare etiã Quantitas hæc, figuraque intelligibilis dicitur, quẽadmodũ & locus νοητὸς Intelligentiis tribuitur th. sequenti, nempe respectu intellectualis istius definitionis, quâ πȣ̃ alicubi, aut in certo loco esse determinantur. Aliàs enim ubi partes sunt verè distinctæ, easque distinctas intelligit intellectus noster, ibi corpus quantum propriè colligit. Nam habere partem extra partem est corporis quanti. Vbi etiam figura est, ibi in dispositione partium, & per consequens in quantitate est. Intelligenda itaque hæc sunt (uti diximus) metaphoricè & in proportione ad res materiales & Physicas. Nam intellectus noster immaterialia per proprias suas species minimè potest cognoscere; cùm omnis nostra cognitio initium ducat à sensibus, proficiscaturque per phantasmata* Arist. lib. 3. de anim. c. 5. context. 30. & 39. Averroës super illos contextus pag. 119. B. & pag. 127. E. F. *Nam quod phantasmata non offerunt & repræsentant,*

Angelos habere figuram.

tant, non percipit Intellectus: Constat verò immaterialia à sensibus neq; percipi, neq; in Phantasiâ repræsentari. Quomodo igitur per suas species concipientur? Quinimò intellectus ita illigatus est phantasmatibus, ut sine ijs nil quicquam percipiat. Aristoteles ibid. *Ergo quicquid concipit Intellectus, concipit ad modum phantasmatum: quæ quia nequeunt incorporea repræsentare; manifestum est, quicquid repræsentatur intellectui, ad modum corporei repræsentari. Cavendum igitur hic est, ne in ipsâ re fingatur, quod ei per modum intelligendi tribuitur. Aliud enim est ad modum quanti aliquid intellectu percipere; & quantum revera esse, partemq; extra partem habere, quod ita intellectu percipitur.*

Theorema VII.

Intelligentiæ sive Angeli sunt in aliquo UBI, non per operationem, neque per circumscriptionem; sed per definitionem essentiæ.

Atque hæc (*si datur*) est affectio Angelorum absoluta: sequuntur respectivæ.

Respectivæ affectiones, quibus respiciunt vel Ubi, vel Quando, sive Tempus. *Esse autem Angelos in aliquo Ubi demonstratur: quodcunq; enim finitum est, in aliquo Ubi ut sit, necesse est. Rectè enim Scaliger* Exerc. 359. sect. 5. Ubietas, *inquit*, est affectus Entis cujusque necessarius præter Deum. *Intelligentias autem finitas esse demonstravi-*

Τὸ πȣ̃ angelorũ.

stravimus: Ergo sunt in aliquo Vbi. Nam (ut habet Thomas parte 1. quæst. 52. artic. 2.) *cùm Deus loco præsens sit per suam infinitam perfectionem, omnib. omninò locis præsens est: Quocirca quia angeli sive Intelligentiæ perfectio, quâ ipse præsens est, finita est, fit ut non sit præsens omni, sed tantùm uni loco, adeoq; non sit simul & semel in multis sive infinitis ubi, sed tantùm in uno. Deinde idem colligunt patres ex ejus præsentiâ & ministerio. Non enim potest simul & semel diversis in locis operari, quod solius Dei proprium est.* Videatur Athanasius in Epistolà ad Serapionem. Ambrosius lib. 1. de spiritu sanct. cap. 7. Hieronym. in Psal. 139. Cassiodor. *ibidem. Verùm, in loco esse, ut corpora in loco sunt, quorum extrema replent vacuum corporis continentis, non dicuntur.* Videatur Augustinus. 8. super Genesin, c. 20. 21. 26. *Vnde plures in uno loco simul esse possunt, cùm nullo se arceant vel extrudant obice corporeo.* Videatur Franciscus Vallesius cap. 41. de S. Philosophia. *Non igitur corpus, in quo angelus sive Intelligentia est, ejus locus est. Neq; subjective in illo est, neq; ullo ei miscetur modo. Sed sicut radiorum solis adventu (ut utar & verbis & similitudine Scaligeri loco allegato) non differtur aër, ut eis cedat: neq; densatur in circumfusis partibus: neq; illorum subjectum est; neq; unum cum ipsis sit: Ita quodammodo spiritus se habere videntur.*

Quomodo sit in ποῦ.

Quomodo itaq; spiritus sive Intelligentia est in Vbi? per Operationem respondent nonnulli. Qualis est opinio Capreoli in 2. d. 2. q. 1. a. 1 *qui dicit. Angelum in loco esse formaliter per operationem trans-*

Quomodo sit in suo Vbi.

euntem

euntem quæ etiam locum metaphoricè attingit. Item huc referri potest opinio Ferrariensis, qui angelum in loco ponit formaliter per solam operationem transeuntem propriè ita dictam, quæ nempe habeat effectum in loco. lib. 3. contr. gent. c. 68. *Opiniones hæ falsæ sunt. Nā variatâ operatione, nō variatur statim intelligentiæ hypostasis: Ergo neq; Vbi. In eodē Vbi multas & diversas operationes sive ullo motu sui secundùm illud Vbi exercere potest.* Neq; per circū-

2. scriptionē *est in Vbi spiritus. Non enim in eo est per ullam molem: esset enim in loco. Atqui in loco non est. Rectè enim iterum* Scaliger: *dicuntur Intelligentiæ,*inquit,*esse in loco æquivocè atq; etiam plus quàm æquivocè: quia sunt in Vbi, non per circumscriptionem, quemadmodum mea manus in aëre, sed per desi-*

3. Vera sententia. *gnationem, quam ipse in præcedentibus explicat per definitionem hunc in modum.* Ibi est, hic non est. *Tolerari itaq; posse videtur sententia Scoti* in 2. d. 2. q. 6. *Gabrielis* in 2. d. 2. q. 2. art. 2. *Richardi* in 1. dist. 37. q. 1. *& aliorum nominalium, quæ statuunt, Angelum in loco esse formaliter & contingere locum vel Vbi metaphoricè per suam substantiam, quâ est præsens loco. Item Illa Gajetani, quâ statuit angelum in loco esse per virtutis suæ applicationem: quâ virtualiter tangat locum metaphoricè, etiamsi nondum effectum quendam producat in loco.* Videatur Bonav. lib. 2. quæst. 10. *Inquis: Patres sæpius uti Circumscriptionis* περιγραφῆς *vocabulo, quando de loco Angelorum loquuntur.* Athanas. ad Serapionem, Ambrosius lib. 2. in Jobum cap. 2. lib. 1. de spiritu Sanct. cap. 7. Gregorius lib. 2. Moral. c. 4

ral.c.3.&c. *Verum est, sed non propriè id intelligendum est de commensuratione cum loco per quantitatem, sed metaphoricè de definitione in loco: quo etiam sensu* Theodoret. quæst. 3. in Gen. *asserit Angelos esse circumscriptæ naturæ. Item Tertullianus* cap. 22. Apol. *& Augustinus illos dicit esse in loco & locales* lib. de spir. & an. cap. 18. *Dictum est plures Intelligentias in eodem loco esse posse: an autem plures possunt esse in uno ubi? Substantias in substantiis esse posse verum est, quòd autem substantia corporea cum substantiâ corporeâ non esse possit in uno loco vel Vbi, in caussa est quantitas vel corporeïtas: Hâc igitur in aliqua substantiâ negatâ, in uno Vbi duæ substantiæ esse posse concedentur: Non aliter atq; experimur, eundem aërem penetrare diversos diversorum luminum radios, quo fieri solet, ut lumen majus obfuscet minus. Vt itaq; diversi illi radij in eodem sunt Vbi & aëre: ita etiam spiritus plures in uno Vbi esse possunt. Defendit quoq; sententiam hanc nostram Scaliger loco allegato* sect. 6. Ad eandem, *inquit*, rationem (ut pingui Minerva, rem quoad fieri poterit oculis subjiciamus) unius cerei radij & aliorum complurium, & in eodem sunt aëre, & in eodem Ubi. Sed manifestius cum lapidis species, quæ sub aquâ est, simul cum aquæ specie traducitur ad oculum. &c. *Oriturnè inde confusio substantiarum? Quomodo? si sine quantitate concipiantur? Exemplo iterum rem definiamus: In uno speculo diversissimæ species apparent sine confusione: quæ tamen si secundùm quantitatem conciperentur, nunquam conspicerentur, imò una totam*

Plures in uno Vbi.

speculi superficiem tegeret: & vix, imò ne vix quidem integra delinearetur: cùm sæpius res objecta quantitate vincat speculi superficiem. Consectarium hujus disputationis est, intelligentiam sive angelum moveri ab uno Vbi ad aliud. Nam finitum esse angelum & in uno Vbi monstravimus: Ergo neque in multis, neque ubiq; sed hic & non ibi, vel ibi & non hic. Qui enim Angelus est Constantinopoli, non est VVitebergæ. VVitebergam itaq; ut veniat, moveatur necesse est. Vnde etiam à Dionysio lib. 2. de fid. Orth. cap. 3. ἀεικίνητος semper mobilis dicitur. *Quomodo vero id movebitur, quod simplex est & indivisibile? Simplices & indivisibiles dicuntur angeli & intelligentiæ respectu corporum: aliàs in se & in relatione ad* DEVM *simpliciter & absolutè simplices non sunt, ut sæpius à nobis demonstratum est, & repetitur multoties apud Scaligerum* Exercit. 359. & alibi. *Cum itaque simplex simpliciter non sit, sed aliquid in se habeat, quod respondet actui, & aliquid, quod potentiæ. Actus forsan habere potest moventis formæ rationem, & pars mota proportionem potentiæ. Quomodo itaq; movetur? Non motu continuo corporis mutando locum, sed motu rei incorporeæ in instanti. Vnde etiam propter maximam hanc transitus celeritatem, & stupendam naturæ agilitatem videri possunt angeli variis simul esse & operari locis: Imò quibus etiam plura simul loca simpliciter deneganda non sunt. Quod enim diximus, angelum tantùm in uno Vbi & uno loco esse, id de loco adæquato suæ perfectioni intelligendum est. Aliàs enim unus angelus multis simul locis est, nempe quæ suæ perfectioni sunt in ad-*

Angelum moveri ab uno ubi ad aliud.

Angeli non sunt simplices simpliciter.

Motus angelorum in instanti.

inadæquata. Richard. in distinct. 37. art. 2. quæst. 3.

Theorema VIII.

Intelligentiæ sive Angeli neq; sunt in æternitate, neque in tempore; sed in ævo.

De Ubi Angelorum diximus; sequitur quando. Thomas *æternitate Angelos mensurandos esse judicat. Rationem habet talem; quia & objectivè & caussaliter pendent ab æterno, nempè à* DEO, *quem perpetuò intuentur, & à quo sunt conditi.* Scotus *ævo dicit intelligentiarum essendi tractum continuatum: (qui in communi rerum naturâ ætas dicitur, & nihil aliud est, quàm rei existentia sub tempore) esse mensurandum, propterea, quòd illarum esse sit in ævo, & non in æternitate, quandoquidem aliquando cœperunt, & nunquam sunt desituræ: Et æternitas est duratio ab intrinseco necessaria & immutabilis tàm intrinsecus quàm extrinsecus: Cujus durationis intelligentiæ capaces non sunt: licet enim quodammodo substantialiter sint immutabiles; non tamen omninò.* Videatur Suarez disp. Metaph. 60. Scaliger Exercit. alleg. sect. 7. *Supra tempus, inquit, alia nobilior est ætas, quod ævum nominarunt. Est autem supra tempus, quia supra motum: Nam prima Intelligentia movens tametsi est cum tempore: tamen Domina temporis est. Non igitur mutantur vel ætatibus vel statu: nullus eorum vel puer est, vel adolescens, vel senex; sed in quo statu fuerunt*

Tempus Angelorum.

fuerunt ab initio, in illo sunt adhuc & manent in sempiternum, integra & immutatâ substantiâ conservatâ. Videatur August. de Fide ad Pet. c. 2. *Quærit porrò (Scaliger)* An ævum intelligentiarum sit aliud extra earum existentiam; sicut tempus est aliud extra nostram. Mihi (*respondet*) ita videtur. Ut ætas nobis: ita illis suum cuique ævum. Ut tempus nobis extra nos: ita illis continuationem suam extra illos: quæ dicitur æternitas. Ea verò solus DEUS est, & ipsamet solus DEUS. Ætas enim in nobis est, quia tempus in motu primo: Ævum in angelis: quia æternitas in DEO, quæ DEUS ipse est. Et quia ipse est, illi sunt. *Hæc Scaligeri verba si modò rectè applicentur, apparet, Thomam & Scotum facilè conciliari posse. Et æternitas est & ævum, quo mensurantur Angeli: Æternitas respectu DEI, ævum respectu Angelorum.* Vide Suarez disputatione Metaphysicâ 35. sect. 3. distinct. 51. *Hæc autem ut rectè intelligantur, notetur discrimen inter* Tempus & Ævum, *quod idem* Scaliger Exerc: 363. *ex Timæo Platonis tale ponit*: Mellitus Philosophus, *ait*, Tempus esse Ævi imitationem, quæ ad illius exemplum facta sit. Temporis partes numerat tres: FUISSE, ESSE, FORE. Cæterum extrema duo non attribuit Ævo, sed ipsum ESSE tantùm. *Notandum hoc loco est, quòd Damascenus* lib. 2. de fid. Orth. c. 1. *docet, nomen αἰχών* [sic] *esse πολύσημον. Nam, inquit, 1. ævum dicitur unius hominis vita. 2. tempus mille annorum. 3. universa præsens*

vita.

Conciliatio Thomæ & Scoti.

vita. 4. Futura vita post resurrectionem, nullo fine claudenda. 5. Non-tempus, neq; temporis pars latione solis mensurata, per dies videlicet & noctes constituta: sed quod coëxtenditur sempiternis, instar cujusdam temporalis motus & spacij: quod enim iis, quæ in tempore sunt, tempus; illis sempiternis est Seculum. 6. Duratio temporum inter duas insignes atq; memorabiles hominum mutationes intercepta. Vt Ævum hoc loco sumitur, videtur referendum esse ad quintam significationem. Continuatio porrò illius esse competit Angelis ex naturâ rei. In illorum enim conservatione & duratione nulla est realis successio aut variatio. Ergo duratio Angeli est ævum naturâ suâ invariabile. Vide Suarez disp. Metaph. 50. sect. 5. dist. 18. & seq. Quod de duratione essentiæ, non operationum, intelligendum est. In operationibus enim quædam videtur inesse successio, quatenus nimirum Angelus ab unâ Intellectione in aliam, vel ab unâ volitione in aliam transit, quare liberarum & transmutabilium illarum operationum duratio, ævum esse nequit. Est enim quædam successio, & quidem talis, quæ tempore non nisi analogico, & vix equidem, mensurari potest. Non enim continua est, qualem durationem tempus requirit, sed discreta. Vnde etiam durationem illam, quæ ex illâ successione consurgit, tempus discretum vocamus. Ergo tempus propriè ita dictum, nempe Physicum, non erit. Omne enim Physicum tempus est continuum. Vocatur etiam illa successio operationum Angelicarum, Instans Angelicum: Instans quidem dicitur. 1. Quia est indivisibile. 2. Quia non semper permanet, sed desinit & transit.

Tempus.

transit. Angelicum, quia non transit indivisibiliter, ut instans temporis, sed potest diu permanere. Tempus itaq; discretum ab ejusmodi Instantibus indivisibilibus sibi succedentibus quasi componi ajunt: Thomas 1. part. quæst. 10. art. 5. ad primum & quæst. 56. art. 3. Atq; de hoc tempore locutum fuisse Augustinum putant 8. Gen. ad lit. c. 20. quando dicit, Movere DEUM creaturam Angelicam per tempus. Hoc verò tempus, rectè monet Suarez, non intelligendum esse per modum alicujus Entis, quod sit per se unum, & pertinens ad certam quandam quantitatis speciem. Illa enim instantia neq; sunt quantitatis continuæ, ut eâ ratione numerus eorum dicendus sit propriè species quantitatis discretæ: neq; illa successio est secundùm aliquem ordinem per se, quem talia Entia inter se habeant; sed solùm est ex mutabilitate & voluntate operantis. Neq; etiam ex hoc angelico tempore sumi potest mensura sive certitudo de operationibus alterius cujusdam Angeli, neq; quoad numerum illarum (Dum enim unus Angelus manet in operatione indivisibili, alius potest habere plurium successionem) neq; quoad permanentium operationum singularum, ob eandem planè caussam, quia nimirum in uno Angelo operatio indivisibilis potest durare per discretum tempus plurium operationum alterius Angeli: Ipsaq; instantia, quia in se sunt indivisibilia, indifferentia sunt ad diuturnam & brevem durationem: Nihil itaq; certi & fixi eis sumi posse videtur, quod habeat rationem mensuræ. Unde infertur quòd omnes hæ durationes conside-

siderandæ tantùm sint in absolutâ ratione durationum, atq; juxta illam servant proportionem ad res durantes, & in illis multiplicantur.

Quæstio itaq; hic oritur: Annè igitur nullo tempore & nullâ mensurâ sint mensurabiles motus & actiones Angelorum? *Thom* 1. p. q. 10. a. 5. & quæst. 58. art. 3. *respondet, non esse hosce spirituales motus mensurandos tempore nostro, hoc est, naturali: Sed esse constituendum aliud tempus in Angelo supremo, quod talium motuum sit mensura. Quam sententiam rejicimus. In motibus enim istis momentaneis, quisnam erit primus reliquorum Canon? quod erit tempus primi mensura motus? Nam temporis motus, qui reliquorum sit mensura, debet esse regularis. Talis autem nullius est angeli, ut patet; sunt enim omnes voluntarij, & omnino liberi, nec semper durant, nec sunt uniformes. Statuimus itaq; nullam rationem humanam videre posse, quomodo Angeli motus possit constitui tempus & mensura reliquorum, quâq; ipsa mensuret ejusmodi motus. Quia actiones Angelorum sive spirituales, prout sunt tales, nobis sunt incognitæ. Ergo à nobis sunt immensurabiles, nec indigemus medio, quo illas mensuremus: Aliud verò est, quando ejusmodi spirituales actiones cum materialibus conjunguntur, atq; ita quodammodo à nobis cognoscuntur; tum aliter à nobis mensurari non possunt, nisi hoc tempore nostro, hoc est, Physico. Ita etiam mensurare solemus actiones nostri intellectus, nempe hoc nostro tempore. Angelus verò etiam re-*

Quæstio, de mensura actionum angelorum.

1. Opinio.

2. Vera opinio.

ſpectu ſui, ſuarum actionum videtur indigere menſurâ? Non *indiget. Nam tam nota eſt illi quælibet duratio per ſemetipſam, quàm eſſe poteſt per comparationem ad aliam. Si autem velit, poteſt ſuum motum conferre cum ſuperioris alicujus intelligentiæ, & monſtrare, tàm diu ſuum duraſſe motum, atq; illius. Verùm id potius eſt æqualitatem vel inæqualitatem motuum monſtrare, quàm durationem. Poteſt etiam conferre ſuam actionem cum motu cæleſti, ſi velit, licet non opus habeat. Quæritur etiam hoc loco non inconvenienter:* An Angeli ſint immortales. *Affirmativa vera eſt: 1. Quia non ſunt in tempore: Quod autem in tempore non eſt, temporalibus mutationibus, qualis eſt mors & corruptio, non ſubjicitur. 2. Quia nihil habent contrarium. 3. Quia non conſtant ex principijs ſolubilibus: ſunt enim ſimpliciſſimæ ſubſtantiæ. Rectè igitur illis* ἀθανασίαν *attribuit Damaſcenus* lib. 2. de fid. Orth. cap. 3. *quæ tamen ei inſit non* φύσει, *ſed* χάριτι. *Addit rationem:* πᾶν γὰρ τὸ ἀρξάμενον, καὶ τελευτᾷ κατὰ φύσιν. Μόνος δὲ ὁ Θεὸς ἀεὶ ὤν, μᾶλλον δὲ καὶ ὑπὲρ τὸ ἀεί: οὐχ ὑπὸ χρόνον γὰρ, ἀλλ' ὑπὲρ χρόνον, ὁ τῶν χρόνων ποιητής. *Id eſt:* Nã omne, quod cæpit, & deſinere ſua ptenaturâ poteſt. Solus enim DEUS ſemper Ens, magis autem & ſuper ſemper: nam in tempore nequaquam eſt, ſed ſuper tempus, qui temporum eſt factor. *Confirmatur idem authoritate Auguſtini* in lib. de cognit. veræ vitæ cap. 41. *qui hanc reddit rationem:* Quia ſolus

Deus,

Deus, *inquit*, habet immortalitatem, nullam recipiens mutabilitatem.

Theorema IX.

Intelligentia creata intelligentiam non producit.

De inhærentibus Angelorum affectionibus hactenus: sequuntur operationes transeuntes.

Operatio transiens vel proficiscitur à potentia particulari, vel à potentia absoluta & universali Angelorum: A potentia particulari proficiscitur Angelorum propagatio: *quam in Angelis negat nostrum Theorema. Omnis enim substantia producitur vel per creationem; vel per eductionem formæ substantialis de potentiâ materiæ.* Angelos non propagari. *Per creationem Angelus Angelum producere nequit. Creare enim tantùm infinitæ competit substantiæ. Hinc Damasc.* 2. de fide c.3. in fine: quotquot sunt, *inquit*, qui essentiam ullam, quæcunq; tandem illa sit, ab angelis procreatam esse contendunt, horum ore pater ipsorum Diabolus loquitur. *Non per generationem sive productionem formæ de potentiâ materiæ: quia non compositus est ex materiâ & formâ:* Ergo *non potest producere compositum ex materiâ & formâ.* Nam *quando forma educitur è potentiâ materiæ, non fit per se primò forma, sed compositum.* Hinc *simul intelligitur, plus quàm vanum esse, quod nonnulli ex veteribus finxerunt castissimos spiritus, fœminis misceri, & hanc caussam fuisse abjectionis:* Tertull. in lib. de hab.

mulieb Iustin: Martyr. in apolog. 1. Ambros. lib. 1. de virginib. Clemens Alexandr. lib. 4 Strom. Lactant. lib. 2. cap. 15. *Absurdum etiam est, quod alij de concubitu Dæmonum cum Magis nugantur, unde Ephialtæ & Hyphialtæ, Incubi & Succubi, nominantur. Quomodo enim commiscerentur spiritus sive inter se, sive cum hominibus, qui nec moveri, nec alterari possunt? Quæ etiam in illis esset libido generandi, quorum genus neque numero singularium, neque specie multiplicari potest. Et si τὸ ἐπιθυμητικὸν cadit in spiritus, quomodo aberit τὸ θρεπτικόν? quomodo autem erit utrumque sine organis accommodatis? Fuerint ergo spiritus corporei: Quod falsum. Dicimus igitur cum Caßtano:* nullo modo credendum esse; spirituales naturas misceri cum fæminis posse carnaliter. *Et cum Chrysost: homil. 22. in Genesin;* Non possibile esse, incorpoream naturam, talem ullo tempore habere concupiscentiam.

De concubitu Dæmonum.

Gaudere spiritus impuros impuritate hominum, ad eandemque vi & fraude adigere extra dubium & „ controversiam est. Quomodo autem hoc? Lascivis illi „ hominibus & Magis lascivam suggerunt speciem, ex„ citantque affrictu pruritum, quibus agitati spiritus tan„ quam æstro exæstuant. Quocirca cum tantum Magi pruriant; sintque animo male sani, nihil illorum confirmat confeßio, quàm se aliquid esse passos: quomodo verò sint paßi, neque ratio neque fides ulla erit. Notandum *tamen hoc loco obiter est, quòd nonnulli Dæmonem succubum & incubum ita describant: Dæmon Succubus & Incubus est, qui assumto corpore, in speciem mulieris*

formam

formato, alicui succumbendo semen virile recipit, illudq; in nativa sua qualitate, quæ naturali generatione convenit, conservat, usq; dum, forma muliebri deposita, & virili assumpta illud incumbendo transfundat in matricem fœminæ. Putant enim qui hanc sententiam defendunt, ita semen illud receptum & transfusum non amittere suam vim naturalem & qualitatem convenientem, posseq; ita fieri conceptionem & generationem perinde ac si semen illud immediate de viro, à cujus corpore decisum est, transfusum fuisset in fœminam. Quid autem de hac opinione sentiendum, alibi explicabimus.

Theorema X.

Potentissimi sunt spiritus Angeli, sed non omnipotentes, proindeq; miracula edere non possunt.

De potentiâ Angelorum absolutâ & universali, quæritur, quanta illa sit. *Tanta inest potentia in Angelis & spiritibus, ut non dubitemus asseverare, illorum vim nudè consideratam, sufficientem esse, ad evertendum per motum localem totum universum & ordinem, & compositionem ejus. quatenus verò illa vis subordinata est providentiæ divinæ, illud non potest. Deindè licet quidem talem in modum res omnes creatas possit confundere; nihilominus tamen in nihilum illas redigere non potest. Quemadmodum enim virtus finita non producit aliquid ex nihilo: sic neq; aliquid in nihilum* De potentia angelorum.

 hilum

Angelos miracula non posse edere.

hilum transformabit. Quia autem varijs modis corpora & res naturales movere, & quidem motu locali, & applicare possunt spiritus, inusitata proveniunt, quæ tamen miracula non sunt; sed ex caußis naturalibus educta. " *Cùm enim intelligentiæ cujuslibet rei naturalem virtutem exactißimè teneant, materiæ etiam dispositionem, astrorum influxum & aspectum, illaq; omnia citißime applicare valeant, ejusmodi inusitatos effectus, vel in re vel in modo, qui hominibus miraculosi appareant, producere possunt. Atq; hoc modo ope Dæmonum Magi edunt prodigiosos effectus.* Aug. lib. 3. de Trinit. c. 2. & 8. & alibi. *Ergone speciem in speciem Angelus transformare potest & hominem in lupum, felem? Minimè. Primum id fieri non potest per materiæ vim, quæ est potentia paßiva, & duplex statuitur: Indeterminata sive Infinita, & determinata sive certæ formæ destinata. Illa fluit ab essentiâ materiæ; hæc ab existentiâ. Vt autem duplex potētia est; ita etiam duplex materia esse statuitur. Prima; & proxima sive secunda. Ex primâ materiâ nihil generatur. Quodcunq; enim generatur, est & fit hoc vel illud: Materia autem prima ad hoc & ad illud non est aptata, sed æquè se habet ad omnia & omnium est capax. Isthæc materia tamen negligenda non est; sed omninò retinenda & considerada: alias enim neq; essentia materiæ constabit, neq; universalem rationem omnium in natura transmutationum explicabis.*

Magorum opera.

Quæstio. de Metamorphosi specierum.

Materia prima.

Nec obstat nostræ assertioni, quòd forma educatur ex materiâ, eidemq; inhæreat. Concedimus id libenter: quandoquidem actus, qui suam in se continet perfectionem, in se recipere nihil potest. Quo-

circa

circa sola materia, prout materia est, recipit: sed tamen, ut certa forma recipiatur, oportet adesse materiæ certam conditionem, ac dispositionem, non secus ac lumen in aëre recipitur; sed non sine conditione illâ, ut sit aër διαφανής. *E materiâ itaq; primâ nihil generari potest, licet ex ejus gremio educantur omnes formæ, nempe hâc lege, ut habeat certum apparatum, quo evasit materia secunda & proxima. Ergo ex proximâ materiâ generantur omnia, quæ generantur: Ergo ex certo generatur certum, & non ex quolibet quodlibet. Quomodo enim dicas materiam certam & propriam, si non ex eâ res oriatur certa & definita? quomodo etiam affirmabis hanc rem genitum iri ex illâ, nisi suam quæq; & propriam habeat materiam? Vnde autem hæc determinatio & limitatio materiæ? certe à formâ: quandoquidem omnis determinatio est à formâ. Non quidem tantùm à formâ accidentali, nempè qualitate, quantitate &c. rei: sed potissimùm à forma substantiali, quæ in materiâ subsistit: quoniam per hanc etiam omnis qualitas & quantitas, imò materia ipsa determinantur, & consistunt. Sic neq; quantitas, neque qualitas aquæ, sed potissimùm forma substantialis illius est caussa, cur ex tali materiâ generetur vapor. Et à formâ substantiali ea vis inest semini, ut ex illo & non ex lapide vel arbore generetur & nascatur animal.*

Limitatio materiæ à formâ.

Manifestum itaq; est, ex illâ tantùm materiâ ortum posse ducere rem, quæ per formam substantialem sit ad certum effectum præparata & determinata. Vnde talia extruimus axiomata: Quodcunq; est

„ à formâ, illud est specificum: Quodcunq; est „ specificum aut est perpetuum, aut frequen„ tissimum, in singularibus. *His positis ita arguimus: ortus mutuus est tantùm inter res certarum specierum: At verò ex homine fieri lupum vel felem, non est specificum: Ergo per materiam, cujus in omni generatione prima habenda est ratio, talis Metamorphosis fieri non potest.*

Neq; forma talem transformationem admittit. Quia ἄλλῳ εἴδει, ἄλλη ὕλη, & omnis actus definitus requirit definitum subjectum, & suum quæq; forma definit & circumscribit subjectum: Ergo neq; unius speciei natura actu potest esse in alterâ, adeoq; neque tota essentia hominis poterit esse in essentiâ lupi. Neq; ullum efficiens finitum ejusmodi metamorphosin pro„ ducere & efficere potest. (Deum excipimus: quia enim „ in illo est omnium rerum ratio, eminentissimè omnia potest, omnia quæ vult agit.) Quid enim est efficere? nihil aliud quàm actum producere: quod fit ab actu, sed non quovis: verùm univoco, hoc est, ejusdem speciei. Quemadmodum enim Musicus non extruit domum aut sanat: ita neque homo generat lupum; neq; Diabolus hominem.

Efficiens cum effectu convenire dicitur dupliciter.

Duplici autem modo efficiens specie cum eo, quod fit, convenire dicitur: aut ut tota essentiæ ratio conveniat ei, quod fit, adeoq; nihil diversum habeat ab eo, quod fit: ut quando ignis ignem, homo hominem, generat: aut *ut etiam aliud quid contineat, quàm istud, quod fit, cum illo ipso tamen includat altas totam rationem ejus, quod fit: Tali modo homo domum extruit per artem, quæ est tota domus ratio: Alias partem eam,*

tem eam, ad quam tota ratio sequi potest: ita motus excitat ignem per caliditatem, quæ aut tota ratio est, aut talis pars, ad quam ratio ignis potest sequi. Nullo igitur modo Dæmones hominem transformare possunt in lupum: Nullo modo enim specie conveniunt homines & Dæmones, neque ullo jure animalis ratio ascribi potest spiritibus. Attribuenda enim illis esset mortalitas & similia. Deinde pars, quam sequitur tota ratio animalis est corpus, potentiâ vitam habens sive organicum. Illud formis abstractis tantùm abest ut attribuatur; ut potius è diametro illis opponatur. Ergo Dæmones transformationes in lupos vel similes effectus producere nullo modo possunt. Ergo quæ de magicis rerum conversionibus circumferuntur, aut nunquam sunt visa, aut si qua visa sunt, non res videnda, sed oculus videntis fascino fuit oblæsus, aut si inviolatus perstiterit oculus, res videnda subdolè fuit subducta, aliaq; illius in locum substituta. Baculi itaque Magorum Ægyptiorum in serpentes realiter mutati non sunt. Exod. 7.

Λυκανθρωπία nulla est.

Inquis: cultros, clavos, tigillos, è vivis hominum corporibus, demortuique ventriculo esse extractos, quæ sortibus Magicis immissa esse existimantur. Incredibilia mihi hæc ferè sunt. Nonnulli putant, illa, dũ secarentur, esse à Dæmone supposita, astu obtutum oculorum antevertente, atq; illud ob profanam de maleficio persuasionem ab ægro, alliisq;, qui ægro adfuerũt conceptam. Alij putãt in defuncti stomachum per patẽs vulnus (dicitur enim is sibi cultro abscidisse guttur) vel etiam per fauces fuisse cultros & cætera ingestos:

Dubium.

1. Opinio.

2.

In vi-

In viventibus statuunt post longam humorum & flatuum certâ in parte appulsionem, quâ intemperies non tantùm est ortâ: sed etiam partes sunt dissolutæ, non sine acerbißimo dolore, aperto tamen ulcere, & ejecto pure, quo datus fuit meatus, arte Dæmonem immisisse cultrum aut clavum &c. Hæreô hic, & quid af-
3. *firmandum, non sentio. Probabilia ista sunt omnia. Utcunq; res sit gesta, fraus certè adfuit, quâ Diabolus opinionem hominum de se singularem confirmare voluit.*

De tempestatibus aliud dubium.

Quid autem de tempestatibus statuendum? Certum est tempestates, fulgura, tonitrua, pluvias &c. virtute cœli & elementorum excitari: Veruntamen Dæmones (permissu DEI) materiæ motum promovere & dirigere, disgregatas exhalationes cogere, & ita componere posse, ut sævißima ingravescat tempestas, vix negabitur. Quomodo enim aërem mobilißimum turbare & per vim agitare non poterit is, cui maxima & gravißima quæque corpora in altum subducere & per aërem rapere non est operosum? Unde præter fidem omnino esse non videtur, quod de Lappis & Finnonibus dicitur, quòd certo pretio ventos secundos vendant Nautis. Olaus lib. 3. c. 16. Ziglerus in Scondia. *Cùm enim in illorum sint obsequio Dæmones (maxima enim ibi est barbaries & idolomania) si res faciat ad confirmandam superstitionem, ipsi aërem haud difficulter à puppi impulerint. Cùm & Dæmones prænotent signis & prævideant, quid poßit naturâ, suisq; ipsorum viribus in naturâ & aëre agi, interpellant Magos, ut hæc illave parent: Ubi succedit eventus, hi de suo gloriantur artificio.*


Assumere etiam Intelligentiæ possunt corpora, ut non solùm cernantur, sed etiam tangantur. Quæsiverunt olim quali ἑνώσει *uniretur Spiritus corpori assumpto. Aureolus apud Capreolum* in 2. dist. 3. q. 1. art. 2. *respondet: Angelum uniri corpori, sicut formam materiæ. Quæ opinio falsa est. Tertullianus* lib. de pers. Christ. *ita corpus ab angelo assumi dicit, sicut à Verbo divino corpus humanum hypostaticè: quæ opinio absurda est. Alij rectius statuunt, uniri angelum corpori assumpto, tanquam formam aßistentem materiæ, tanquam motorem mobili, in quo & ipse quodammodo repræsentetur, & etiam moveatur per accidens secundùm illum motum. Tandem angelorum quoque potentia tanta non est, ut possent ex nihilo aliquid producere, & creare; cùm creatio infinitam requirat virtutem, illorum verò virtus tantùm finita sit. Rectè igitur Damascenus lib. 2. de fid. Orth. cap. 3. in fine reprehendit & arguit Nicolaitas, Simonianos, Menandrianos & Archonticos, qui mundum ab Angelis conditum somniabant.* Atque hæc de Intelligentijs creatis.

EXERCITATIO QUARTA.

DE DEO.

Typus

Typus hujus Exercitationis.



(S) Cognitio Dei (th. 1.) vel est
- Absoluta. Hæc est vel (th. 1.) & 2.
  - Existentiæ Dei: nempe quod sit. (th. 1.)
  - Essentiæ: nempe quid sit. Hæc est cognitio attributorum Dei: quæ vel (th. 3.)
    - συστατικά: quæ vel
      - Universalia sive Communia, quibus Deus dicitur
        - Primùm: Ens sive Essentia. (th. 3. 4. 5. 6.)
        - Deinde
          - Unus sive unitas (th. 7. 8. 9.)
          - Verus sive veritas, Bonus sive bonitas (th. 10.)
      - Singularia: quæ de Deo efferuntur, vel
        - Privativè: quæ negant de Deo vel
          - Quantitatem: ut Infinitas (th. 11.) ex qua fluit &
            - Immensitas, & Ubiquitas. (th. 12.)
            - Æternitas. (th. 13.)
          - Motum: ut est Immobilitas sive Immutabilitas. (th. 14.)
        - Positivè: ut sunt
          - Simplicitas. Deus enim est simplissimus Spiritus. (th. 15.)
          - Vita: (th. 16. 17.) quæ est &
            - Intellectualis. (th. 18.)
            - Liberâ voluntate prædita. (th. 19.)
    - ἐνεργητικά: ut est Omnipotentia. (th. 20.)
- Relata ad Creaturas. (T.)

Theorema I.

Esse Deum saniorum omnium Philosophorum unanimi & constanti consensu, principijs ex naturâ petitis probatum & demonstratum est.

Præcedente exercitatione th.9. substantia Incorporea sive spiritualis in finitam & infinitam tributa fuit. De finita egimus. sequitur nunc ultima substantia, vel potiùs omnium prima, Deus ter. Opt. Max. de quo videndum est, quid homo naturaliter cognoscat & intelligat, & quibus medijs ad ejus cognitionem perveniat. *Vtrumq; monstravit Apostolus Paulus* Rom. 1. v. 19. & 20. *quando propterea inexcusabiles judicat Ethnicos, quòd cùm cognitione* DEI *præditi esse potuerint, eum non cognoverint, vel cognitum non ut Deum coluerint, aut glorificaverint. Et Iobus* cap. 36. omnes homines, *inquit*, vident Deum. *Medium vero per quod ad* DEI *cognitionem pervenire licet, dicit Apostolus*, creaturas *esse* visibiles. Invisibilia enim DEI, *inquit*, videlicet æterna ipsius potentia, & divinitas conspiciuntur ab opificio mundi animadversa ex ordine operum. *Et Salomon ait* Sap. 13. Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia DEI, & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est: neque operibus attendentes, agnoverunt,

Quæ notanda hoc loco.

runt, quis esset artifex: *Et infra*: A magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator eorum videri. *Idem indicatur verbis illis* Psal. 18. Cœli enarrant gloriam DEI. *&c. Nam creaturarum visibilium, teste Dionysio* lib. de div. nom. c. 7. *ordo & invariabilis certitudo certissimum est* DEI *argumentum. Hinc quoq́ Clem.* in Pædag. lib. 2. c. 12. *inquit*: Ecce totum cœlum apertum est, & Deum nõ quæris? *Et Irenæus, mundum manifestare eum, qui ipsum fecit, testatur* lib. 2. contra hær. cap. 9. *Et Nazianzenus* orat. 2. de Theolog. *ait*: Quemadmodum ille, qui cytharam affabrè constructam & elaboratam conspicit, ejusq; concentum audit, ipsum Cytharæ artificem & Cytharedum mente reputat, licèt sibi de facie ignotum: ita is, qui mundi harmoniam percipit, mundum à divino conditore & architecto, quamvis ab eo non videatur, creatum intelligit. *Idem luculentá Oratione ostendit Augustinus* lib. 11. de civit. Dei cap. 4. Exceptis, *inquit*, Propheticis vocibus, mundus ipse ordinatissimá suá mutabilitate & mobilitate, & visibilium omnium pulcherrimá specie quodammodo tacitus, & factum se esse, & non nisi à DEO fieri potuisse proclamat. *Rationem hanc insinuavit quoque Philosophus* lib. λ. Metaph. cap. 2. *his verbis*: Quo namq; pacto ordo erit, non existente aliquo perpetuo, separato ac permanente? *Eamq́ latiùs prosequitur* cap. 10. *Vbi etiam utitur exemplo exercitus, qui sine duce ordinatus*

dinatus esse non potest. Et in libro de mundo *expresse inquit: Cùm omni mortali naturæ invisibilis sit Deus, ab ipsis tamen operibus videri potest. Elegans porrò est Lactantij locus* lib. 1. de falsa relig. c. 2. Nemo, *inquit*, est tam rudis, tam feris moribus, qui oculos suos in cælum tollens, tametsi nesciat, cujus Dei providentiâ negatur hoc omne, quod cernitur, aliquam tamen esse non intelligat ex ipsâ rerum magnitudine, motus dispositione, constantiâ, utilitate, pulchritudine, temperatione: nec possit fieri, quin id, quod mirabili ratione constat, consilio majori aliquo sit instructum. *Et optimè Eusebius Cæsariensis* lib. 7. de præp. Evangel. cap. 2. Sicut domus, *inquit*, sine artifice, aut pannus sine texente fieri non potest, ita neq; universum hoc sine authore. *Quid etiam eruditiùs meliusve in hanc sententiam dici potest, quàm illud Bernhardi.* Super cantica serm. 31. p. 661. Hæc formarum varietas, *inquit*, atq; numerositas specierum in rebus conditis, quid nisi quidam sunt radij deitatis, monstrantes quidem quia verè sit, à quo sunt, non tamen quid sit prorsus definientes ?! Itaq; de ipso vides, sed non ipsum; Cum autem de eo, quem non vides, cætera vides, scis indubitanter, existere quem oportet inquirere, ut inquirentem non fraudet gratia, negligentem ignorantia non excuset. Verùm hoc genus videndi commune. In promptu enim est (juxta Apostolum) omni utenti rationi, invisibilia DEI

per ea, quæ facta sunt, intellecta conspicere. *Et Ambrosius* in caput 1. ad Roman. *ait*: Deus qui naturâ invisibilis est, ut à visibilibus posset sciri, opus fecit, quod opificem sui visibiliter manifestaret: ut per certum incertum sciretur, & ille Deus omnium esse crederetur, qui hoc fecit, quod ab homine impossibile est fieri. Potuerunt ergo cognoscere, sive cognoverunt, ultra omnem creaturam esse illum, qui ea fecit, quæ nulla creaturarum facere vel destruere valet. *Accedat* quæcunq; vis creaturæ, & faciat tale cælum & terram, & dicam, quia Deus est. Sed quia nulla creatura talia facere valet, constat, super omnem creaturam esse illum, qui ea fecit: ac per hoc illum esse Deum, humana mens cognoscere potuit. *Et August. serm. 55. de verbis Domini scribit*: Viderunt hujus seculi Philosophi, quantum ab homine videri potest: creatorem per creaturam, factorem per facturam, fabricatorem mundi per mundum. Quemadmodum enim anima (*ut adducam etiam illud Theophili Antiocheni lib. 1. ad Autolycum*) in humano corpore non videtur, invisibilis existens, verùm ex corporis motu cognoscitur: sic nec Deus humanis, nec corporis oculis videri potest. Cæterum ex providentiâ, quâ singula ordinat, suisq; operibus aspicitur & apprehenditur. *Venusta etiam vox Senecæ est*: Deus est id, *inquit*, quod vides, & id, quod non vides. *Videtur autem Deus non secundùm essentiam: sed in*

operibus suis, quæ in mundi hujus theatro spectanda exhibet, è quibus Cicero in lib. de nat. Deor. *de se & cæteris Gentilibus scribit*, Deum etsi non videmus, tamen agnoscimus: Videatur etiam Chrysost. hom. 9. & 10. ad populum Gregor. lib. 26. Moral. cap. 8. & lib. 27. Moral. c. 2. Dionys. Ariopag. cap. 7. de divinat. nomin. Thomas lib. 1. contra Gent. cap. 13. B. Bernhard. de adv. dom. serm. 3. p. 8. h. *Idem testantur moderni Theologi. Sic enim Georg. Mylius* supr. v. 19. cap. 1. ep. ad Rom: Deus Ethnicis manifestavit illud γνωςὸν Θεῦ. Manifestatio hæc ad principia naturâ nota, & lumen ipsum rationis pertinet. Deum enim esse, eumq; colendum esse, principium est non scriptum, sed natum, quod non didicimus, accepimus, legimus: verùm ex naturâ ipsâ arripuimus, hausimus, expressimus. *Item* supr. v. 14. cap. 2. ad Rom: Lex naturæ continet discrimen honestorum & turpium, & principia practica de moribus: sic appellata, quia in naturâ hominum & depravatâ post lapsum, reliqua mansit, ut esset testimonium De Deo, & norma disciplinæ, quâ honestas externa & publica societas in genere humano conservari posset. Videatur Lutherus Kirchen Postill/ in explicatione Evangelij die nativ. dom. In principio erat verbum, mihi pag. 75. b. §. Hie soll mir aber. Item §. Nun thut es dasselbige von jhm selbst nicht/ Item §. Darumb/ wie warlich das Fleisch. & seqq.

ſeqq. Item pag. 76. NB. §. Sie/ſo iſt es/meine ich/ klar & ſeqq. Philipp. Melanth. in Orat. de Philoſophia ſtudio Theologiæ neceſſaria. Et alibi Chemnit. 2. part. locor. Theolog. de lege Dei, cap. 9. mihi pag. 115, b. 116. a. Heerbrand. Compend. Theolog. loc. de Deo: q. 1. & 2. Hunn. ſup. cap. 1. ad Rom. part. 3. in explic. tex. mihi p. 87. & loc. comm. 4. p. 94. & ſupr. c. 2. ad Rom. part. 1. in expli. tex. p. 103, & in loc. com. 10. p. 110. D. Chytr. Reg. vit. de vera notitia Dei, mihi p. 24. 25. *Quid opus multis? Apoſtoli locus ſatis perſpicuus eſt, qui etiam ad thema hoc noſtrum* (ex naturâ & per naturam Deum cognoſci poſſe) *probandum & confirmandum adhibetur ab* Ambroſio ſuper. loc. illum Pauli, à Theodoreto 3. Græc. aff. Cyrillo 2. Cont. Iulian. Aug. 8. de civit. Dei. cap. 6. & 9. Clem. 5. Strom. Bernhard. ſerm. 1. in die Pentec. pag. 208. G. Durand. præf. in quatuor libr. ſent. §. 3. *Quocirca cùm ad aliqualem Dei cognitionem creaturarum ſpeculatio nos perducat, mundus non inſcitè à Baſilio* in Hexaem. τῆς θεογνωσίας παιδευτήριον, *item ab aliis* Epiſtola Dei Patris ad genus humanum miſſa, *item* templum Dei ſacerrimum *appellatur*. Plato in Timæo. Plutarchus de Iſid. & Oſir. Eugubin lib. 6. de perenn. Philoſoph. cap. 6. Macrob. lib. 1. Somn. Scip. c. 14. *Et quamvis minimè ignoremus, naturalem illam notitiam admodum tenuem, & reſpectu revelatæ ferè nullam eſſe; cùm tamen, ut audivimus; divina veritas* τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ *in creaturis elucere aſſerat: nulli*

dubita-

dubitemus (nempe qui, ut Philosophos omninò decet, admiranda naturæ arcana non sine labore & studio indefesso, investigamus, & in rectam rationem paulò accuratiùs, atq; altas vulgo fieri consuevit, inquirimus) magnum illum naturæ librum cum Antonio Eremitâ (Socrates lib. 4. cap. 23. Niceph. lib. 11. cap. 34.) *evolvere, ut discipuli simus non solùm Prophetiæ, sed & naturæ.* Tertull. de resurr. *Scrutantes ea, quæ inibi nobis Deus per creationem revelavit & memores illius Ambrosij.* lib. 1. de voc. gẽt. cap. 7. Quæ Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda, quæ autem manifesta fecit, non sunt neganda, ne & in illis illicitè curiosi, & in istis damnabiliter inveniamur ingrati. *Item illius Theodor.* dialog. 1. τὰ κεκρυμμένα ἐ δεῖ ζητεῖν: ἐδὲ τὰ δεδηλωμένα παντελῶς ἀγνοεῖν. Quæ occulta sunt, non sunt quærenda: quæ verò manifesta, non prorsus ignoranda. *Non igitur ignorandum,* quòd in rerum creaturâ contemplamur Dei potentiam, in formâ sapientiam, bonitatem in usu. *Vt loquitur Bernhardus* Homil. infra octavam Epiph. pag. 89. B.

Ad rem ipsam igitur progredimur.

Cognitio DEI est vel absoluta, vel relata ad creaturas.

Cognitio DEI absoluta est cognitio naturæ Dei internæ, per quam revera est & subsistit.

Cognitio naturæ DEI est, vel existentiæ, vel essentiæ divinæ.

Cognitio existentiæ divinæ est, quâ intelligimus Deum reverâ esse. *Et si quidem existentia & essentia in Deo sunt simpliciter idem, ob captum tamen nostrum, quemadmodum reliqua, quæ Deo attribuuntur, hic eas distinguimus.*

Quod igitur attinet quæstionem, An sit DEUS, *testatur nostrum Theorema, saniores Philosophos nunquam dubitasse esse Deum. Nota,* saniores Philosophos nunquam Deum esse in dubium vocasse. *Aliâs enim antiquitùs non defuerunt, qui Deos esse planè abnegarunt, qui verò an hominis, nedum Philosophi nomine digni sint, jure dubites.* Diagoras Melius, *teste Suidâ & Cicerone* lib. 1. de nat. Deor. *Deos esse negans, rem nullam illi Dei notioni subjectam esse, existimavit. Protagoras Abderites, apud Laërtium* lib. 9. *& Suidam & Philostratum dubitans esse Deos, commentitiam illam Dei notitiam est suspicatus. Nam librum quendam in hanc sententiam exorsus est:* Dij sint nec ne, satis statuere non possum. Nam cùm alia plura id sciri prohibeant, tùm summa rei incertitudo & brevitas vitæ. *Item* Theodorus, ἄθεος *dictus*, Laërt. lib. 2. de vit. Philos. Bior *quoq; Borysthenites*, Laërt. lib. 4. Selius *apud* Martial. lib. 4. Epigram. *Quibus addit Eusebius* lib. 2. de præp. Evang. Evemerum Messanium. Plutarch. 1. de plac. c. 7. *ut &* Galenus de hist. Philos. cap. 25. Euripidem *annumerant: non quidem, quod ille expreßè Deos negaverit, sed quod illos sub aliâ personâ clàculum irriserit, & ludibrio habuerit. Idem facit* Lucianus, *quando in consilio Deorum, Deorum stultitiam*

titiam & vanitatem, ut & ipsos homines, qui credunt, quæ de Dijs dicuntur, falsè ridet. Item in Dialogo, qui de sacrificijs est, multis exagitat, quæ de dijs, horumq́ cultu tradita à nonnullis Philosophis extant. In Iove confutato ait: nihil esse Deos, cùm omnia, sive benè sive malè facta sint, fato eveniant. *Imò rident quoq́ ipsi* Homerus & Aristophanes, *quæ de Dijs plausibiliter dicebantur à multis, qui tamen inter gentes videbantur doctrinâ, laude atq́ sapientiâ præstare. Illud quoq́ hoc loco intactum relinquere non possumus, quod apud* Ciceronem & Plutarchum, Strabonem *etiam ex Timæo historico repetitum legitur, quo etiam ipsi Ethnici suorum se Deorum vanitatem ridere manifestè sunt professi.* Timæus *namq́ cùm in historiâ scripsisset, quâ nocte natus Alexander esset, eâdem Dianæ (quæ & Lucinia est) Ephesiæ templum deflagravisset: adjunxit idem, minimè esse mirandum, quòd Diana, cùm in partu Olympiadis matris Alexandri adesse voluisset, domo tunc abfuisset, ita ut simul utrobiq́ esse & duo diversa simul rectè curare nequiverit.* Salsa irrisio Deorum. *Non itaq́ Dij domi sunt, cùm auxilio opus est, sed absunt quæsiti secundùm* Homerum & Aristophanem *in pace, vel in convivio Æthiopum, vel alibi occupati retinentur, ne miseris longius remotis subvenire semper possint. Vnde ex hâc persuasione* Theodorus Atheos *dixit:* λῆρον εἶναι, *nugationem esse,* τοὺς περὶ θεοῦ λόγους: *quod* Epiphanius *in Hæresi, quæ* Massilianorum *est, scripsit: atq́ propterea* Herculem *etiam suum ligneũ, cum alia ligna deessent, quibus in coquendo cibo ute-*

retur, exuſsit, & per ludibrium, antequam in ignem
„ *abjiceret, his verbis compellavit:* Age Hercules de-
„ cimum tertium laborem ſubiturus, adeſto
„ obſoniũ nobis Cocturus. *Cujus præter* Epipha-
niũ *etiam mentionem facit* Athanagoras *Chriſtia-
nus Philoſophus in græcâ ſuâ Apologiâ pro Chriſtianis.*
„ *Verùm ex his & ſimilibus manifeſtum eſt, hoſce*
„ *Philoſophos non tàm* DEVM *unum, quàm* DEOS
„ *Ethnicorum riſiſſe. Cum alias veriſimile non ſit, adeò
nullum divinæ majeſtatis ſenſum in homine reperiri,
ut creatorem ſuum planè abnegare audeat, vel ſi ab-
neget, faciat id contra ſenſum & conſcientiam. Deum
enim eſſe omnibus innatum & quaſi inſculptum eſt,
& nulla de hominibus gens eſt neq; tam immanſueta,
neq; tam fera, quæ non etiamſi ignoret, qualem Deum
habere debeat, tamen habendum ſciat. Et elegans eſt
Ciceronis ex Ariſtotele locus:* Si eſſent, *inquit,* qui
ſub terra ſemper habitaſſent, bonis & illu-
ſtribus domicilijs, nec tamen exiſſent un-
quam ſupra terram: deinde aliquo tempore,
patefactis terræ faucibus, ex illis abditis ſedi-
bus, evadere in hæc loca, quæ nos incoli-
mus, atq; exire potuiſſent: cum repentè ter-
ram ac maria, cælumq; vidiſſent, nubium ma-
gnitudinem, ventorumq; vim cognoviſſent,
aſpexiſſentq; ſolem, ejusq; cùm magnitudi-
nem pulchritudinemq; ; tum etiam efficien-
tiã cognoviſſent, quod is diem efficeret, toto
cælo luce diffuſa: cum autem terram nox o-
pacaſſet, tum cælum totum cernerent a-
ſtris diſtinctum & ornatum, lunæque lu-
minum

minum varietatem, cum crescentis, tum senescentis, eorum omnium ortus atque occasus, atque in omni æternitate ratos, immutabilesq; cursus: hæc cum vidissent, profectò etiam ESSE DEUM, & hæc tanta opera DEI esse, arbitrarentur. *Hinc Damascen.* lib. 1. de fid. Orth. c. 3. *ait*: ἡ γνῶσις τοῦ εἶναι θεὸν, φυσικῶς ἡμῖν ἐγκατέσπαρται. Cognitio quod Deus sit, nobis naturâ insita est atq; ingenita. *Vt autem ad rem revertamur, DEVM esse triplici potissimùm argumentorum genere partim Scholastici ex naturâ disputantes, partim Ethnici Philosophi, probare & demonstrare voluerunt, nempe* Logico *sive* Topico, Metaphysico, *&* Physico. Triplex DEI demonstratio.

Anshelmus *enim* prosol. c. 2. & tertio: *item* lib. contra insipientem; *& qui hunc sequitur* Abulen. in capit. 5. Exod. quæst. 2. *in eâ fuerunt opinione, DEVM esse tàm certum & manifestum esse, ut ne cogitari quidem posset; eum non esse. Quocirca non demonstratione hic opus esse existimarunt, sed tantùm Logicam sive topicam rationem & declarationem attulisse sufficere. Quare hunc ferè in modum disputarunt: Quilibet atheus mente concipere potest aliquid maximum, quo majus cogitari nequeat, ideoq; sub notione Dei, idq; in sua mente non esse maximum simul scire: Ergo concludet, id extra mentem in rerum naturâ existere longè majus & excellentius, quàm mente conceptum erat. Topica, inquam, argumentatio est, quæ sine ullo negotio ab adversario dissolvitur. Quando enim Atheus concipit mente maximum, quo majus nihil concipi potest, concipit quidem*

confusè essentiam maximi: An verò illud maximum ita extra mentem existat, non statim intelligit. Non enim possumus ex conceptu nostro ad rerum existentiam argumentari. Siquidem non sequitur: Mathematicus sibi imaginatur lineam infinitam, simulq; scit illam lineam non esse in suâ mente: Ergo linea *infinita in naturâ existit. Vel* Copernicus *sibi imaginatur cœlum stare, & terram moveri:* Ergo *cœlum stat & terra movetur; ita non sequitur, si tu conceperis aliquod maximum, & illud in tuâ mente maximum esse unà scias: illud propterea in rerum naturâ esse. Cùm mens poßit concipere & fingere etiam id, quod non est. Anshelmi hæc opinio videatur insinuari in commentariis Hieronymo attributis* super Iobum cap. 36. *circa illa verba:* Omnes homines vident DEUM: *& super* Psalm. 95. *in ea verba:* correxi orbem terræ, qui non commovebitur. *Illiq; favet Damascenus* lib. 1. de fide cap. 1. & 3. *Vbi inquit:* Dei cognitionem naturaliter esse hominibus insitam: *Verùm hoc à Thoma.* 1. parte quæst. 2. a. 1. *ad meliorem sensum trahitur & ita exponitur, quòd homini sit naturaliter insitum aliquid, ex quo poßit in cognitionem Dei devenire.* Videatur etiam idem Thomas. 1. contr. Gent. c. 11. & 12. & q. 10. de verit. art. 12. *Aliacus quoq;* in 1. q. 3, art. 2. & 3. *negat Deum esse, demonstrari posse.*

Huc etiam referri potest probabilis ratio, quâ nonnulli ex metu nobis innato Deum demõstrare satagunt. Omnia enim (inquiunt) quæ mens agit ratiocinando, quæq; cogitat & movet, aut accusat pravitatis alicujus, indeq; metum mali futuri concipit à superiore quodam Numine immittendi: aut bonitatis; rectitu-

dinisq; laude jactitat, bonamq; spem futuri alicujus boni fovet à numine expectandi. Neq; etiam ratio, neq; mens, si vel maximè secura esse velit, Numinisq; illius meminisse nolit, & metu mali exitijq; perpetui cupiat liberari, metum hunc excutere, numinisq; illius notitiam, atq; hoc religionis veritatis limitibus inclusæ, fundamentum abijcere nunquam posse videtur. Perpetuis enim accusationibus excusationibusq; hujus ipsius facti cogitationes sese mutuo affligunt, semperq; quærunt, num rectè fiat hoc ipsum, nec ne: quid enim hinc expectandum sit, si fiat, mens ipsa in se tristis, abundè satis indicat & ostendit, quæ extrema remedia conversationum voluptatumq; aliarum adhibens, sanitatem nullam recuperat: sed graviora sibi vulnera quotidie infligit, metumq; auget, contra seipsam statuens, rectè illud non fieri, cui medelam quærit. Nec unquam à tristitiâ hâc liberatur, nisi numen illud investiget; nec quiescit, nisi verè illud apprehendat, id quod Ciceronis illius, numen quærentis, oratio satis „ indicat, quâ testatur, se, tentatis rebus omnibus, „ nihil reperisse, in quo acquiescere queat. Hæ „ mētis agitationes, laboresq; rationis Syllogismum illū, quem Practicū vocant, in cujusvis etiam sceleratißimi hominis & maximè barbari corde & animo actiones effectusq; considerante, gignunt, adeò ut flagitiosißimi sæpiusculè dolorē patiantur sentiantq;, maximè si soli sint, & anima, mensq; in se descendant; caussam verò reddere nullam possunt aliā, quàm mētis aliquod & rationis certißimum dictamen, quod sine notitiâ aliquâ esse minimè potest. Hoc dictamen & hanc conscientiā, ut significarent Poëtæ, finxerūt tres virgines, quas

Furiarum figmentū.

quas furias appellitabant, quarum capilli sunt intertexti serpentibus, armatæ etiam facibus ardentibus, quas admovent hominũ pectoribus ad eos excruciandos Atq; idipsum furiarũ hasce figuras & picturas repræsentare explicat Cicero *in Pisonem.* Nolite *inquit,*putâre, P. C. ut in scenâ videtis homines sceleratos impulsu Deorum terri: furiarum tædis ardentibus; suã quemq; fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia, de sanitate & mente deturbat: Hæ sunt impiorum furiæ, hæ flammæ, hæ faces &c. *Idem repetit pro* Sex. Roscio: & 1. de legibus. *Exemplum hujus habemus in Nerone, qui occisâ matre Agrippinâ per Anicetem, nec sceleris conscientiam, quanquam & militum & senatus populiq; gratulationibus confirmaretur, aut statim, aut nunquam postea ferre potuit: sæpe confessus, exagitari se maternâ specie, verberibus furiarum & tædis ardentibus.* Dion. in Nerone. *Sic Cajus Caligula, licet, teste Suetonio* in Calig. *Deos contemneret, ad minima tamen tonitrua & fulgura connivere, caput obvolvere; ad verò majora proripere se è strato, sub lectumq; condere solobat. Hæc enim pœna vehementior videtur esse* & multo sævior illis,

Quas aut Cæditius gravis invenit, aut Rhadamantus,
Nocte dieq; suum gestare in pectore testem:

ut canit Iuvenalis Sat. 13.

Hæc quidem ratio, ut patet, ad persuadendum utilissima est: si tamen firmioribus & exactioribus mediis non stabiliatur, certi nihil concludet. Particularis enim

enim est: siquidem non DEUM *duntaxat, sed quamlibet vim superiorem & fortiorẽ timemus, imo ipsum Diabolum reformidamus, cui Indi supplicarunt, ne à Deo jussus ipsis noceret, Et Porphyr.* de sacrif. *omnes Dæmones sacrificiis delectantes vocat malos, illosq; oblatione placare jubet, ne damnum aliquod inferant: Quantum itaq; sit roboris in hoc argumento manifestum est.*

Metaphysicæ argumentationes dantur quàm plurimæ. Scotus *ita arguit: Datur posterius: Ergo datur prius in Universo. Atq; hoc argumentum simile dicit illi, quo* Aristoteles *in Physicis ex motu primum motorem & primam caussam demonstrativè colligit. Quod tamen* Scoto *minimè concedimus.* Aristotelis *enim illatio est demonstratio* τοῦ ὅτι *& accuratè monstrat ex motu, tanquam effectu, qui à se & per se fieri & esse minimè potest, primum motorem: Verùm per posterius ita prius nunquam demonstrabit* Scotus. *Nam prius, quatenus prius, non est caussa posterioris. Adde si omninò concedatur, quemadmodum etiam concedendum est, esse aliquid prius, esse etiam primum, illud autem primum nondum intelligitur an sit Deus, an cœlum: posset enim forsan ista gradatio in cœlo terminari: quemadmodũ & Ethnici cœlum pro Deo agnoverunt, teste Theod.* 6. Græc. aff. in pr. *Videntes enim (*vide Cyrill. 2. in fine*) cœlestium corporum immutabilitatem, congruam & perpetuam motionem, ordinem quoq; benè aptatum, item certas leges lunæ, certos & definitos ortus & occasus solis,* DEUM *&* DEI *solium esse cœlum suspicabantur. Atque hinc nomen* θεοῦ *apud Græcos primùm*

II. Rationes vel demonstrationes DEI Metaphysicæ.

I. Correctio argumenti.

mùm fluxisse testatur Plato in Cratylo. Cùm enim cœlum eodem semper motu moveri observarent, hos DEOS θεὺς, *quasi* θέοντας, *currentes, appellarunt. Damascenus* lib. 1. de fide Orth. cap. 11. *triplicis Etymologiæ vocis* θεȣ̃ *facit mentionem. Derivatur, inquit, vel à* θέειν, *id est, currere, vel ab* αἴθειν, *id est, urere: vel à* θεᾶσθαι, *id est, intueri.*

2. Avicenna. *Hujus porrò farinæ sunt rationes* Avicen. & Soncin. 12. Metaph. q. 1. & 23. *Datur perfectum & perfectius: Ergo perfectißimum: quo* Plotinus En. 6. lib. 7. à cap. 9. ad finem libri, *demonstrare conatur DEVM sive summum bonum.* Anshelmus in Monol. c. 1. & 2. *disputat hoc modo: Datur bonum, datur majus, ergo & maximum.* Explicatio argumenti. *Verùm hæc argumenta omnia magni momenti non sunt. Et si aliquid concludant, illud tantùm universale & confusum est, Deiq; naturam & essentiam minimè attingit.*

3. Ochami. Ocham 1. d. 2. *magni facit hanc rationem: In caussis non datur processus in infinitum: Ergo subsistendum & quiescendum in primâ aliquâ caussâ. Et* Petrus de Aliaco *ex omnibus rationibus Philosophi hanc prædicat firmißimam: cùm tamen aliud nihil monstret, quàm dari primam caussam: an autem prima illa caussa sit DEVS, per illam demonstrationem non ostenditur. Nam quidam, ut* Diagoras, *primam caussam in naturâ esse non negabant: verùm illam DEVM esse non concedebant; sed vel cœlum, vel aliud aliquod corpus. Ægidius Romanus ex Thomâ ita argumentatur: Dantur in rerum naturâ nonnulla, quæ possunt esse & non esse, ut experimento constat in animalibus*

malibus & aliis permultis, cùm multa sint, quæ generantur quotidiè atq; corrumpuntur: Impoßibile vero est, omnia quæ sunt hujus conditionis, semper esse, quod enim poßibile est non esse, quandoq; non est. Si igitur omnia, quæ sunt in mundo, hujus essent conditionis, sequeretur nihil aliquando fuisse in rebus, quod si verum esset, nihil etiam modò esset, quia quod non est, non incipit esse, nisi per aliquid, quod est. Si igitur aliquando nullum omnino Ens fuisset, impoßibile esset, aliquid incepisse, & ita modò nihil esset, quod apertè falsum est: non ergo omnia Entia possunt esse & non esse; sed oportet esse aliquid necessarium in rebus: Omne verò necessarium vel habet caussam suæ neceßitatis aliunde, vel non habet. Non autem est poßibile progredi in infinitum in necessariis, quæ habent caussam suæ neceßitatis: sed subsistendum est in eo, quod est caussa neceßitatis aliorum, quæ est conditio solius Dei. Danda igitur substantia necessaria & æterna, nempe Deus Opt. Max. Thomas part. 1. sum. q. 2. a. 3. præter argumentum Philosophi à motu desumptum, quatuor habet rationes: 1. à caußâ efficiente: Est in rerum naturâ caussa quædam efficiens prima, quæ non est ab aliâ: Sed hanc caussam primam vocant DEUM: Ergo est Deus. 2. à ratione contingentis & necessarij. Est aliquod Ens necessarium, quod fuit semper, quodq; non habuit caussam suæ neceßitatis: Sed tale Ens necessarium omnes fatentur esse Deum: Ergo. 3. à perfectione rerum: Est in naturâ aliquid, quod sit optimum, verißimum, nobilißimum, caussa omnibus aliis bonitatis: sed hoc dicitur & est Deus. E. 4. à rerum gubernatione: Est in naturâ aliquod

quod intelligens, à quo omnes res naturales ad fines suos diriguntur: sed hoc sani omnes dicunt esse Deum: Ergo verè Deus est.

Algazel tandē Damascen.& comp. Theol. verit. *potissimùm urgent medium ex creatione petitum, sed admodum infirmum. Nihil quidem ad demonstrandum DEVM daretur efficatiùs, quàm creatio; si tàm nobis esset cognita, quàm certo DEVM demonstraret. Cùm itaq; medium illud sit vel planè ignotum, vel omninò dubium Intellectui, & nemo nos melius doceat mundum creatum esse à DEO, quàm DEVS ipse per Prophetas, Evangelistas, & Apostolos,* Auguſt. lib. 11. de Civitat. DEI cap. 2. & 4. *neutiquam incredulitati rationis hoc modo satisfiet: nisi forsan ita argumentatio instituatur. Quodcunque factum est, ab alio est productum: sive creetur, sive generetur, sive quocunq; alio modo fiat. Atqui omne Ens ab alio non est productum: Ergo omne Ens non est factum. Majorem probat Suarez* Disp. Metaphys. 29. s. 1. d. 20. *Quia nihil potest efficere se. Nam res, quæ fit per effectionem, requirit esse: Res autem, quæ facit & producit, supponitur habere esse, & ideò manifestam repugnantiam involvit, quod idem faciat seipsum. Prius enim quàm res sit, non potest esse in actu formali vel virtuali ad faciendum se: atq; hâc de caussâ longè evidens est hoc principium: Omne quod producitur, ab alio producitur: quàm illud: Omne quod movetur, ab alio movetur. Rationem subnectit Suarez: Nam, inquit, quod movetur, supponitur esse, in quo esse potest intelligi actus virtualis ad se movendum: quod autem efficitur, non supponitur*

ponitur esse, sed potius supponitur non esse, antequam fiat; in ipso autem non esse, non potest esse virtus ad se efficiendũ. Minor probatur: Nã quemadmodũ in motis tandem deveniendum est ad caussam immobilem primam: Ita in universali rerum omnium productione tandem in primâ caußâ subsistendum est: quæ non sit facta vel producta ab alio. Nam sic cum eodem Suarez argumentamur: Omne Ens factum, ab alio est factum: Vel ergo illud, à quo factum est, est etiam factum, vel non: si non est factum: habemus, quod volumus: nempe dari aliquod Ens increatum: Si verò illud etiam factum est, oportebit ab alio esse factum; de quo ulterius idem inquirendum erit: atq; ita tandem subsistendum in Ente non facto, aut procedendum in infinitum, aut circulus committendus. In infinitum procedi non posse manifestum est. Circulum vocamus, si quis dicat, unam rem produci ab alia, & hanc rursus produci ab ea, quam illa produxerat, vel immediatè vel mediatè, & post multas generationes: Ita enim fingere quis posset omnem rem produci ab alia distincta à se, & nullam esse improductam. Verùm circulum hunc simpliciter impoßibilem esse, quocunq; etiam modo sumatur, concludimus. Et si vel maximè is concederetur, deveniendum nihilominus ad primum aliquod principium, quod circuli hujus initium fecisset, vel primùm posuisset: Cum res finita à seipsa non dependeat. Videatur Suarez loco allegato d. 22. 23. 24. *Quod verò attinet principale argumentum ipsius Suarez* (Omne Ens aut est factum, aut non factum, sive increatum: Sed non possunt omnia Entia, quæ sunt in universo, esse fa-

cta: Ergo necessarium est, esse aliquod Ens non factum seu increatum.) *nihil illud concludere optimè observavit Henn. Arnisæus, amicus & popularis noster* in disp. suæ Metaph. de Deo, th. 13.14. In hoc Syllogismo, *inquit*, multi deprehenduntur defectus. Nam major collectivè accepta, vera non est, sed distributivè tantùm, de quo tamen non litigamur, cùm totus Syllogismus nullus sit, nec formam disjunctivi Syllogismi habeat, nec ad simplicem reduci possit. In disjunctivo enim Syllogismo, si major constet ex contradictoriè oppositis, una pars removetur, ut altera concludatur, in hunc modum: Omne Ens est creatum aut non creatum: Sed omne Ens est creatum: Ergo nullum est increatum. Non licet autem inferre: Quoddam est creatum: Ergo quoddam increatum. Sicut non valet: Omnis homino aut est rationalis, aut est irrationalis: Sed quidam est rationalis: Ergo quidam est irrationalis. Consequentia enim Syllogismi disjunctivi, talem illationem non admittit. Præterea petit manifestò principium in Majore & conclusione: quia conclusio est eadem cum Majore. Quid enim aliud est dicere: Non omnia in universo sunt facta: atq; dicere: Quoddam in universo non est factum?

Hactenùs ille. Plura argumenta vide apud Avicenn. lib. 1. Metaph. cap. 1. lib. 2. eor. cap. 2. & 3. lib. 8. eor. cap. 1. & 3. Quem reprehendit Averroes lib. 1. Phys. t. ult. 2. Phys. t. 22. & 8.

eor.

cor.t.3. Vide etiam ipſum Averroëm 12. Metaph.t.5. Algazel.diſp. 4. Aphrodiſ. 12. Metaphyſ.t.6. Damaſc.1.fid.Orth.c.3. Clement.Alexandr.in protreptico. Tert.cap.17.apologetici. Lactant.lib.1.Inſtit. Athanaſ.in orat.contr.Idola. Auguſt.lib.8. de civit. Dei c.6. Scot. q.2.prol.& in Report.q.4. Thom.1.p.q.2. art: 2.1.cont. gent. cap.13. & in qq. de veritate. Albert. Magn. 1. Phyſ. circa fin. Anton. Andre.1. Metaph.q.1. Aegid. Roman. 12. Metaphyſ.cap.6.q.1. Ocham.1.d.2. Aut. Compend. Theolog. Verit.c.1. Scalig. Exerc.6.ſ.3. Suarez.diſp.all.

Argumenta Phyſica.

Progrediemur ad argumenta Phyſica, ad quæ nos Divus Apoſtolus ablegavit. Iſta enim D E V M *nobis manifeſtiſſimè demonſtrant: quod teſtatur quoq;* Baſilius Mag. Epiſt.141. Ex creaturarum, *inquit*, pulchritudine congruenter rerum opifex declaratur. *Quia verò argumenta, è naturâ petita, non ſint ejuſdem ponderis, admiranda ſanè eſt induſtria, ſagacitas quoq;, & acumen ingenij & judicij Philoſophi noſtri, maximi* Ariſtotelis, *qui non hominem, non bruta animantia, non elementa, non cælum, vel ullam aliam partem tantùm: ſed totum hujus univerſi theatrum in contemplationem vocans, omniaq;, & corpora cæleſtia, & quæcunq; illis ſubjecta ſunt, deprehendens, firmiſſimam inde rationem extruit, quæ appetitui, Numen & primam cauſſam cognoſcere naturaliter deſideranti, ſatisfacit. Rationis autem hujus medium eſt* motus: *quo melius dari non poſſe probatur. 1. Quia nihil melius* D E V M *demonſtrare*

Deus demonſtratur à motu optime. 1.

ſtrare poteſt, quàm ſucceſſivum, quod non eſt ſine mo-
tu: Cum motus ſit fundamentum omnium ſucceſſivo-
rum. Quod probatur: nam nihil manifeſtiùs arguit
ſuam cauſſam, quàm ſucceſſivum ſive motus; quippe
qui à ſe & per ſe nullo eſſe poteſt modo; ſed ſemper
præſupponit cauſſam à ſe diſtinctam. Cum autem
cauſſæ à ſe mutuò dependeant, ut paulò poſt docebi-
tur, neceſſariò ad primam eſt deveniendum, & in ea
2. *quieſcendum. 2. Si aliud datur medium melius motu,*
id aut erit ſubſtantia, aut accidens: tertium enim ra-
tio non agnoſcit: ſi ſubſtantia, eſt vel infinita & in-
corruptibilis; vel finita & corruptibilis. Infinita eſſe
nequit, quia ſubſtantia infinita eſt tantùm DEVS,
qui hîc inquirendus eſt. Deindè *ſi ſubſtantia illa infi-*
nita, eſt quoq; æterna: Verùm æternum nunquam de-
monſtrabit DEVM: *quia non præſupponit aliquid*
ſe prius. Neq; finita & corruptibilis eſſe poteſt. Nam
finita corruptibilis ſubſtantia tantùm proximam,
non remotam, multò minus primam cauſſam arguit.
Si porrò medium illud ſtatuatur Accidens; tum illud,
aut eſt permanens, aut ſucceſſivum. Si ſucceſſivum
dicatur, habemus quod petimus; motum nimirum eſſe
optimum medium ad demõſtrandum ſupremam cauſ-
ſam & DEVM. *Nam, ut jam dictum eſt, motus eſt*
cauſſa, fons, principium, & fundamentum omnium
ſucceſſivorum. Permanens *tandem eſſe nequit, nam*
tale accidens tantùm connotat & arguit ſubjectum
in quo ineſt. Cum itaq; DEVS *accidentium ſubje-*
ctum non ſit (quia enim ſimpliciſſimus, & nullo modo
compoſitus eſt; minimè compoſitus erit ex ſubſtantia
& accidente) quomodo per accidentia permanentia
cognoſci

cognosci poterit? *Vltimum argumentum sumitur ab* 3.
authoritate: Nam, Averroës lib.1. Phys.t.83. lib.2. Phys.t.26.73.78. lib.8. Phys.t.3. l.12. Met.t.5. in Ep. Metaphys.tr.4. disput.4. Cont. Algaz. Niphus in Expl. disp.4. & 8. Cont. Alg. sol.1. dub. q.4. Zimara 12. Metaph. in sol. contr.8. Iand. 8. Phys.q.2. Soncin.12. Met.q.1. & 3. Iavel.q.3. Elias Cret. in Annot. ad 1. Phys. Zabarell. in lib. de inv. æt. mot. c.2. *hi, inquam, omnes docent ad investigandum* DEVM *melius medium, quàm motus sit, non dari.* Et *licet quidem Philosophus in prioribus quinq; capitibus* lib. 8. Phys. *non tantùm de motu particularis alicujus corporis loquatur, & demonstrationem suam contexat; sed in genere ex quovis motu videatur argumentari hoc modo: Vno & supremo motore negato, negatur omnium caussarum essentiali subordinatione moventium caussalitas, adeoq; omnis illarum effectus; in omnibus quippe caussis, in motu existentibus essentialiterq; subordinatis, prima est caussa mediæ, media ultimæ, sive illius generis plures sint, sive individua existat. Remotâ autem caussâ, removetur id, quod ab eâ dependet. Quare si non datur prima, non erit media, nec ultima, nec ullus effectus:* “
“ *Hoc est, in moventibus non datur progressus in infinitum: Ergo subsistendum est in primo motore, qui æternus est: Cum supra se habeat nihil.* Connimbr. 8. Phys.c.5. quæst. unicâ: *licet, inquam, isthæc ita sese apud Philosophum habeant: tamen Argumentum ejus potissimùm & principaliter accommodatur motui cœlesti, qui circularis, adeoq; æternus esse potest. Aliàs verò si textum Philosophi accuratiùs aliquomodo intueamur,*

mur, negari nequit, eum non tantùm cælum; sed totum hoc universum intueri, atq; ex pulchritudine & cohærentia ejus in motu Deum demonstrare voluisse: quæ cohærentia non tantùm est in corporibus cælestibus,
„ *sed in his, & sublunaribus: Conjunctim enim cælestia*
„ *& sublunaria corpora constituunt hoc universum, & motus inferiorum & sublunarium corporum subordinatur & dependet à cælesti motu: motus cælestis, & quidem inferiorum sphærarum dependet ab intelligētijs. Quorum iterum motus est ab ultimo & supremo motore, Deo. Quando verò mens* Aristotelis *tantùm ad cælestia corpora, & ad motum circularem accommodatur, juxta sententiam* Theophrasti in Met. c. 1. *argumentum hoc modo potest formari:*

Quodcunq; movetur, movetur ab alio: Atqui cælum æternùm movetur, Ergo movetur ab alio. (*Iterum:*) *quod æternùm ab alio movetur, illud movetur ab æterno motore: Cælum movetur æternùm ab alio: Ergo movetur ab æterno motore, qui in progressu demonstrabitur Deus ter Opt. Max. Videtur etiam hoc discursu uti* Plato 10. de legibus.

Vt autem hujus argumenti efficacia eo melius intelligatur, tria axiomata vult confirmari Zimara in solut. cont. 8. lib. 12. Metaph.

1. Omne quod movetur, movetur ab alio.
2. Motus cæli est æternus.
3. In caussis efficientibus non datur progressus in infinitum.

1. Principium. Primum principium *negat* Patricius 1. Panarch. *sed quo fundamento? cùm illud de motu Physico intelligatur, de quo rectè dicitur, quod sit ipsum*

mobile

mobile in motu. Quare si mobile seipsum movet, quatenus est indistinctum, idem etiam seipsum producet. In Patricij *itaq; Philosophiâ asini habebunt vim seipsos generandi. Asinina Philosophia! In resultantijs quidem naturalibus motũ terminari in movente concessimus supra: Verùm in motu Physico nemo unquam dubitavit, caussam distinctam esse à mobili.*

Alterum principium *duplici intelligi potest* 2.
modo: primùm de actu, deindè de potentiâ. Si de actu intelligatur, quemadmodum illud videtur intelligi ab Aristotele, *falsum est, & meritò à Christianis Philosophis refutatur, quippe qui longè aliter ex sacrarum literarum fundamentis sunt eruditi, & informati: Certissimè enim sciunt & credunt in principio omnia ex nihilo esse facta & creata: Ergo & cœlum cum suo motu. Si de potentiâ accipiatur, verum est. Nam licet hic motus non sit de facto æternus, tamen ea natura est motus circularis & cœlestis, ut æternus esse possit. Quandoquidem verum est & Theologicè* "
& Philosophicè, quod cœlum Physicè neq; sit generatum, neq; corrumpetur. " *Theologicè enim cœlum &* "
cœlestia corpora non sunt generata, sed creata: ergo non Physicè orta: Deindè in extremo die non corrumpetur cœlum Physicè. Nam corruptio Physica unius, est generatio alterius: sed in nihilum redigetur, quod Physicè fieri nequit: Nam quemadmodum secundùm Physicum axioma: ex nihilo nihil fit: *sic quoq;:* ex aliquo non fit nihil. *Philosophicè res plana est. Potest itaq; motus circularis cœlestis esse æternus. Iam verò, qui conatur potentiam caussæ ex effectu demonstrare, ille totam vim effectus sumere debet, aliàs*

Æternitas mundi Aristotelis rejicitur.

enim nunquam veram & adæquatam caussæ potestatem concludet. Cùm itaq; potentia effecti sit æterna, motusq; cælestis circularis æternùm durare possit, rectè ea vis tota sumitur à Philosopho, & ex virtute & efficaciâ effecti æterni rectè arguit potentiam & virtutem caussæ, nempe quòd & ipsa sit æterna.

Verumenimvero sive motus ab æterno esse statuatur, sive non, perinde est. Vtrumq; enim confirmat nostrum institutum. Si enim motus est ab æterno, etiam motor ab æterno debet existere: si autem motus cæpit, non utiq; incæpisset, nisi caussa efficiens extitisset ante tempus & motum. Imo melius probatur æternitas & potestas efficientis, si mundus cæpisse, quàm si non cæpisse statuatur.

Caussarum divisio.

Tertium principium *ut rectè intelligatur, repetenda est caussarum distinctio supra* lib. 1. Exerc. 4. th. 1. *tradita: quâ dividitur in caussas per se & per accidens.*

Caussæ per se.

Caussæ per se (*definiente Fonseca* lib. 2. Metaph. c. 2. q. 2. sect. 2.) sunt, quæ secundùm naturas proprias, & non secundùm aliquid, quod eis accidit, sunt caussæ. *Hoc modo statuarius caussa statuæ est: Quatenus enim statuarius, & non simpliciter quatenus homo est, statuam producit.*

Caussæ per accidens.

Caussæ per accidens sunt, quæ non vel per seipsas, sed per aliquid, quod ipsis accidit, sunt caussæ: vel dicuntur caussæ comparatione eorum, quæ accidunt suis per se effectis. *Priori modo (addit Fonseca) dicimus Phidiam fuisse caussam efficientem Minervæ: neq; enim illam confecit, quatenus Phidias erat, sed quatenus ei accidebat.*

debat Statuarium esse. Posteriori modo statuarius est caussa per accidens candidi, si accidit statuæ ut sit candida.

Quod attinet hasce caussas per accidens, concedimus illas dari posse infinitas. Cum & caussis & effectis infinita accidere possint, ut infinitæ negationes, & infinitæ relationes similitudinis & dissimilitudinis, si non reales, omnino tamen rationis. Inde fit, ut hoc Architecto hasce ædes extruente, dicere possimus: hic homo extruit domum; hic expers Iurisprudentiæ, expers Medicinæ, expers Grammaticæ, expers Rhetoricæ &c. hic similis Platoni, hic dissimilis Platoni, & similis Aristoteli, hic Musicus, hic Ethicus & ita in infinitum. Eodem modo ex parte effecti: hic architectus extruit domum ligneam, hoc album, simile casæ, dissimile arci, & ita in infinitum. Quod idem etiam in aliis caussarum & effectorum generibus per exempla demonstrari posset. Atq; hoc est quod ait Philosophus lib. 2. Phys. text. 50. & 51. Αἴτιον κατὰ συμβεβηκός ἐστιν ἀόριστον καὶ ἄπειρον. Verùm de caussis hisce per accidens, hic non sumus adeò solliciti. Caussæ per accidens dantur infinitæ.

Caussæ per se vel essentialiter vel accidentaliter subordinantur. Caussarũ per se subordinatio duplex.

Caussarum per se essentialiter subordinatarum (quæ etiam per se ordinatæ dicuntur) Fonseca loco allegato ex Scot. 1. sent. d. 2. q. 2. definitionem adfert talem; quod sunt caussæ ejusdem generis, quæ ita sunt affectæ inter se, ut altera ex natura suâ dependeat ab alterâ in caussando. Vbi tria sunt annotanda. 1. Quod dicitur, caussas per se essentialiter subordinatas

debere à se mutuo dependere in caussando. *Non enim nuda subordinatio sufficit, qualis est, quâ filius dependet à patre & ab avo: sed necesse est, ut ea, quæ alteri subordinatur, dependeat à superiori in caussando, hoc est, indigeat actuali concursu illius ad ipsum caussandi actum. Atq; hoc est, quod alibi às Philosophus inculcat: caussam superiorem sive priorem debere esse caussam inferioris sive posterioris caussæ. Id enim non tantùm de simplici conservatione, sed etiam de ipsâ actione inferioris caussæ intelligendū est, quippe, quæ non exercetur sine superioris concursu, ut illud explicat & docet Philosophus* lib. 2. Phys. c. 2. t. 26. *quando inquit*: Sol & homo generant hominem. *Ubi omninò concedendum est, quòd homo in generando ex naturâ suâ dependeat à sole concurrente ad generationem* 2. *Alterum in definitione annotandum est, quod dicitur*: Ejusdem generis. *Non enim Materia dicitur formæ essentialiter subordinata, neq; forma efficienti, neq; omnino unum genus caussæ alteri. Unum tamen (inquit) pendet ab altero. Rectè respondet Fonseca, id impropriè ita dici. Propriè enim unum potius indiget altero, sine quo caussare non possit. Unumquodq; enim genus caussæ sufficiens est ad suam caussandi rationem, etiamsi effectum habere nequeat, nisi reliquæ caussæ simul concurrant.* 3. *Additur*: Ex naturâ suâ. *Ubi enim debet esse subordinatio caussarum essentialis, ibi oportet, ut una sit inferior, altera superior, & inferioris caussalitas ex naturâ suâ dependeat à caussalitate superioris: quod quando non fit, caussæ essentialiter subordinatæ non sunt. Ut sint duo equi trahentes unum currum, quorum*

unus solus trahere non posset, hi dependent quidem suo modo à se invicem in trahendo, non tamen sunt essentialiter subordinati, quia vis trahendi unius non pendet ex natura sua à vi trahendi alterius, cùm utriusq; vires sint ejusdem speciei inter sese, & perinde concurrant, ac si essent partes unius caussæ potentioris.

Caussæ per se accidentaliter subordinatæ sunt caussæ ejusdem generis, quæ ita sunt affectæ inter se, ut altera pendeat aliquo modo ab alterâ, non tamen in caussando. *Vt Pater & filius quidẽ dependet à patre, ratione ejus, quòd sit effectum patris: non verò dependet à patre, quatenus caussa existit suarum operationum, quæ à libera voluntate & arbitrio proficiscuntur, quod est principium novum independens. Quocirca non licet hic inferre*: Quod est caussa caussæ, est quoque caussa caussati sive effecti: *Atqui pater est caussa filij: & filius est caussa furti vel homicidij: Ergo & pater fur est & homicida. Nulla, inquam, hic consequentia est: Major enim agit de caussis per se essentialiter subordinatis: Minor de caussis per se accidentaliter subordinatis. Nam filius, quatenus committit furtum, vel occidit proximum, non dependet à patre, sed à propriâ & perversâ suâ voluntate & arbitrio. Sunt ergo in argumento scopæ dissolutæ.*

Caussæ per se acciden-taliter subordi-natæ.

Ex his colligunt Fonseca, Aquarius & alij, tria discrimina caussarum essentialiter & accidentaliter subordinatarum. 1. Caussæ per se accidentaliter subordinatæ possunt ejusdem esse speciei: essentialiter subordi-

Differen-tiæ caussa-rum essen-tialiter & accidenta-liter sub-ordinata-rum.

ordinatæ nequaquam. In caussis accidentaliter subordinatis res manifesta est. Essentialiter autem subordinatæ non possunt esse ejusdem speciei: altera enim ex naturâ suâ dependeat ab altera in caussando: quæ dependentia non datur in rebus ejusdem speciei. Sunt enim illæ naturâ suâ partes in caussandi facultate. 2. In essentialiter subordinatis necesse est, ut ratio caussandi superioris sit nobilior & perfectior, quàm inferioris: In accidentaliter autem subordinatis id non est necessarium. Ratio: Nam ibi inferior à superiori dependeat in caussando: Hic verò non detur tanta dependentia. 3. Necesse est ut omnes essentialiter subordinatæ caussæ simul existant eo pacto, quo concurrunt ad eundem effectum producendum: In accidentaliter subordinatis id necesse non est. Potest enim altera operari licet prima non amplius sit in rerum naturâ: Sic filius potest generare liberos, licet pater sit demortuus. Nota: dicitur, eo modo, quo concurrunt,*quia (ut ait Fonseca) cùm fines essentialiter subordinati concurrunt ad eundem effectum, non est necessaria eorum existentia realis, sed objectiva tantùm. hoc est, ut ambo simul apprehendantur.*

Caussæ accidentaliter subordinatæ quomodo sint finitæ, quomodo infinitæ.

Caussæ per se accidentaliter subordinatæ, *duobus considerari possunt modis: vel prout simul actu existunt: vel prout se successive consequuntur. Priore modo acceptæ infinitæ non sunt. Nam actu infinitum non datur.* Aristot. lib. 3. Phys. cap. 5. & 6. *Et* ἀπείρῳ ἐδὲν ἐστι εἶναι lib. α. Minor. Metaph. c. 2. t. 12. *Posteriore modo infinitæ ex sententiâ Aristotelis esse possunt. Si enim Mundus nunquam est vel factus*

factus vel creatus ; generationum & corruptionum vicißitudines fuerunt ab æterno : quod si ponatur & Philosopho concedatur, concedendum utiq; erit, equum hunc vel hunc hominem esse effectum per se respectu infinitorum equorum & hominum, illisq; esse accidentaliter subordinatum : cum in æternitate illâ neque primus homo vel equus generans, neque prima generatio dari queat.

In caussis verò essentialiter subordinatis, *de quibus hoc loco propriè agitur, quocunq; etiam modo illæ sumantur, processus in infinitum non datur. Quod argumentis, tùm generatim omnes caussas, tum speciatim & seorsim singulas concernentibus, corroboramus.* Caussæ essentialiter subordinatæ nullo modo infinitæ sunt.

Generatim quidem. 1. Quia subordinata ea dicuntur, quæ sub uno ordine se mutuo consequuntur : Vbi itaque subordinatio, ibi ordo: ubi verò ordo, ibi exulat infinitudo : nam ordo primum & ultimum requirit. Iam autem τὰ ἄπειρα μὴ ἐςι διελθεῖν, 1. post. c. 19. §. 1. καὶ τὸ ἄπειρον ἄτακτον. lib. 8. Phys. t. 15. *Nemo itaq; poterit asseverare in caussis essentialiter subordinatis procedi posse in infinitum, nisi eâdem operâ negare caussas illas, quas vocavit subordinatas, nō esse subordinatas, adeoq; contradictionem in supposito vel adjecto committere velit. 2. Deinde caussæ rerū si neq; descendendo, neq; ascendendo sunt infinitæ, nullo modo infinitudini sunt obnoxiæ: Nunc si ascendamus, et ab effectu ad caussam proximam, & inde ad remotā progrediamur, nihil infiniti deprehendimus : Aliàs enim foret* κενὴ καὶ ματαία ἡ ὄρεξις, *quâ* φύσει

Probatur 1. in genere.

εἰς τὸ εἰδέναι rapimur. l. 1. Eth. c. 1. *Tum intellectus noster ne unici quidem effectus plenam & absolutam consequeretur scientiam. Si verò à caußa universalißima & primâ ad proximas, & tandem ad ipsum effectum descensum faciamus, ne hic quidem vel tantillũ infinitudinis sese offert : ratio est, quia effectũ alioquin nunquam ad actum posset produci, cùm infinitum pertransiri nequeat. Quibus ita stantibus, nullâ ex parte infinitus in caußis essentialiter subordinatis progressus admitti poterit ; Et sic quidem generatim assertionis nostræ veritas stabilita esto.*

2. In specie. In caussis efficientibus.

Speciatim caussarum efficientium *seriem non esse infinitam, sed habere aliquod primum, in quo demum pes figendus, his & similibus argumentis ostendi potest. 1. Si caussæ efficientes essentialiter subordinatæ essent infinitæ, omnes essent instrumentales, & nulla esset principalis. Sunt enim* ἀντιδιῃρημένως *oppositæ, caussa immediatè principalis & caussa instrumentalis, ita ut illa hujus, hæc illius nomen nullo jure sibi vendicare poßit. At quæso te, qui fieri potest, ut sublatâ caußa principali, seu* κυρίῳ αἰτίῳ, ὀργανικὸν *ponatur ? Nonne Instrumentum debet agere dispositivè ad virtutem principalis agentis, ut rectè docet* Thomas. 1. part. summ. quæst. 44. art. 5.? *Cùm itaque absurdum sit omnes caussas efficientes esse instrumentales ; & verò si infinitas in illis concedatur, hoc absurdum sit necessariò statuendum ; concludimus infinitam seriem in caußis efficientibus subordinatis nullam esse. Ne autem existimes, vocem caussæ instrumentalis hac in argumentati ne*

strictè

strictè acceptam: significat enim nobis omnem caussam, quæcunque ad efficiendum concursu superioris opus habet. 2. Ad hanc rationem accedit & alia, quod nempe non minus absurdè quis dixerit, efficientes esse infinitas, quàm si diceret, caussas formales & finales esse infinitas. Nam efficientes quò in superiori gradu sunt collocatæ, eò plures formas introducere possunt: & pari ratione communiorem finem proprium spectant. Si ergo infinitus esset efficientium numerus; infinitæ quoque formæ introducerenter, infiniti fines intenderentur. Quod cùm nemo, nisi planè ἀῤῥωστία τῆς διανοίας *laborans, concesserit, cúmque, ut omnia, feliciter idipsum Aristoteles* lib. α. minor. Metaph. cap. 2. & 8. Phys. cap. 6. & seq. *refutaverit: quid nos detinet, quo minus in humanæ istius sapientiæ (ut illum Scaliger* Exerc. 211. sect. 1. *nominat) sententiam manibus pedibusque eamus. Sed age, ne dubium hîc ullum relinquatur, ex abundanti etiam id in reliquis caussis omnibus breviter demonstrabimus.*

In materialibus itaq; caussis conclusionem nostram probamus hunc in modum: Initiò supponimus duas hypotheses. 1. dari materiam primam. 2. aliquid fieri ex alio, intelligi dupliciter: Vno modo directè, ut quando ex puero fit vir: altero reflexè, ut quando ex igne fit aër, ex aëre aqua, ex aqua terra, ex terrâ iterum ignis, semper reflectendo. Ex quibus positis sic arguimus: Si datur processus in infinitum in his, quæ sunt à materia, sit illud vel directè, vel reflexè: Non directè, quia id, ex quo fit ali- In materialibus.

quid

quid directè, est medium inter esse & non esse, velut puer, ex quo fit vir: sed positis extremis non possunt media esse infinita: igitur hoc pacto non est processus in infinitum. Nec reflexè: quia ubi est reflexio, ibi est radius ab ultimo ad primum: Ergo ibi datur ultimum, datur & primum: Verùm inter ultimum & primum dantur media finita: Ergo in caussis materialibus per se non datur processus in infinitum.

In caussis finalibus.

In caussis *etiam* finalibus *nulla est infinitudo. Alias enim natura boni destrueretur. Bonum enim est, quod omnia appetunt: sed negato ultimo fine nihil appeteretur: Ergo nullum bonum esset. Præterea si daretur progressus in infinitum in finibus, nullus aliquid ageret. Si enim non esset ultimus finis, quis actionem instituere conaretur? Adde quod nullum daretur agens per intellectum: quia hoc agens cum agat ultimi finis gratiâ, si non daretur ultimus finis, neq; daretur istud agens. Tandem & hæc ratio ab Aristotele adfertur: Vel est aliquid, cujus caussâ omnia fiunt & sunt, ipsum verò gratiâ nullius est: vel nihil tale invenitur: si prius concedatur; nullus erit processus in infinitum in caussis finalibus: si posterius, tollitur omnis finis, quod absurdum.*

In caussis formalibus.

In caussis *tandem* formalibus *nulla est infinitas: 1. Alias enim non esset prima ratio definitiva. 2. non possemus pervenire ad speciem specialissimam, adeoq; nulla esset perfecta scientia. 3. Nulla res simpliciter sciretur definitivè: quia cum omnis scientia definitiva sit per formam, datis formis infinitis, nihil scire-*

sciretur definitivè & demonstrativè. 4. Materiæ convenit infinitas: Ergo formæ finitas &c.

Tandem: In diversis quoq; generibus caussarum non potest dari infinitum. Si enim genera caussarum essent infinita, nempe materialis, formalis, efficiens, exemplaris, & porrò aliud atq; aliud genus usq; in infinitum, nulla iterum daretur scientia. Cùm enim scire sit rem per caussas cognoscere, & infinita in tempore finito percurri nequeant, datis infinitis caußis, tollitur omnis scientia. Deinde licet quidem ipsa caussarum genera inter se essentialiter nō sunt subordinata: tamen nullum earum genus quicquam caussare potest, non concurrentibus cæteris generibus. Quocirca quemadmodum in caußis essentialiter subordinatis caussæ inferiores nihil possunt caussare, nisi detur status in superioribus: ita unum genus caussæ non potest caussare suum effectum, nisi ponatur stat9 in cæteris generibus. Manifestum itaq; est, nullum omnino dari in caußis infinitum. Videatur ipse Arist. lib. ά. Min. Metaph. cap. 2. Averroēs 2. Metaphys. t. 6. disput. 4. contra Algaz. Avicenna lib. 8. suæ Metaphys. c. 1. Snessanus lib. 2. Metaph. c. 2. à tex. 5. usq; ad 19. Aquarius lib. 2. Metaphys. dilucidatione. 5. Aphrod 2. Metaph. t. 6. Soncinas. 12. Metaph. q. 3. Iandunus 2. Metaph. q. 6. Iavell. ibid. q. 5. Cajetan. in prim. part. q. 2. art. 3. Thomæ. Scot. 1. d. 2. q. 2. Fonsec. 2. Metaphys. c. 2. q. 3. Tolet. lib. 8. Phys. q. 5. Tataret. lib. 2. Metaph. c. 2. Ægidius Romanus lib. 8. Phys. c. 6. q. 5. Suarez disp. Metaph. 29. s. 1. dist. 25. 26. & seqq.

In diversis quoq; caussarum generibus non datur infinitum.

Duo itaq; probata sunt: 1. motum arguere motorem distinctum. 2. in moventibus non dari progressum in infinitum. *Vnde tertium firmissime colligitur*: subsistendum esse in primo aliquo motore. *Si verò adhuc ratio fingat superiorem, & adhuc alium superiorem: manifestum est, illos omnes frustra & sine ratione ita fingi. Quia itaq;* ὄντα *sine ratione multiplicari non debent, & quidem potissimùm in divinis, quæ quò sunt sublimiora, eò etiam minus supervacaneis abundant; in summo illo & primo motore, à Philosopho monstrato, quiescere cogitur mens humana.*

Quæstio. *Quæritur; qualis sit hic discursus: an Metaphysicus an Physicus. Nonnulli illum Metaphysicum statuunt esse, propterea quòd conclusio sit Metaphysica. Verùm ut abrumpamus hanc disputationem, respondemus cum* Zabarella de Inv. æt. mot. c. 5. *Et conclusionem & medium Physicum esse. Metaphysicum verò utrumq; à Physico demonstratum accipere, & in suâ scientiâ præsupponere. Hinc obiter duntaxat* lib. λ. Metaph. *hunc discursum*, lib. 8. Phys. *fusius explicatum & probatum repetit.* Atq; hactenus de Argumento Aristotelis, quo primum Ens, primum motorem, adeoq; DEUM ipsum demonstrare voluit.

Argumentum à motu orbium cœli. *Statuerunt etiam Ethnici & potissimùm Aristoteles, intelligentias movere orbes cœlestes, & quamlibet movere suum orbem ad finem naturæ congruum, neq; unam etiam intelligentiam alteri non imperare, neq; unam ab aliâ consilium capere: Ergo quia varij ipsi sunt motus & motores, necessariò requiritur aliqua*

causa

caussa, quæ illos in unum conspirare faciat, & ad finem naturæ congruum dirigat. Et cùm finis quidem ultimus sit in re, primus tamen in intellectu, necessariò unica erit intelligentia summa & suprema, quæ ultimum illum finem constituat, à qua reliquæ intelligentiæ omnes dependeant. Qui enim ultimum constituit finem, constituit omnia illa media, quæ ad ultimum illum finem tendunt. Unde necessariò dicere cogeris, esse quandam primam, & absolutissimam caussam, quam nos DEUM *dicimus. Atq; hinc, ut testatur Cicero,* nulla gens est tàm immansueta, neq; tàm fera, quæ non, etsi ignoret qualem DEUM habere deceat, tamen habendum sciat. lib. 1. de leg. *Et* lib. 2. *graviter alloquitur cives*: Sit igitur hoc jam à principio persuasum civibus, *inquit*, Dominos esse omnium rerum, ac moderatores, Deos: eaq; quæ geruntur, eorum geri judicio ac numine: eosdemq; optimè de genere hominum mereri, & qualis quisq; sit, quid agat, quid in se admittat, quâ mente, quâ pietate religiones colat, intueri, piorũq; & impiorum habere rationem. His enim rebus imbutæ mentes, haud sanè abhorrebunt ab utili, & à verâ sententiâ. Quid enim verius, quàm neminem esse debere tam stultè arrogantem, ut in se mentem & rationem putet inesse, in cælo mundoq; non putet?

Hermes 5. Dial. *ait*: Ἀφθονός λόγος φαίνεται διὰ πάντος τοῦ κόσμου. *Plato* lib. 10. de leg. *duobus argumentis* DEUM *esse ostendit*: *ex* Platonis argumenta.

consensu omnium populorum, & ex statis vicissitudinibus rerum, ad quorum posterius respexerunt quoq; Plutarch. 1.de plac.6. *&* Galen. de histor. Philos.c.26. *testati ex pulchritudine mundi cognovisse homines primùm Deos. Arist.*lib.1.de cælo text.22. πάντες γὰρ ἄνθρωποι περὶ θεῶν ἔχουσιν ὑπόληψιν. Iamb. in pr.de myst. *Ægypt.* Ante omnem usum rationis inest naturaliter insita Deorum notio. *Avicenna:* Quicunq; Deum aut Numen non agnoscit, non tantùm ratione caret, sed & sensu. *Hinc Cicero* lib.1.de Nat.Deor. Constat, *inquit*, inter omnes, non Philosophos solùm, sed etiam indoctos, esse DEUM. De quo autem omnium natura consentit, id verum esse necesse est. *Et* lib.2.de Nat. Deor. Esse Deos perspicuum est: ut id qui neget, vix eum sanæ mentis existimem. *Et* lib.2.de leg. Cur Deos esse credamus, firmissimum hoc afferri potest, quòd nulla gens tàm fera, nemo omnium tàm sit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio. *Iulianus apud Cyrillum* lib.2. *ait* : Omnes, absq; doctore, Deitatem quandam credimus, de quâ diligenter loqui, neq; omnibus facile, neq; ijs, qui noverunt, erga omnes possibile est. *Iren.* 2.cont.hæres.c 9. Ethnici, inquit, didicerunt esse Deum ab ipsâ conditione rerum. Ipsa enim conditio ostendit eum, qui condidit eum, & ipsa factura suggerit eum, qui eam fecit, & mundus manifestat eum, qui se disposuit. *Damascenus* lib.1.cap.1. de fid.

Orth

Orth. Οὐκ ἀφῆκε μὲν τοι ἡμᾶς ὁ Θεὸς, ἐν παντελεῖ ἀγνωσίᾳ. πᾶσι γὰρ ἡ γνῶσις τοῦ εἶναι Θεὸν, ὑπ' αὐτοῦ φυσικῶς ἐγκατέσπαρται. καὶ αὐτὴ δὲ ἡ κτίσις, καὶ ἡ ταύτης συνοχή τε, καὶ κυβέρνησις, τὸ μεγαλεῖον τῆς θείας ἀνακηρύττει φύσεως *hoc est*. Attamen haudquaquam nos deſeruit DEUS, omnimodâ ſui circumfuſos ignorantiâ: quinimo cunctis cognitio, quòd Deus ſit, ab ipſo naturaliter inſita eſt, atq; ingenita. Sed & ipſa mundi creatura & ejus coaptatio pariter & gubernatio, magnitudinem divinæ inſinuat naturæ. *In eandem ſententiam loquitur Auguſtinus* tract. 106. ſuper Iohan. Quòd Deus dicitur, univerſæ creaturæ & omnibus gentibus, antequam in Chriſtum crederent, non omni modo eſſe potuit hoc nomen ignotum. Hæc eſt enim vis veræ divinitatis, ut creaturæ rationali, ratione jam utenti, non omninò ac penitus poſſet abſcōdi. Exceptis enim paucis, in quibus natura nimiùm depravata eſt, univerſum genus humanum Deum mundi hujus fatetur autorem. In hoc ergo, quòd fecit hunc mundum, cælo terrâq; conſpicuum, & antequam imbuerentur in fide Chriſti, notus omnibus gentibus Deus. *Et ſuper Pſalm. 14. teſtatur, quòd nemo tàm ſacrilegus, tàm nefandus fuit, qui perverſa & falſa de Deo ſentiens, auſus ſit dicere;* Nō eſt Deus: *ſed pleriq; honorificè ſæpè de Deo locuti ſunt, & ut Platonis verbis utar, Bonam de illo famā in literis & monumentis ſuis ſparſerunt. Tertullianus in Apolog.* Anima,

nima, inquit, licet falsis Dijs exancillata, cùm tamen resipiscit, ut ex crapula & somno, Deū nominat, &quod Deus dederit, omnium vox est, Iudicem quoq; contestantur illum, Deus videt, &, Deo commendo, & Deus mihi reddet. O testimonium animæ naturaliter Christianæ. Deniq; pronuncians hæc, non ad Capitolium, sed ad cælum respicit. Novit enim sedem Dei vivi. *Theodoretus.* 3. Græc. aff. *& Lactantius* 1. de fals. relig. c. 2. *idem manifestè docent. Hisce suffragatur experiētia. Paulò enim ante nostra hæc tēpora per navigationes inventi sunt populi, quos sub sole esse, ignotum fuit majoribus nostris: Et quidem tales sunt inventi, qui sine rege, sine lege, sine tecto, sine lecto sub dio, instar ferarum, degerent, & sine vestitu, sylvas oberrarent: At qui religionis aliquā specie, aut qui Numinis sensu omni orbati essent, nulli sunt deprehensi.* Videatur etiam Plato lib. 10. de leg. Mars. Ficin. supra hunc Platonis lib. Seneca Epist. 117. Cicero lib. 2. de nat. Deor. Plautus in Captivis &c. Item Damascenus lib. 1. de fid. Orthod. cap. 3. Thom. parte 1. summæ Angelicæ q. 2. art. 3. *Atq; hactenus de quæstione; An sit* DEUS.

Theorema II.

Ad qualemcunq; Dei cognitionem homo naturaliter pervenire potest, sed non sine difficultate.

DEUM *esse ex naturâ constat: verùm quid Deus sit, ex principijs naturalibus venari, hoc opus, hic labor est.*

est. Nam docti quidem & Indocti, Græci & Barbari, homines & bruta, sensibilia & insensibilia, universum & partes, Deum esse testantur: clamant tamen uno ore cum Davide omnia hæc: Domine posuisti tenebras latibulum tuum: in atrijs tuis desedi Domine. Hinc Plotin. En. 6. lib. 8. c. 9. vetat inquirere, quid sit infinitum primum, postquam quod sit, inventum fuit, eò quòd Plato (teste eodem Plotin. En. 6. lib. 9. c. 4.) dixerit summum Numen neque scribi unquam, neque dici posse: quod etiam repetit Apul. de dog. Plat. Hermes, allegante Lactantio lib. 4. de verâ sapient. cap. 7. inquit: αἰτία δὲ τοῦ-του τοῦ αἰτίου ἡ τοῦ θείου ἀγαθοῦ βούλησις, ἣ θεὸν προήνεγκεν, οὗ τὸ ὄνομα οὐ δύναται ἀνθρωπίνῳ στόματι λαληθῆναι causſa autem hujus causſæ est divini boni voluntas, cujus nomen non potest humano ore dici. Et paulo post ad filium: ἔστι γάρ τις, ὦ τέκνον, ἀπόρρητος λόγος σοφίας ὅσιος περὶ τοῦ μόνου κυρίου, ὃν εἰπεῖν ὑπὲρ ἄνθρωπόν ἐστι. Est enim, fili, secretus quidam sermo sapientiæ factus de solo Domino, quem dicere supra hominem est. Et Simonides (referēte Cicerone lib. 1. de nat. Deor.) ab Hierone Syracusarum Tyranno: quid Deus sit: interrogatus: diem primùm; deinde biduum: demū quatriduum, ad deliberandum petit: tandem, quò acrius mentē intendat, eò minus se intelligere, palā fatetur. Cicero, licet non rarò de Deo optimè statuat: tamen summā suam ignorantiā & inscitiā hic confiteri cogitur: Nā, quod Lactantius etiā commemoravit, dixit Cicero;

Difficultas cognitionis divinæ.

Simonidis de Dei definitione responsio.

Lactantij.

Cicero; Faciliꝰ dicere possum, nescire me quid sint Dij, quàm, quid sint, intelligere. *Ac Plato alicubi de se scribit:* quid Deus nō sit, video, quid autē sit, non intelligo. Hermes *apud Cyril.* 1. cōt. Iulian. Deum, *inquit*, intelligere quidem difficile, eloqui autem impossibile, si cui etiam intelligere possibile. Incorporeum enim corpore significare impossibile, & perfectū imperfecto comprehendere non possibile, & sempiternum conferre cum momentaneo difficile. Nā hoc quidem semper est, illud autem prætergreditur: & hoc quidem verum est, illud sub apparentiâ adumbratur. &c. *Dionysius* cap. 1. de div. nom. *adhuc audacius videtur loqui:* Deus, *inquit*, essentias omnes vincit ac superat suâ, quæ termino caret, immensitate, & mentes, quæ mente superior est unitate & uno, quod cogitationem superat, in cogitationem nullam cadere, & bono, quod orationem vincit, nullâ oratione exprimi potest. Vnitas unitatis omnis effectrix, essentia essentiâ superior, & verbum, quod exprimi nequit, verbi, intelligentiæ nominisq; vacuitas, & privatio, quæ nullo modo est, quo ea, quæ sunt &c. *Tertullianus* lib. de Trin. *ait:* Nihil quicquam de Deo comprehendi potest, nisi quod sit incomprehensibilis. *Et Cyprian.* tract. 3. de simplicitate Prælatorū: Sic Deum dignè æstimamus, *inquit*, dū inæstimabilem dicimꝰ. Neq; enim *(ait idem alibi in Prologo)* definibilis est divinitas, sed verius, sinceriusq; remotio indicat negando quid nō sit, quàm asserēdo, quid sit.

Platonis.

Hermetis.

Dionysij.

Plato quoq; in Epiſtolâ ad Syracuſanos *docuit, divina myſteria verbis doceri non poſſe: at ſi quis diutiſſimè cũ divinis verſetur, ſimilemq; illis agat vitã, ſubitò tandem tanquam ab igne ſcintillante lumẽ veritatis effulgere. Et ob id* lib. 7. de Republ. *cùm Deum bonitatem ipſam appellaviſſet Plato, adjunxit, vix quidem eam percipi poſſe: Sed hâc ignorantiâ, nihil aut verè cognoſci, aut rectè agi vel publicè, vel privatim. Quod quidem ab Indis Philoſophis Socratem & Platonem didiciſſe Ariſtoxenus affirmat. Porphyrius quoque* in 2. de ſacrificijs: ſilentio, *inquit*, colendus eſt DEUS, quem eloqui non poſſumus. *Hinc (referente Plutarcho* de Iſide & Oſiride p. 354. c.) *quòd Sai erat Minervæ, quam eandem cum Iſide arbitrabatur, fanum, hoc modo inſcribebatur:* ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς, καὶ ὂν, καὶ ἐσόμενον. καὶ τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδείς πω θνητὸς ἀπεκάλυψεν. Ego ſum omne, quod exiſtit, eſt & erit, meumq; peplum nemo adhuc detexit. *Et ibidem dicit Plutarchus, apud Ægyptios Iovem vocatum fuiſſe* Ἀμοῦν, *idq; Græcos producto vocabulo* Ἄμμωνα *dicere. Manethos Sibennita eâ voce occultatum & occultationem ſignificari exiſtimat: Hecatæus autem Abderita hoc verbo invicem uti Ægyptios ait, cùm alter alterum vocat: Eſſe enim vocem invocativam, & cùm principem Deum eundem cum univerſo putent, utpote obſcurum & abſconditum, vocari ab ijs & orari Amûn dicentibus, ut prodat ſe ac conſpiciendum præbeat. Plutarch. ibid. Quod Homerus quoq; videtur innuere, qui* Iliad. β. *ſomniũ*

Agamemnoni missum, Iovis nuncium esse scribit. Quicquid enim de Iove naturaliter cognoscimus, somno simillimum est. Unde & Socratem in Cratylo inducit Plato dicentem, se Ideas somniare, quasi dicat, de divinis adumbratam tantum haberi cognitionem, qualis illa est, quæ per somnium habetur. De hac difficultate & obscuritate plura lege apud Dionys. de div. nom. & myst. Theol. Damasc. 1. fid. Orthod. c. 4. Cyril. 1. cont. Iulian. August. in lib. de cogn. veræ vitæ c. 3. Bernhardum in parvis sermon. serm. 11. p. 466. Anselm. in prof. c. 14. Apul. de dogm. Plat. Picũ de Ente & uno &c.

Origo huius difficultatis. *Difficultas autem hæc & obscuritas ex quatuor Dei attributis potissimùm fluit:* Ex spiritualitate sive immaterialitate: ex purissima simplicitate, ex infinitate, & æternitate.

1. Spiritualitas. Incorporeitas *enim & immaterialitas divinæ mentis nostræ aciem omninò exsuperat: & si intellectus noster non nisi per corporeos conceptus spiritualia & incorporea omnia intelligat: quanto minus intelliget summam illam spiritualitatem sine conceptibus corporeis. Quare autem intellectus immaterialia non per species suas, sed per conceptus corporeos intelligat & percipiat, dictum est in præcedente exercitatione theor. 6. nempe quia omnis nostra cognitio à sensibus externis oritur, qui sensile deferunt ad sensus internos, communẽ & phantasiam, quæ deniq; ipsi Intellectui illud offert, in quo & per quem mutatur in intelligibile. Quia itaq; immaterialia à sensibus non percipiuntur, neq; in phantasiâ repræsentantur: Ergo neq; per suas species in intellectu cõcipi possunt.*

possunt. Hæc quando applicantur ad DEVM, *manifesta erit prima hæc difficultas ex immaterialitate fluens. Cùm enim* DEVS *incorporeus cum corporibus nihil habeat commune univocè: ex conceptu incorporeo vix aliquid de essentiâ Dei intelligetur.* Inquis: *Ens, sic nonnulla alia, de Deo & creaturis dici.* Ita quidem est: *verùm quia id fit per maximam, & quasi per vim quandam, hæc ὄντως separatissima distinctissimaque contrahentē, analogiā; conceptus ille, à corporibus haustus, Deo modo eodem tribui nequit.*

Alter fons hujus obscuritatis est purissima in Deo simplicitas, *quam mens, res corporeas & reverâ divisas cognoscere assueta, nunquam rectè percipere potest. Nam, inquit mens, tribuimus Deo vitam, tribuimus virtutem: aliud est virtus: aliud vita: Per vitam enim non dicimur boni, sed per virtutem: & per virtutem non dicimur vivere, sed benè vivere & boni esse. Sic aliud est potentia, aliud sapientia, aliud bonitas, aliud æternitas, aliud infinitas, aliud omnipotentia, aliud misericordia.* Dicas, *ista omnia in Deo esse idem, & omnia esse essentialia, imò ipsam unicam* DEI *essentiam. Quod innuere videtur Aristoteles* lib. 2. Mag. Moral. c. 6. Dei virtus nulla est, *inquit*, præstantior siquidem omni virtute DEUS, ac non virtute probus: nam tum virtus sit melior DEO. *Et* 7. Eth. Nicomach. c. 1. *dicit*, Dei neq; virtutem neq; vitiū esse: *Et Averroës super hoc caput:* DEUS nō est bonus, quomodo *homo, inquit*: sed bonitas ejus supergreditur genus naturæ humanæ. 2. Simplicitas.

Verum isthæc omnia ad rem nihil. Si DEVS *non est bonus, ut homo, quæritur, quomodo bonus sit. Certè*

aliam

aliam bonitatem mens humana non intelligit, nisi forsan transcendentalem substituas, de quâ hic quæstio non est. Si porrò ista attributa in essentiâ divinâ sunt idem, quærit ratio, quomodo species disparatæ, quales ista videntur, idem esse poßint. Dicis ista attributa esse essentialia: quid autem est essentiale accidens? Dicas DEVM *justum: concretum dicis, substantiam nempe cum formâ: quo* DEVS *simplex negatur. Dicas* DEVM *justiciam ipsam; eo* DEVM *vel accidens facis & DEVM negas: vel das sine mente sonum. Nullam enim justitiam in prædicamento substantiæ intelligit vel percipit Intellectus. Et quomodo ratio & mens humana illa, quæ definitione diversa & distincta sunt, simplicißima Identitate Idem esse intelliget? Quomodo illa simpliciter simplicißima & identicâ definitione conjunget & describet ita, ut saltem in actionibus quædam diversitas concedatur, & essentia divina, quando agit, virtus ipsa dicatur; quando consultat, ipsa sapientia; quando decreta facit, eaq́ue justè exequitur, justitia? Videtur absoluta Dei immutabilitas nũquam defendi posse, si hoc concedatur. Nonne enim absoluta & infinita DEI potestas, quæ omnipotentia finitur, si alicubi sapientia existat; justicia si alicubi misericordia, benignitas, & beneficentia erga alios censeatur: Nonne, inquam, hæ virtutes pro objectis diversis diversas edent operationes, motusque, & mediis objectisque mutatis, actionem mutabunt suam, suspendent etiam motum, ne in infinitum feratur. Ex quibus difficultas altera, à simplicitate Dei purißima originem trahens, manifesta est.*

3. Infinitas. Tertia difficultas oritur ex infinitate. *Quomodo*

modo enim intellectus humanus comprehendet infinitum? cùm inter mensuram & mensuratum debeat esse proportio; inter finitum verò & infinitum infinita sit distantia. Quia igitur ratio mensuræ & mensurati, quæ maximè in intellectu & re intelligibili requiritur (cum Intellectus sese habeat ut mensuratum sive mensurabile, & res objecta ut mensura: intellectio enim est conformatio rei & intellectus lib. 3. de anim. t. 22.) in actu intelligendi humano non datur; nihil vel parum de essentiâ divinâ infinitâ intelligere posse videmur. Infinitum enim, quia ad finitum, proportionem non habet, illi conformari non potest. Deinde quicquid recipitur, recipitur non ad modum recepti, sed recipientis: Atqui intellectus est finitus: Ergo quando infinitum recipit, illud ad modum finiti coarctat. Tertiò probatur hoc authoritatibus Aristotelis qui 1. Phys. t. 35. lib. α. minor. c. 2. lib. 3. Rhet. ad Theod. c. 8. lib. 1. post. t. 148. Infinitum ignotum esse docet & Averroës in disp. 1. fol. 8. Anima, inquit, non potest imaginari id, quod non finitur in esse suo. &c.

Ultima difficultas fluit ex æternitate. Æternum finiemus infra, quod in nullius temporis fluxu sineque ullâ successus alicujus mensurâ, atque adeo sine omni principio, medio & fine est. Hic certè mens non otiosa, sed negotiosa est, & non tantùm essentiæ divinæ obscuritatem monstrat: verùm etiam, an DEUS sit, in dubium vocare posse sibi videtur. Si enim DEUS ab æterno, disputat; aut aliquid egit, aut quievit. In quiete æternâ ponere DEUM, absurdum ducit: quippe qui virtus infinita, virtutisq; 4. Æternitas.

omnis

omnis principium finiatur. Ergo DEVM aliquid egisse concludendum esse videtur. Qualis autem illa actio, & in quid directa? Dubitat & fluctuat hic mens, & quocunq; se vertit, verbo divino non suffulta, videtur capta, decepta. Si aliquid egit, aut egit in semetipsum, aut in aliud, à se divisum. In semetipsum forsan ab æterno egit DEVS. Verùm in quem finem, cùm sit simplicissimus & absolutè perfectus? finis autem hujus actionis æternæ, aut erit conservatio sui, aut beatitudo, aut voluptas, quartum cogitari non potest. Atqui actio illa ad conservationem sui à DEO non fuit instituta, siquidem eo ipso negatur absolutè perfectus: aliquid enim dandum est, à quo Numini perditio sit metuenda. Non ad beatitudinem; tum enim summa & absoluta felicitas numinis neganda: quippe quæ non perfecta, sed ex actione est haurienda. Ponas utrumque: nempe quòd ad conservationem sui, & ad beatitudinem consequendam & retinendam, defendendamq; actionem in sese derivaverit: duo in simplicissimo erunt concedenda: alterum quod patiatur, alterum quod agat. Absurdissimum hoc: simplicissimum enim, ut aliàs finitur DEVS, non erit simplicissimum. Vbi enim in eodem est principium activum & principium passivum, ibi unum ex duobus est. Agens enim & patiens idem non sunt. Quo omninò numen & infinitum & æternum negatur, atq; adeò omninò negatur. Vt enim infinitas à partium compositione prorsus abhorret: ita æternitas factam sui compositionem respuit. Vt etiam id, quod compositum est, ex partibus finitis est, atque

Quid DEVS egit ante mundi creationem.

atque adeò totum finitum: ita illud ipſum non primum, ſed à componente & priore eſt.

Inquis: forſan contemplando in ſe egit numen. Hoc quoq; ratiocinando vix obtinebitur. Illa enim contemplatio facta eſt vel conſultando, vel deliberando, vel decernendo, vel obſervando & inquirendo. Nullum de DEO dici poteſt: quippe qui infinitè ſapit, atq; abſolutè tàm ratione ſapientiæ, quàm ratione potentiæ, infinitus & perfectus finitur. Si verò deliberando, obſervando, inquirendo &c. ſaperet & decerneret; fieret omninò motu illo contemplationis & conſultationis ſapientior, atq; conſequenter ſapientiæ ratione perfectior. Vnde Numinis non perfectio, ſed imperfectio arguitur. Si autem abſolutè perfectum etiam ratione ſapientiæ eſt concedendum Numen, ut omnino eſt, quippe quod in ſe perfectum, abſolutâ & ſummâ felicitate fruitur, ſe ipſo exiſtens; non ſupervacaneam ſapientia hæc ſuſcipiet de ſe deliberationem. In divinis enim quò ſunt ſublimiora & perfectiora, eò minus abundant ſupervacaneis. Porrò ſi in aliud à ſe diverſum ab æterno egit; egit iterum vel operando vel contemplando. Si operando, aut ab æterno aliquid ex nihilo produxit: aut in aliud ſibi coæternum per ſe exiſtens egit. Hoc autem vel finitũ erit; vel infinitum. Finitum non. Finitum enim æternum eſſe nequit: nec infiniti æternas actiones & vim omnẽ ſuſtinere par eſt: neq; etiam finitum à ſeipſo eſſe poteſt. Infinitum non: duo enim infinita eſſe non poſſũt. Et ſi omninò in aliud infinitũ ab æterno egerit, aliquando fuit mutatũ: quo contradictio implicatur, & æternitas tollitur. Inſequitur enim prius & poſterius, quæ diſtinctiones temporis non æternitatis ſunt.

Si au-

Si autem ab æterno aliquid ex nihilo produxit; tum illud aut erit mundus, aut aliud quippiam. Non aliud: aliud enim non datur: Non mundus, quia mundum ab æterno esse certò demonstrari nequit: Mundus enim utrum sit æternus an non, problema topicum esse testatur Philosophus lib. 1. Top. c. 11. §.3. *Et pro negativâ firmißimæ rationes, ex naturâ petitæ, afferri possunt, ut infra videbimus. Si contemplando aliquid egit: illud fuit aut præsens, aut præteritum, aut futurum: aut æternum. Non æternum. Nam æterna, uti diximus, plura non dantur, neq; de æternis ulla potest instituì deliberatio: cùm æterna se uno habeant modo, & sint immutabilia. Non præsens: Esset enim æternum. Nam quod ab æterno infinitis æternisq; præsens est, æternum sit oportet. Si enim aliquando factum æterno, ab æterno non fuisset præsens. Neq; præteritum neq; futurum: tum enim non ab æterno; cùm distinctiones temporis in æternitatem non cadant: Si verò præteriti instituatur contemplatio, fluxus temporis statim se offert; si de futuro deliberatio, statim intelligitur mensura inter præteritum & futurum, aliquando subsecuturum. Maximam itaq; difficultatem & hic esse manifestum est.*

Deus secundum essentiam naturaliter cognosci potest.

Verùm ut ut se difficultates hæ habeant, negari tamen non potest, DEVM etiam secundùm essentiam & essentialia nonnulla idiomata cognosci naturaliter posse. Quandoquidem, ut inquit Bernhardus de vitâ solitariâ pag. 1047. K. *de nonnullis, quæ ad Deum spectant, fas est & poßibile homini, rationem habenti, aliquando cogitare & disquirere; sicut de dulcedine bonitatis, & de potentiâ virtutis & aliis hujusmodi.*

Et

Et Thomas 1.p.q.12 a.12.q.88.a.13. 3. cont. gent. c.38.2. Metaph. lect.1. *dicit, quiditates abstractorum ab intellectu materiæ immerso cognosci posse.* Fland. 2. Metaph. q.1.a.3.4.5. *accipit cognitionem quiditatis indifferenter: in quo maximè errat: & rectè impugnatur à Scoto in* pr. 2. Metaph. & 1. d.3. *Distinguendum enim est inter cognitionem quiditatis, & quiditativam.* Cognitionem quiditativam *dicunt cognitionem omnium prædicatorum essentialium ad ultimam usq; differentiam:* Cognitionem verò quiditatis vocant, *quando aliquod prædicatum essentiale & quiditativum cognoscitur, licet integra quiditas & definitio non cognoscatur. Rectè itaq; dicitur & concluditur, in immaterialibus, & quidem in Deo, quædam attributa essentialia & prædicata intelligi, licet tota essentia & quiditas non intelligatur: ista autem cognitio unde possibilis sit, mox videbimus.*

Cognitio quiditativa & quiditatis.

Totam essentiam non percipimus: per sensum enim & effectus nobis nota fieret, quod minimè conceditur. Adæquati enim illius effectus nobis sunt ignoti. Ergo *tota essentia nobis cognita non est.* Notum enim est *per se ex præcedentibus, quòd sensibus compositisq; nostris ratiocinationibus venandæ Dei cognitioni perfectæ nō sumus appositi, ne æqualem Deo vim, aut forsan majorem in nos transferamus intelligendi.* Quippe *qui essentiam Dei addiscit, adeoq; quid Dei intelligit: Deum in se, ut est in se, comprehendit. Vnde Deo videtur vel præstantior esse, vel omninò similis. Aut enim Deum termino includit; cùm ipse sit terminatus; aut virtutem infinitam sibi ascribit. cùm virtus finita infinitè*

Essentia Dei tota non potest percipi. 1.

finiti naturaliter non sit capax. Absurdum utrumque. Vt enim illo indeterminatum terminatur à terminato: ita hoc homo statuitur aut infinitus: operatio enim imitatur naturam, à quâ proficiscitur, aut agens censetur, quòd vires suas excedat. Si enim homo finitus comprehendat totam infinitæ essentiæ quiditatem, aget id, ad quod agendum potentiâ non trahitur.

2. *Hoc ut plenius demonstremus, ita argumentamur: cujus essentialia attributa omnia ad ultimam usque differentiam cognoscuntur, illud definitivè cognoscitur: Atqui Deus non definitur: Si enim definiretur, intelligeretur & videretur, uti est*: At non sapiens, non sanctus, non propheta videre illum, sicuti est, potest, aut potuit in corpore hoc mortali: poterit autem in immortali, *ut loquitur D. Bernhard. super cantica* Serm. 31. p. 661. F. *Et si omninò definiretur Deus, fierit id per Genus, & differentiam. Non per Genus: quippe, in quem non cadit genus: concedenda namque essentia erit in rebus creatis: quæ Deo quoque insit & essentialiter Deus finiatur: cùm quælibet essentiæ pars (ut ita loquar) sit tota essentia Dei; aut non insit essentialiter Deo, neque Deus finiatur. Vtroque modo Deus planè negatur:* priori; *etenim sic res creatæ secundùm essentiæ suæ partem Dij definiendæ: unde tot Dij, quot res creatæ; & nullus Deus:* posteriori: *si enim in essentia divina est aliquid essentialiter, quod Deus non est; Deus est compositus ex Deo & non Deo. Adde quòd cum supremis infima confundantur, atque adeò essentiale discrimen creatoris & creaturæ subvertatur. Hac motus*

Deus definiri nequit.

causa

causâ Philosophus, Deum in prædicamentis non numerat. Cur Aristoteles Deum in prædicamentis non ponit.

Atqui hoc impiè: Optimè sic sentis, Ramuncule, tuo sensu; sed malo præter tuum alieno. Quid enim de DEO cognoscimus, nisi quòd immensus & incomprehensibilis? Quid aliud hoc, quàm (ut loquar cum Scaligero) & esse cognoscamus & super esse? Quæramus ne igitur, quid sit definitivè? Quæres quidem tu: sed quis respondebit? Cùm sit omnia, & super omnia, & præter omnia. Ergo super omnem & præter omnem substantiam.

Ergone Deus negatur esse substantia? Non negatur substantia: sed negatur substantia, quæ in prædicamentis locatur, atq; adeò perfectè sub rationem & naturam genericam cadit. Est alioquin DEVS supersubstantialiter substantia: quippe, qui omnia supereminenter superat Entia, quæ ab ipso sunt. Quid autem hoc? genusnè Logicum; ut quidam somniant? Non Logicum, non Physicum, non Metaphysicum; sed hypermetaphysicum, hoc est, non genus. Terminus igitur (supersubstantialiter-substantia) hoc vult, quod à nobis dictum est, intelligere nos DEVM & esse, & esse super omne Esse. Ergo super omne esse prædicamentorum, super omne esse humanæ mentis, super omnem intellectum, super genus omne, & supremum & infimum. Quemadmodum id pluribus ex Patribus & Scholasticis in sequentibus demonstrabitur.

Neq; per differentiam describitur DEVS. Ea enim aut à formâ, aut ab accidentibus, iisq;, aut propriis, Differentia Dei nulla.

aut communibus, desumenda. Non à formâ: quia principio omni caret, adeoq; informatus non est, ut delirat Scribonius. Non ab accidentibus: Accidentia enim in Dei definitionem non assumentur, ne ex alio definiatur, qui maximè destitutus sit accidentibus; cùm sit purissimus actus: id autem quod accidentibus vestitum existit, non primum, non simpliciter idem; adeoq; non simplex, non infinitum est. Vnde rectè dixit Nazianzenus Orat. 2 de Theol. Quid Deus sit secundùm naturam & essentiam, nemo mortalium invenit nec inveniet. Et Augustinus tract. 20. in Iohann: ait: Deus est, quod ejusmodi est, cui comparari nihil potest, supra omne enim esse, quod dici potest: cui non alia est substantia, ut sit, & alia potestas, ut possit, sed consubstantiale illi est, quicquid ejus est, & quicquid est. Veteres enim de Deo duplicem tradiderunt sermonem: alium κατ᾽ ἀπόφασιν, per negationem: ut quando dicimus, Deum esse infinitum, incorporeum, invisibilem: alium κτ᾽ κατάφασιν, per affirmationem secundùm præeminentiam, ut quando eum justum, sapientem, bonum &c. dicimus. Dionys. de Cælest. Hier. c. 2. Thom. p. 1. q. 3. Cùm igitur divinum Numen nullâ vel ratione comprehendi, vel oratione explicari satis possit: idcirco non tantùm constans Theologorum omnium est sententia: potius quid non sit, quàm quid sit Deus, dici posse: Sed etiam saniores Philosophos majestas & κατάληψία divinæ essentiæ idem statuere jussit. Hinc Isidorus Clarius Orat. 5. tom. 1. p. 21. Plotini commendat vocem, quæ

exta

extat lib.8.Ennead.6.c.21. Acutè, *inquit*, certè & eruditè Platonicus vir Plotinus ait: tu quoties Deum dices vel cogitabis, reliqua auferes omnia: quæ cùm abstuleris, & ipsum solum reliqueris, ne quæras ultra quid addas, sed potius ne fortè adhuc reliqueris aliquid, quod inde cogitatione tuâ nondum satis abstuleris. *Cui concordat illud Rabbi Mosis Ægyptij, qui* cap.51. libri, quem dubitationum directorem inscribit, *quatuor dicit à Deo esse removenda: 1. Quod inducit corpus. 2. Quòd sit operatus & mutabilis. 3. Quod inducit privationem, ac si esset aliquid in eo in potentia & postea in actu. 4. Quod inducit aßimilationem ejus ad creata.*

Imperfecta igitur Dei cognitio ex naturâ hauritur: & tamen est aliqua, nempe nonnullorum attributorum, quemadmodum etiam id ex toto hoc discursu manifestum est. Quæritur autem cùm hic tanta sit obscuritas, quibus medijs in investigandis attributis divinis intellectus utatur. *Alcinous* cap.10. de doct. Platon *sequens Algazel* disp. 5. dub. 4. *triplicem modum Dei cognitionem qualitercunq; attingendi proponit.* Primùm, *inquit Alcinous*, est DEI intelligẽtia, secundùm omnium rerum ablationem: *quemadmodum etiam punctum secundùm ablationem cogitamus. Hâc methodo procedendum esse ad substantiam Dei intelligendam, docet Damascenus* lib.1. de fid. Orthod. c.4. *Vbi ita scribit:* De Deo, quid est secundùm substantiam, dicere impossibile, convenientiusq; de Deo longè est ἐκ τῶν πάντων ἀφαιρέσεως ποι-

Quæstio de medijs cognoscendi Deum.

εἰπεῖν τὸν λόγον, per omnium ablationem facere sermonem. Nam nihil eorum, quæ sunt, est: non ut non-ens, sed ut omnia Entia supereminens, & ὑπὲρ αὐτὸ δὲ τὸ εἶναι, ὤν, super ipsum esse, Ens. *Et mox*: Quæcunq; autem per Theologiam affirmativam de Deo dicimus, non natura ejus, sed ea, quæ sunt circa naturam, insinuant. Nam etsi bonum, si justum, si sapiens, si quidvis aliud dixeris: non naturam dicis Dei, sed ea, quæ circa naturam. Sunt etiam & nonnulla affirmativè de Deo dicta, vim superexcellentiæ negationis præ se ferentia: ut cùm tenebras de DEO dicimus, non tenebras intelligimus, sed quòd non lux: quippe qui superexcellit lucem, & lucem didicimus, quia non est tenebræ. *Hinc etiam penè ubiq; negativè Deum describit Damascenus, ut* cap. 8. *quando Deum dicit*: ἀρχὴν ἄναρχον, ἄκτιστον, ἀγέννητον, ἀνόλεθρόν τε καὶ ἀθάνατον, ἄπειρον, ἀπερίγραπτον, ἀπεριόριστον, ἀπειροδύνατον, ἀσύνθετον, ἀσώματον, ἄρρευστον, ἀπαθῆ, ἄτρεπτον, ἀναλλοίωτον, ἀόρατον. *Et mox* δύναμιν οὐδενὶ μέτρῳ γνωριζομένην, πάσης οὐσίας ἐξῃρημένην, ὡς ὑπερούσιον καὶ ὑπὲρ τὰ ὄντα οὖσαν ὑπέρθεον, ὑπεράγαθον, ὑπερπλήρη, πάσης ἀρχῆς καὶ τάξεως ὑπεριδρυμένην. *&c. Sequitur autem Damascenus Dionysium* cap. 2. de myst. Theol. *Qui etiam* lib. de divin. nomin. cap. 7. & 13. *ipsam perfectionem à*

Deo

Deo removet, quando dicit, quòd Deus sit Ens super-
perfectum secundùm omnium excessum.

Deindè inquit Alcinous (ut nempe ejus mentem ex- 2.
pressit Arnisæus), est intelligentia Dei secundùm pro-
portionis rationem hoc pacto: quam rationem Sol ha-
bet ad visum & ad ea, quæ videntur, non existens ipse
visus, præbens verò huic quidem ut videat: his autem
ut videantur: eandem profectò rationem habebit in-
tellectus primus ad intelligentiam, quæ animæ inest,
& ad illa, quæ intelliguntur. Neq; enim ipse idem
quod intelligentia est; porrigit tamen intelligendi vi-
gorem animæ quidem ut intelligat; intelligibilibus
autem, ut intelligantur, veritatem, quæ in illis est, illu-
minans. Ex hoc intelligendi modo Plotinus En. 6.
lib. 9. c. 3. in fine exactissimâ ratione de Deo loquen-
tē, inquit, neq; illud, neq; hoc dicere fas est: sed
nos velut extrinsecus circumvagantes affe-
ctiones sive passiones ibi nostras, utcūq; pos-
sumus, interpretari conamur. Vltimò est Dei 3.
intelligentia per eminentiam hujusmodi: Intelligens
quispiam pulchritudinem, quæ inest corporibus, ad a-
nimi pulchritudinem se conferens, deinde ad illam,
quæ in officijs ac legibus, tandem ad ipsum pulchritu-
dinis fontē, supra quem ipsum bonū amandum & ex-
petendum intelligit, velut splendorem in animam,
quæ illuc evolavit, subitò refulgentem. Hujusmo-
di verò lumen DEUM ipsum esse, ob excellentiam co-
gnoscit, illumq; imprimis sine magnitudine quanti-
tatu agnoscit. De hoc modo loquitur Clemens 5.
Strom. Fieri potest, ut quis in differendo de DEO
divinet, si aggrediatur absq; omnibus sensibus con-

tendere ad id, quod est unumquodq;, & ab iis, quæ sunt, non prius descendere, quàm transcendens ea, quæ id supereminent, id, quod est bonum, ipsa apprehenderit intelligentia, versans in ipso fine ejus, quod potest apprehendi intelligentiâ. Hisce tribus modis intellectus noster ad Dei cognitionem qualemcunq; naturaliter pervenit. Videatur etiam Augustinus lib. 8. de Civitat. Dei cap. 6. Lombard. lib. 1. distinct. 3. Damasc. lib. 1. de fid. Orthodox: cap. 3. Schröderus Opusc. theol. cap. 2.

Theorema III.

DEUS est Ens & essentia sive substantia.

Ordinis ratio.

Hactenus generaliter vidimus, quomodo & quousq; Deum naturaliter cognoscamus: consequens est, ut cognitionem illam pluribus in specie scrutemur.

Cognitio essentiæ Dei est cognitio attributorum divinorum.

Attributa Dei duplicia.

Attributa divina sunt, quæ Deo ad ipsius essentiam aliquo modo pro nostro captu nobis declarandam attribuuntur.

Attributa divina sunt vel συςατικὰ sive ἀνένεργητα, vel ἐνεργητικά. συςατικὰ attributa vocamus interna illa, quæ ad actionem externam non diriguntur.

Attributa hæc vel sunt universalia, vel singularia.

Vniversalia attributa συςατικὰ dicuntur, quæ etiam suo modo creaturis tribuuntur.

Singu-

Singularia sunt, quæ DEO propriè competunt, & nullæ creaturæ attribui possunt.

Divisionis hujus ratio in eo consistit. Metaphysicus enim dupliciter DEUM *considerat:* primùm *sub ratione Entis, quatenus & Ens est, & omnia, quæ Entis sunt, eiq; Metaphysicus attribuit, participat:* Deinde *sub* DEI *ratione, quatenus peculiarem habet naturam, à conceptu universalium distinctam. Hæc consideratio est attributorum singularium, item* ἐνεργειτικῶν *& operum divinorum. Illa est attributorum Universalium.* Duplex consideratio DEI Metaphysica.

Universalia attributa sunt, quibus Deus dicitur. 1. Ens sive essentia, & Unus sive unitas. 2. Verus sive veritas, & bonus sivè bonitas. *Ut autem Ens est fons omnium attributorum universalium; ita ante omnia sciendum est*, quod Deus ens sit, *seu includatur in subjecto Metaphysices. Si enim* DEUS *sub latitudine Entis non contineretur, reliquæ affectiones Entis, nempe* Unum, verum, bonum *&c. nullo modo ipsi attribuerentur.* Deum Ens esse *probavimus supra* lib. 1. Exercitatione tertia theor. 2. *& probari pluribus posset, nisi res satis esset manifesta. Nam quicquid est & subsistit, Ens est:* DEUS *est & subsistit:* Ergo *ens est:* DEUM *esse & subsistere probatur ex eo, quod moveat orbes, & sit primus motor. Quicquid enim movet orbes, id subsistit & est Ens: Non entis enim neq; affectiones, neq; operationes sunt: Atqui* DEUS *movet orbes: Ergo* DEUS *subsistit & est Ens. Item quicquid est extra nihil, id Ens est:* DEUS *est extra nihil: Ergo est Ens. Major probatur: quia* DEUS est Ens. 1. 2.

Ens & nihil sunt contradictoriè opposita. Unde iterum rectè infertur: Quantùm aliquid recedit à nihilo, tantùm accedit ad Ens: Atqui DEUS maximè recedit à nihilo: Ergo maximè, summè, & eminenter Ens est. Minor manifesta est ex illo, quòd DEUS ita sit extra nihil, ut non Entis ne umbram quidem in se contineat: cùm sit purißimus & simplicißimus actus sine ullâ omninò potentiâ.

Ens non univocè Deo & creaturis tribuitur.

Neq; tamen inficias ire possumus, maximam diversitatem esse inter Entitatem DEI, & rerum aliarum. Nam licet quidem & DEO, & rebus cæteris reverà Entitas competat: longè tamen modo eminentiore DEO, quàm creaturis. Ibi enim essentialiter est infinita, hic finita: ibi perfectißima, hic determinata: Nam (ut rectè argumentatur Thomas lib. 1. cont. gent. 32.) *quicunq; effectus non recipit formam secundùm speciem eandem, quâ agens agit; non habet ejus formæ nomen univocum: At creaturæ non recipiunt eandem Entis formalitatem à DEO, quæ in DEO est: Ergo nec Ens univocè DEO & creaturis attribui potest. Meritò igitur rejicitur opinio Scoti qui* 1. d. 3. q. 1. & alibi: *item illorum, qui hunc sequuntur, Anton.* And. 1. Metaph. q. 1. 4. Metaph. q. 1. *Trombetæ* ibidem *Maronis* q. 2. 3. 4. 5. *Ochami & Gabr.* 1. d. 2. q. 9. *& aliorum: qui univocum conceptum DEO & creaturis attribuebant. Contra hos legi possunt* Averroës 4. Met. t. 2. Epit. Metaph. tr. 1. & 2. Thom. 1. p. q. 13. a. 5. de pot. p. 7. a. 7. 1. cont. gent. c. 32. Cajet. De Ente & essetiâ. q. 3. Albert. 1 p. sum. q. 341. Capreol. 1. d. 2. q. 1. Javel. 4. Met. q. 1. Soncin. 4. Met. q. 1. Fons. c. 2. q. 1. Suarez disput. 28 s. 3.

Ens de Deo & aliis nec æquivocè dicitur.

Ergone Ens de DEO *& aliis rebus dicitur æquivoce?* Opinionem *hanc Rabbi Moſi tribuit Thomas* q. 7. de potent. Dei a. 8. *ſicut & Capreolus* 1. d. 2. *Aureolo. Eſſe autem hanc ſententiam falſam, per ſe manifeſtum eſt. Si enim* DEVS *eſt Ens æquivocè: Verum ens non eſt, adeoq; nihil poſſumus de* DEO *per noſtros conceptus aſſequi, neq; de eo enunciare, quòd ſit bonum, verum &c. Cùm æquivoca in propoſitione ſine ambiguitate eſſe nequeant, nec ſyllogiſmum ad aliquid concludendúm ingrediantur. Quia igitur Ens de* DEO *neq; univocè, neq; æquivocè dicitur: conſtat*

Sed analogicè.

quòd ſub eo analogicè contineatur; nempe ſecundùm analogiam attributionis. Fonſeca 4. Met. c. 2. q. 2. *Vbi autem eſt Ens, ibi etiam ſunt Entis affectiones: Quia igitur in* DEO *Ens eſt, affectiones quoq; Entis* DEO *attribuentur. Et quia affectiones ſequuntur naturam ſui ſubjecti, & Ens analogicè & modo eminentiſſimo in* DEO *reperitur, eiq; attribuitur, affectiones quoq; Entis modo planè eodem in* DEO *erunt. Repeti poſſet quæſtio in præcedentibus mota:* An DEUS ſit ſubſtantia? *ſubſtantiam* DEVM *eſſe affirmavimus, negando interim* DEVM *eſſe ſubſtantiam prædicamentalem, adeoq; ſub genere contineri.*

Deus non eſt ſubſtantia prædicamentalis ſub genere contenta.

Quam noſtram ſententiam rationibus longè graviſſimis comprobant Scholaſtici: Sic enim Thomas: 1. part. ſummæ Angelicæ quæſt. 3. artic. 4. & 5. Aliquid eſt in genere dupliciter, *inquit*: Primò ſimpliciter ac propriè, ut ſpecies & contenta ſub eis: Secundò reductivè, ut principia & privationes; quẽadmodũ punctus & unitas reducuntur ad prædicamentũ

Quan-

Quantitatis, tanquam principia: Cœcitas verò & omnis privatio reducitur ad genus sui habitus. Neutro autem modo DEUS est in genere. Quòd enim esse non possit alicujus generis species, tripliciter potest ostendi 1. quoniam species constituitur ex genere & differentiâ, semperq; id, à quo sumitur differentia, constituens speciem, habet se ad id, unde sumitur genus, sicut actus ad potentiam, quemadmodum rationale sumitur à natura intellectiva, animal à sensitiva, quæ se habet ad intellectivam, sicut potentia ad actum. In DEO autem nihil est potentionalitatis. 2. Quia cùm esse DEI sit ejus essentia; si DEUS esset in aliquo genere, oporteret, quòd Ens esset genus ipsius: genus namq; significat essentiam rei, cùm prædicetur in eo, quod quid. Philosophus verò 4. Metaphys. probat, quòd Ens non possit esse genus alicujus: omne siquidem genus habet differentias, quæ non participant essentiam generis: sed nulla valet differentia inveniri, quæ sit extra Ens, nec ejus naturam participet: cùm Ens sit de omnium intellectu: Non est ergò DEUS in genere. 3. Quoniam omnia, quæ sunt in genere uno, communicant in essentia generis, quòd prædicatur de eis, in eo, quod quid, & differunt secundùm esse: Non enim est idem ESSE hominis & ESSE equi, nec esse hominis hujus, & hominis illius; sicq; oportet, ut eorum, quæ sunt

Deus non est alicujus generis species.

1.

2.

3.

ſunt in genere, differat eſſe & quiditas, quæ in DEO ſunt idem. Idcirco non habet Genus, nec differentiam, nec definitionem: quia definitio ex genere ac differentiâ conſtat, nec ejus demonſtratio niſi per effectum. Demonſtrationis enim medium eſt definitio. At verò quòd DEUS non ſit in genere per reductionem, hinc patet: quòd principium, quando reducitur ad aliquod genus, non ſe extendit ultra genus illud, ſicut punctum non eſt principium, niſi quantitatis continuæ, & unitas quantitatis diſcretæ. DEUS autem eſt principium totius Eſſe: non ergò continetur in aliquo genere, ſicuti principium. Si autem objiciatur, quòd DEUS eſt menſura omnium ſubſtantiarum: Ergo eſt in genere ſubſtantiæ: reſpondendũ, quòd menſura proportionata eſt in eodem genere cum menſuratis per eam. Deus autem eſt ſuper excedens menſuram rerum: *Hæc Thomas in ſummâ. Audiatur etiam Magiſter ſententiarum*: Quod autem, *inquit*, in natura divinâ nulla ſit accidentium diverſitas, nullaq; penitus mutabilitas; ſed perfecta ſimplicitas, oſtendit Auguſtinus in lib. 5. de Trinitate c. 1. dicens: Intelligamus DEUM quantum poſſumus, ſine qualitate bonum, ſine quantitate magnum, ſine indigentiâ creatorem, ſine ſitu præſidentem, ſine habitu omnia continentem, ſine loco ubique totum, ſine tempore ſempiternum, ſine ullâ

Deus non eſt in genere reductivè.

Object.

Resp.

Lombardus.

sui mutatione mutabilia facientem, nihil patientem. Quisquis *DEUM* ita cogitat, et nondū potest omninò invenire, quid sit ipse, piè tamen caveat, quantum potest, aliquid de illo sentire, quod non sit. Ecce si subtiliter intendas, ex his atq; prædictis aperitur, *ILLA PRÆDICAMENTA ARTIS DIALECTICÆ DEI NATURÆ MINIMÈ* CONVENIRE, quæ nullis est subjecta accidentibus. *Unde (pergit Lombardus)* nec propriè dicitur substantia, ut Augustinus ostendit in lib. 7. de Trinit. c. 4. & 5. Sicut ab eo, quod est Esse, appellatur essentia: ita ab eo, quod est subsistere, substantiam dicimus: si tamen dignum est, ut DEUS dicatur subsistere. Hoc enim de his rebus rectè intelligitur, in quibus; ut subjectis, sunt ea, quæ in aliquo subjecto esse dicuntur: sicut in corpore color, aut forma. Corpus enim subsistit, & ideò substantia est. Res verò mutabiles neque simplices propriè dicuntur substantiæ. DEUS autem si subsistit, ut substantia propriè dici posit, inest in eo aliquid, tanquam in subjecto, & non est simplex. Nefas est autem dicere, ut subsistat DEUS & subsit bonitati suæ: atq; illa bonitas non substantia sit, vel potius essentia, neq; ipse DEUS sit bonitas sua; sed in illo sit, tanquam in subjecto. Unde manifestum est DEUM *ABUSIVE SUBSTANTIAM* *VOCARI*, ut nomine usitatiore intelligatur

tur essentia, quod verè ac propriè dicitur, ita ut fortasse solum DEUM dici oporteat essentiam. Est enim verè solus, quia incommunicabilis est. *Hæc Lombardus* lib. 1. dist. 8.

Videatur etiam Dionysius Carthusianus *in hanc distinctionem: Qui postquam inter alia recitasset conclusionem* Udalrici Argentinensis; *quam unà cum* Thomâ Aquinate, Alberto, Bonaventurâ, Ægidio Romano, *& aliis approbat, quoq; talis ibi legitur:* certum est, quòd DEO, qui est primus & simplicissimus actus, non competit esse genus, nec esse in genere, nec ESSE ejus determinatur, aut contrahitur ad gradum certum perfectionis per differentiam, cùm sit Ens illimitatum simpliciter, universaliterq; perfectum, ideo non est species, nec Individuum speciei; sed extra & supra omne, ac ordinem rerum per eminentiam infinitam: *Cùm, inquam, hanc conclusionem sive decisionem recitasset* Dionysius, *subijcit: Ista est doctrina* Avicennæ *&* Aliaseris, *aliorumq; antiquorum, imò* Augustini *in textu*, Boëtij, Damasceni, Anshelmi, & qui aliter utuntur nominibus generis, speciei, & differentiæ, ponendo ea in DEO, abusivè loquuntur, & prorsus impropriè & indoctè. *Est & hoc memorabile, quòd etiam apud* Dionysium *hunc legitur:* Postremò, *inquit*, constat ex habitis, quàm inconveniens & absurda sit quorundam opinio, dicentium, Dionys.

quòd

quòd Ens non solùm univocè de DEO & creaturis dicatur; sed item quòd DEVS sit in prædicamento, ac genere in tantùm, ut quidam dixisse legatur: quòd DEVS seu di-
" vina essentia, in quantum quiditas, non est
" dignior, quàm quiditas asini: quod auribus
" verè religiosis detestabiliter sonat, & honorificentiæ superdignissimi Dei contrariatur, de quo cum omni reverentia & timore loqui debemus, quemadmodum Alexander in suis observat ac loquitur libris. *Hæc ille. Quæ certè omnia & genus & definitionem DEI negant. Quicquid enim ut patet ex præcedentibus, subjicitur generi, duabus ad minimum constat Entitatibus. Nihil a. in Deo, quod Deus non sit* Bernh. in tract. de dilig. Deo, *adeò ut nec actus & potentiæ compositio ipsi competat: quod innuere Aristotelem* 3. Phys. text. 3. *quando aliquod Ens ponit actu solùm, putant Alexander & Themistius. Quæ etiam forent DEI species? Infinitus ipse; finita omnia; ipse Ens verum, reliqua Entis umbra: Nomen enim tetragrammaton propriissimè Deo competens ab ESSE deducitur. Zanchius* de Eloh. Cornerus in expos. symb. *Ipse enim* αὐτοφυὴς, αὐθυπόστατ☉, οὐσία ὑπερούσι☉. Damasc. cap. 4. Dialect. *Ideoq; via negationis ex creaturis ad Deum procedimus.* Dionys. de myst. Theol. c. 2. & de divin. nom. c. 7. *Idem etiam docuit Cyrill. Alexandr.* lib. 11. Thesaur. c. 1. *in Deo nempe non esse compositionem generis & differentiæ*: Videmus, *inquit*, substantialem differentiam in compositis

solùm

solùm inveniri: Deus autem simplicissimus est. *Anshelmus etiam* in Monolog. c. 26. *disertè ait*: Substantiam divinam nullo communi substantiarum tractatu includi. *Bernhardus* de vitâ solitariâ p. 1043. *in eandem sententiam inquit: Ipse est summa essentia, ex quâ omne esse proficiscitur, ipse est substantia non subjecta prædicamentis vocum, sed rerum omnium caussale principium.* Videatur Thomas. 1. part. summ. q. 3. art. 4. & 5. & 1. sentent. dist. 8. quæst. 4. art. 3. de potentia quæst. 7. a. 3. Athanasius Orat. contra Sabellij gregales. August. lib. 5. de Trinit. cap. 1. lib. 7. de Trinit. c. 4. & 5. in libris confession. Lombard. loco all. Dionys. de myst. Theol c. 2. de div. nom c. 7. Damasc. cap. 4. dial. Boët. lib. 1. de Trin. & unit. Dei ad Simmach. p. 1124. Albert. tr. 1. prædic. c. 7. Avicen 8. Metaphys. c. 4. Fons. 5. Metaph. c. 8. q. 1. s. 32. Tolet. in cap. 5. categ. de subst. q. 3. Scayn. lib. categ. sect. 2. pag. 83. Herv. 1. d. 8 q. 3. Averr. disp. 7. contra Algaz. Hunnius de Trinit pag. 43. 44. *Coronidis loco notetur elegantissimus Augustini locus, qui extat* lib. de cogn. veræ vitæ cap. 3. Sciendum, *inquit*, Deum nullis verbis propriè exprimi, nullâ cogitatione comprehendi: quo modo incomprehensibilis prædicaretur, si humanæ locutioni vel meditationi includeretur? Nunc autem patet, quàm sit admirabilis, cùm omnibus linguis sit indicibilis, omnibus cordibus sit incogitabilis. Dialectica namq; disserendi potens, potenter quoq; du-

bia definiens, cunctas scripturas evibrans & eviscerans, cunctam humanam sapientiam annihilans, cum in divinitatem intendit, tantæ majestatis luce repercussa, pavidum caput tremefacta reflectit, atq; in abdita humanæ sapientiæ fugiens delitescit, dissolutisq; syllogismorum nexibus stulta obmutescit. Nempe Nomine & verbo cuncta exprimuntur, quæ sub decem prædicamentis humano corde concipiuntur. Sed quod ex ijs nullum propriè Deo conveniat, manifestè ratio comprobat. Nam si dixeris, quod Deus substantia sit, quæ omnibus subsistere tribuat, & per quam res omnes esse habeant, mox universalia & individua, de quibus substantia prædicatur, genera & species, in quibus versatur, simul & novem accidentia, quæ ei necessariò inhærent, animo occurrunt: quæ cuncta liquent, quia minimè in Deum concurrunt.

Theorema IV.

Actus in Deo ita sincerè reperitur, ut omnem etiam excludat potentiam paſsivam.

Ordinis ratio. Intima Entis divisio est, quâ dividitur in Ens actu, & Ens potentiâ. Quia itaq; hactenus Ens in genere vidimus; sequitur nunc, ut in specie inquiramus, quomodo Deo Entis natura, an actu, an verò potentiâ competat. *Respondet nostrum Theorema:* actum in Deo ita sinc-

ita sincerè reperiri, ut omnem etiam excludat potentiam passivam. *Est enim Deus actus simplicissimus & purissimus, qui cum potentiâ passivâ simul stare nequit.* Nam *quod est in summo gradu intelligibilitatis, purus est actus: actus enim est, qui cognosci facit: Atqui Deus est supremus omnium intelligibilium: Ergo.* Deinde *ut Averroës habet* lib. 12. Metaphys. t. 37. *Cui admiscetur potentia, illud compositum sit, necesse est: Atqui Deus nullo modo est compositus: Ergo potentiam admixtam non habet.* Tertiò: *quicquid denotat imperfectionem, illud minimè Deo tribuendum est: Atqui Potentia passiva denotat imperfectionem: signat enim defectum & carentiam actus: Ergo potentia Deo non tribuenda est.* Vltimò: *quod mutabilitatem alicui rei affert, DEO non competit: quia Deus perfectissimus & immutabilis est: Atqui potentia affert rei, cui inest, mutabilitatem: quia potest perfici: Ergo Deo minimè competit.* "*Ergo Deus simplicissimus act9 est, nempe actus prim9:* "*secundus enim in Deum non cadit propter simplicissi-* "*mam ejus simplicitatẽ, quæ actum secũdum sive opera-* "*tionẽ ab essentiâ distinctã, non admittit. Est autem actus secundus duplex: immanens & transiens. Neuter in Deo est. Nullũ enim accidens inhæret essentiæ divinæ: Atqui actio & passio sunt accidentia: Ergo divinæ essentiæ nõ insunt. In specie verò actionẽ immanẽtem, quæ in subjectũ, à quo elicitur, recipi solet, in Deo non esse manifestũ est; quia illa ab actu essentiæ non distingvitur, ut docet* Aristot. lib. λ. Met. t. 51. *& ostendit Deum suam esse intellectionem, idemq; de voluntate, & reliquis actionibus relinquit judicandum. Argu-*

Deus purus actus.

Actus secundus duplex.

mentum verò apud Aristotelem *hoc vult: si intellectio Dei non est ejus essentia; Deus erit in potentia, adeoq; imperfectus, & recipiet in se accidens, sive, ut* Thomas *loquitur, formam à se distinctam; quod fieri nequit.* 1.p.q.14.a.4. *Sed de intellectu Dei infra pluribus agetur.*

Porrò præter actum secundum ab actu primo distinguitur etiam in creaturis actus existentiæ. Verùm in Deo actus essentiæ & existentiæ planè idem sunt, uti monstravimus supra lib.1.Exercit.9. theor. ult. *Quomodo enim summa simplicitas, summa puritas, summa actualitas, & infinitas, duarum rerum in Deo admittet distinctionem? quæ et si omnino daretur, à nobis neq; agnosci, neq; intelligi possit; quemadmodum eam in spiritibus finitis & creatis vix assequimur.*

Deus est immutabilis.

Quia itaq; Deus est expers omnis potentiæ passivæ, quæ caussa mutabilitatis in rebus existit; sequitur, quòd sit immutabilis.

Potentia activa in Deum cadit.

Potentiæ porrò passivæ opponitur activa, sive potentia agendi: utq; illa imperfectio & in DEUM *non cadit, sic hæc perfectio est, & in* DEUM *cadit: est enim ipse actus. Quam nostram sententiam etiam tuetur* Thomas 1.p.q.25.a.1. *& dat hanc rationem: secundùm quod est aliquid actu & perfectum, secundùm hoc est principium activum alicujus: Atqui Deus per potentiam activam est actu, & perfectum: Ergo per illam etiam est principium alicujus activum; & per consequens potentia activa datur in Deo. Item omnis perfectio simpliciter in Deo est ponenda: Atqui potentia agendi est perfectio simpliciter: Ergo in Deo est ponenda. Quod ex Philosophi demonstratione*

constat,

constat, nempe qui D E V M *demonstrat esse primum motorem, & motus primam caussam efficientem: quod certè de Deo dici nequit, nisi cogitetur habere agendi potentiam, quæ tamen cum essentiâ (ut reliqua Dei attributa) unum idemq; sit. Est igitur Deus potens, imò omnipotens; quia potentia sequitur essentiæ rationem: Atqui essentia est infinita: Ergo & potentia. Infinita autem potentia est omnipotentia, & infinitè potens est omnipotens. Verùm de his duobus Dei attributis* immutabilitate & omnipotentia *infra agetur.*

Theorema. V.

In Deo caussatum nihil est; sed ipse potius est prima omnium rerum caussa.

Porrò quia ex naturâ actus & potentiæ Ordo. fluit primùm caussæ & caussati: deinde necessarij & contingentis θεωρία: videndum est, quid etiam hoc loco rectè Deo tribui possit. *Duo habet theorema* 1. Caussatum nihil esse Duo notanda. in Deo. 2. Ipsum potius primam rerum omnium caussam esse. *Prius quod attinet, manife-* 1. *stum est ex ijs, quæ hactenus multis & varijs modis disputata sunt. Totus enim à nullo est; quia simpliciter primus est. Quod simpliciter primum est, id simplicissimum est & nullo modo compositum: Ergo neq; secundùm partem (quippe quæ in* D E O *non datur) caussatus dici potest: alias enim penderet in suo esse ab alio, nempe haberet esse distinctum ab illo & partici-*

cipatum, seu aliquo modo fluens ab esse illius. Hic enim modus dependentiæ in omnibus invenitur caussis & caussatis. Quid inde? Deus negaretur & simplicissimus, & primus, & æternus. Esset enim à priore: ergo non primus: non esset simplex: quod enim ab alio dependet, compositum esse, si non ex materiâ & formâ, certè, ex esse & essentiâ, demonstratum est in præcedentibus.

Objectio.

Inquis: Christiana Ecclesia concedit tres personas in essentiâ divinâ, posterioresq; productas statuit. Nam filius per generationem est à patre: Spiritus sanctus per processionem à patre & filio: Ergo videtur filius pendere à patre, & Spiritus sanctus à patre & filio.

Responsio.

Sed respondetur, hoc minimè sequi, propterea quòd sit infinita distinctio inter generationem filij Dei, & generationem naturalem, sive rerum naturalium. Nam in naturalibus esse Generati, aliud est ab esse generantis, utpote, quod in caussarum & effectorum naturâ semper est necessarium: Quandoquidem Caussati esse semper dependere debet ab esse Caussæ; hujusq; sese habet ut communicans, & donans, illius verò ut communicatum & datum. Quemadmodum igitur donans & datum, sive donum, non sunt idem: ita etiam communicans, & id, quod communicatur, item caussa & caussatum idem esse nequeunt. In personis verò divinis hoc ita non contingit. Illud namq; esse, quod per se primò per generationem & processionem communicatur, non est esse aliud ab ipso esse personæ generantis, vel à quâ fit processio: sed illud ipsum, quod est in persona generãte, id etiam

est in

eſt in perſonâ generatâ & procedente, & quidem numero & ſimpliciter idem, non ſpecie: ut ita quidem una perſona procedat ab aliâ, ſed tamen ſine dependentiâ unius eſſe ab alterius eſſe, cum recipiat idem eſſe numero, quod eſt in perſonâ producente. Quare hîc cauſſæ & cauſſati ratio eſſe nequit.

Alia instantia. Solut.

Objicis, relationes ipſas diſtinctas eſſe, habereq; proprium eſſe diſtinctum relativum. Nihil obſtare videtur: Non enim eſſe relativum, quatenus tale; ſed eſſe abſolutum & eſſentiale per ſe primò communicatur per illas productiones. Nam Deus de Deo procedit, & pater generando filium primariò ipſi ſuam communicat naturam: relatio verò requiritur, tanquam proprietas neceſſaria ad conſtituendam diſtinctam perſonam. Ratio igitur productionis ex formali eſſe, per ſe primò communicato, principaliter penſitanda eſt. Atq; hinc generatio Chriſti, quatenus homo eſt, propter verum eſſe humanæ naturæ, verè fuit humana; etiamſi perſonalitas alterius fuerit rationis. Quia igitur in generatione & proceſſione divinâ illud eſſe, quod per ſe primò communicatur, non manat ab alio eſſe; ſed eſt ipſum & idem numero eſſe communicantis; ideoq; neq; dependens, neq; cauſſatum; ſed communicatum tantùm à perſonâ producente; ſequitur, quòd generatio illa vel proceſſio neq; ſit effectio neq; cauſſatio, ſed longè ſuperioris rationis. Imo in divinis ipſum eſſe relativum ita comparatum eſt, ut includat totum eſſe divinum eſſentialiter.

ter, quod certè essentialiter independens: quare & ipsum Esse *relativum independens dici potest. Adde quòd etiam in finitis & creatis impossibile sit unam relationem, quatenus talis est, influere alteram, quoniam una non est caussa vel principium alterius; sed tantum necessariam inter se habent simultatem sive concomitantiam. In divinis quidem dicitur unum relativum procedere ab alio, ita tamen, ne illa precessio sit contra relatorum naturam, hoc est, ne sit per dependentiam & caussationem.* „ *Non enim secunda* „ *persona est à prima per influxum diversi esse essentia-* „ *lis, quod per se primò per talem productionem commu-* „ *nicetur.*

Deum porrò primam omnium rerum caussam esse, in sequentibus, quando de omnium rerum productione & creatione agetur, pluribus demonstrabitur: breviter duntaxat hoc loco notetur id de duplici caussarum genere: efficientis nimirum, & finalis, intelligendum esse. Forma enim propriè non est: Ergo multo minus materia. Tandem efficientia Dei potissimum in tribus consistit: creando, conservando, & cooperando. *De quibus etiam infra.*

Theorema VI.

Deus est ens absolutè necessarium à se & ex se.

VLtimò Ens dividitur in necessarium & contingens. *Vt autem Deus tantùm caussa dici potest, & nullo modo caussatum: ita etiam nullo modo contingentia, sed necessitas Deo competit: cùm contin-*

gentia

sentia semper involuat potentiam ad non esse : quod simplicissima & infinita DEI *actualitas abhorret.* Vide Avicenna 2. Metaph. c. 7. 2. Metaph. c. 2. & 3. *Deum solum dicit Ens necessarium : &* Scotus in Rep. dist. 40. q. 1. & 1. d. 8. q. 4. *absolute, inquit, necessarium præter* DEVM *nihil est. Rationem hujus habet* Suarez disp. 29. s. 3. *quia, inquit, quiditas* DEI *est, quòd sit Ens necessarium & à se. Non quidem propterea cum* Avicennâ *negamus necessitatem in rebus creatis : sed omninò cum* Averroë 12. Meta. *illam inferioribus etiam attribuimus. Anima enim hominis, angeli, cœlum, tametsi quidem potentiam obedientialem habeant ad potentiam activam infinitam externam, quâ contra naturam possunt destrui ; non tamen habent principia in suâ naturâ ad esse & non esse, ex quibus propriè contingentia fluit :*

Infers : *quicquid habet caussam non est necessarium : Atqui res creatæ habent caussam :* Ergo. *Ita argumentabatur ex sententiâ antiquorum Philosophorum* Algazel : *Verùm majorem negat* Aristoteles, *& ob eandem caussam & opinionẽ reprehendit* Democritum lib. 8. Phys. t. 1. *Ergonè in eodem sunt necessitatis gradu* DEVS *& Creaturæ? Nunquam id affirmabimus. Distinguendum enim est inter necessarium, & absolutè necessarium : Quasdam quidem res inferiores necessarias esse, concedimus : solum interim* DEVM *absolutè necessarium agnoscimus. Deinde supra* lib. 1. exercitatione 5. th. 6. *divisimus necessarium in dependens, & in dependens. Quædam quidem res sunt necessariæ, sed dependenter :* Necessarij divisio.

denter: solus autem DEUS est necessarius independenter.

Quæstio. *Ad actiones Dei quod attinet, quæstio est, annè* illæ contingentiam admittant? *Divisa fuit contingentia supra* lib. 1. exerc. 5. theor. 11. *in intrinsecam & extrinsecam: & negatum fuit extrinsecam contingentiam in actiones divinas cadere posse. Infinitam enim potentiam quid impediet? Intrinseca verò contingentia fuit concessa propter originem & fontem, ex quo ejusmodi actiones proficiscuntur, nempe propter liberam Dei voluntatem. Omnia enim, quæ facit Dominus, liberè efficit, à nullo impulsus aut coactus. De libertate hâc & necessitate Dei in agendo infra prolixius agetur. Interim videatur* Averroës lib. 2. Metaph. com. 4. lib. 5. cor. com. 6. lib. 12. cor. com. 44. de subst. orb. c. 2. Thomas de pot. q. 6. art. 3. Anton. Andr. 5. Metaph. q. 4. ad 3. Soncin. 5. Metaph. q. 10. lib. 12. cor. q. 70. Fonseca 5. Met. c. 5. q. 2. Atq; hactenus de Entitate DEI; sequitur Unitas.

Contingentiæ divisio.

Theorema VII.

DEUS est Unus.

DEUM Ens esse vidimus; sequuntur nunc attributa Entis; quorum primum est Unum. Quæritur itaq; an Deus sit unus? *Affirmativè respondet recta ratio, & sumitur* prima *hujus confirmatio ex præcedentibus. Deus est summum Ens:*

Deum esse unum.

1. *Ergo est summè Unus. Nam Unum est passio Entis. Quò igitur aliquid magis Ens est, eò etiam magis unum est.*

2. Deinde *quò quid perfectius habet esse, eò*

longius

longius abest à non esse: & per consequens à divisione, quæ est via ad non esse: Atqui Deus perfectissimum & absolutum habet Esse, ut in præcedentibus sæpe fuit demonstratum: Ergo longissimè abest à non esse, & divisione: Et per consequens Deus est unus non specie; sed simplicissimâ & numericâ unitate: quippe quæ sola maximè unitas est: non enim ulterius est divisibilis. Porrò Deus est suum esse: Deus enim caret omni compositione, ut liquet ex superioribus. Ergo idem in Deo est esse & essentia: Ergo natura Dei non est multiplicabilis vel divisibilis in multa individua. Proprium enim esse Unius nullo modo potest dividi, ut pluribus conveniat: verùm esse hujus nostri DEI est ipsa essentia DEI: Ergo neque essentia DEI ullo modo dividi potest in plures. 3.

Dices, inquit Bellarminus lib. 1. de Christo cap. 3. argumento hoc tantùm probari, non posse essentiam hujus Dei multiplicari, non autem essentiam Dei in communi. Pro quo nota, esse sive existentiam non esse aliquid abstrahibile ab inferioribus, ut est natura, nec esse aliquid contrahibile per differentias, aut contrahens instar differentiæ: sed esse ipsam actualitatem omnium, quæ sunt in re. Ex quo fit, ut in creaturis, in quibus non est omninò idem esse & essentia, possit multiplicari unum sine altero: potest enim abstrahi à singularibus natura communis, remanente unicuique singulari suâ existentiâ. At in DEO, ubi est idem esse & essentia omnino, sicut est proprium hujus DEI esse hunc DEUM, ita est proprium esse Deum, nec potest abstrahi natura communis. Proinde præsup-

Objectio Bellarmini.

Resp.

præsuppositâ definitione nominis DEI, *quam probat* Ocham. 1. quodl. q. 1. Gabr. 1. d. 2. q. 10. a. 1. *quod omnibus aliis est perfectius, & quo nihil est perfectius; quamq́ agnoscit* Cicero lib. 2. de nat. Deorum, *ubi inquit*, nihil DEO præstantius esse: *quod antea etiam docuerat Philosophus* lib. 1. de Cælo t. 100. *præsuppositâ, inquam, definitione, sive quid nominis* DEI, *ita cum* Avicenna, Algazel *&* Averroë ex disp. 5. dub. 1. & 2. *arguimus: Si duo sunt Dij aut differunt, aut non differunt: si nihil omninò differunt, non sunt duo Dij; sed unus. Quo modo etiam* Damascenus *infert* lib. 1. de fid. Orthod. c. 5. *Si verò differunt, aut in uno tertio univoco aut analogo conveniunt, aut omninò non conveniunt: si conveniunt in tertio univoco, conveniunt vel ut species in genere, Vel ut individua in specie.*

Non esse duos Deos sed unum numero. 1.

Quod non conveniant in uno tertio univoco & in alio differant, probat Avicenna *hoc generali Syllogismo: Vbicunq́ est differentia & convenientia, ibi est compositio ex genere & differentiâ: Atqui* DEI *simplicitas non admittit compositionem; Ergo &c.* Deinde *in* DEO *non dari convenientiam & differentiam, probatur ex infinitate & purâ actualitate essentiæ divinæ. Infinitum enim est id, extra quod nihil relinquitur. Si verò* DEVS *ex genere & differentiâ, aut specie & differentiis individualibus componeretur; tum infinitus secundùm se totum non esset. Genus enim imperfectionem denotat, extra quam semper aliquid à specie addendum relinquitur: quâ ratione & Individuum addit ultimam actualitatem speciei. Quare si* DEVS *habet genus & differentiam,*

Deum non esse ex genere & differentia.

rentiam, constat ex determinatis & limitatis perfectionibus, quod fieri nequit, quandoquidem ex illis nunquam fit infinitum per se. Si verò duo fingantur Dij, ita ut in genere conveniant, & specie discrepent: unus habebit differentiam, quâ destituetur alter necessariò: adeoq; neuter erit perfectissimus, neuter DEVS. Vnusquisq; enim plus includet, quàm alter. Videatur Averroës 7. disp. & Thom. 1. p. q. 11. a. 3.

Ex purâ actualitate probatur idem hoc modo: quicquid conflatum est ex superiore & inferiore, illud non habet puram actualitatem: Atqui DEVS habet puram actualitatem, sive est purus actus: Ergo non est conflatus ex superiore & inferiore. Major constat hac ratione: quicquid enim conflatum est ex superiore & inferiore; conflatum est ex contrahente, quod habet rationem actus, potentiam perficientis; & contrahibili, quod habet rationem potentiæ: Ergo conflatum ex superiore & inferiore non est purus actus. Minor patet: Dei enim simplex actus omnem omninò potentiam respuit. In specie ita arguimus: Quicquid habet rationem materiæ, id DEO non competit: Atqui genus habet rationem materiæ: Ergo. Minor constat: quælibet enim species novam addit perfectionem: Eodem modo à DEO removeri potest compositio ex specie & individualibus differentiis. Negatur enim & illa infinita Dei perfectio. Differentiæ enim individuantes ultimum actum & summam perfectionem superaddunt essentiæ sive speciei. Deus autem actus ipse est, & quidem purissimus & simplicissimus, adeo ut nullam aliunde perfectionem desideret.

Deus non est ex specie & individuo. 1.

2. *sideret. Imò Conjunctio speciei & differentiarum individualium requirit & præsupponit caussam: Verùm ante* DEUM, *quia simpliciter primus est, ne cogitari quidem potest caussa: Ergo nullo modo concedi potest,* DEUM *compositum esse ex specie & individualibus differentiis.*

Tandem non convenirent Dij in conceptu uno analogo: quia analoga differunt secundùm prius & posterius; & Deus prius de Uno, posterius sive secundariò de altero diceretur: ut substantia & accidens conveniunt in uno conceptu analogo, nempe in Ente: Ens enim prius de substantiâ, posterius & secundariò de accidente dicitur. Substantia enim πρώτως *est ens: accidens verò* δευτέρως, *& quidem propter*
,, *substantiam Ens existit: Sic in conceptu analogo con-*
,, *veniunt manducatio oralis panis, & manducatio ora-*
,, *lis corporis Christi in sacrâ Domini cœnâ. Nam man-*
,, *ducatio panis oralis primariò manducatio est: est*
,, *enim Physica: manducatio verò oralis corporis Chri-*
,, *sti secundariò manducatio, & propter illam Physicam*
,, *(quia illud sacramentaliter cum pane unitum est)*
mandacatio dicitur, & est. Quod observare & scrutari accuratius debent illi, qui ex orali manducatione corporis Christi, quam in nostris Ecclesiis & scholis defendimus, necessariò Physicam inferri clamant. Distinguant illi inter genus Univocum & analogum. Manducationes hasce convenire genere univoco negamus: sequeretur enim inde absurdum, quod illi inferunt ἀσυλλογίστως: *convenire verò genere analogo affirmamus: quandoquidem illo excogitatum absurdum minimè infertur. Nam licet quidem ipsum esse*

De manducatione orali.

generis

generis analogi ponatur in omnibus analogatis sive speciebus; differt tamen modus inessendi. Nam aliter inest Ens substantiæ: aliter accidenti: substantiæ per se, accidenti per aliud: Sic quando dicitur manducatio oralis genus analogum manducationis panis & corporis; Eo non negatur manducatio corporis; sed revera asseritur, in sacrâ Domini cœna sumi ore corpus Christi, vel fieri manducationem oralem corporis Christi, cum hac tamẽ limitatione, et distinctione: aliũ esse modũ manducationis panis, & iterũ aliũ corporis Christi. Ille .n. est Physicus & naturalis; hic mysticus & sacramẽtalis: illaq; mãducatio est primo talis: hæc verò mediate sacramẽtali unione propter illã. Sed hæc obiter.

Vt autem ad rem revertamur, si Dei nomen esset analogum & de uno diceretur prius, de altero posterius & secundariò; posterior non esset verus Deus: quia alter eo esset perfectior & superior. Et licet quidem jam dictum sit, genus analogum in suis analogatis esse secundùm essentiam idem, & modum duntaxat distinctum dari: Illud tamen inferri hic non potest; cum omne id, quod DEVS est, debeat esse supremum & perfectißimum & nullus omnino in eo gradus detur. Vera itaq; est illa regula in illis rebus, in quibus analogũ genus esse potest; nimirum quæ à se mutuo dependẽt, & quibus id secundùm prius & posterius accõmodari & attribui potest. Cũ itaq; notioni Dei hoc non cõpetat; tũ quia illi contradictoriè opponitur dependere ab alio; cùm eo negetur Deus; tum quia prius & posterius illi attribui nequit: Cùm nihil prius perfectiusq; Deo cogitari poßit: manifestum est, Deos plures nõ convenire in analogo quodã conceptu.

Videa-

Videatur Averroës disp. dub. 2. & in ejus explicatione. *Augustinus Niphus.*

II. *Porrò ex definitione nominis Dei ita argumentamur: Deus est perfectißimus & præstantißimus: Ergo & altißimus:* Ergo *& Vnus tantùm: si enim plures essent, vel essent æquè alti; & sic nullus, qui supra omnes: Vel unus altior cæteris; & sic ille solus esset Vnus verus Deus. Imò si plures Dÿ, vel sunt sine principio omnes; vel unus ab alio: Prius plane* ἀδύνατον *est: Darentur enim multa principia prima disparata: Ergo (quia unus Vnum, alius aliud posset velle) & disperata consilia, actiones &c. quod absurdum.* Vide lib. 1. Exerc. 11. theoremate 3. *Si unus est ab alio: est vel creatione, vel generatione. Si prius conceditur, concedendum utiq; est, quòd secundus non sit Deus, sed creatura. Atque hinc* Ariani *&* Tritheistæ *Filium creatum esse non audent dicere: cùm eum velint Deum esse. Si posterius statuitur, tum unus Deus alteri dedit generando vel totam essentiam, vel partem: si partem, Deus habet partem extra partem, & est partibilis: si totam essentiam & totum esse Dei communicavit; generati Dÿ habent eandem Deitatem numero cum generante. Ergo Deus generans & generatus idem Deus erit, quod quidem Christianus (si de Deo relatè sumpto intelligatur) concedere posset: Philosophus verò sacrarum literarum ignarus minimè.*

III. *Ex Scoto ita etiã argumentari possumus: Deus potest intelligere omne intelligibile: hoc enim ad Dei infinitatem pertinet. Ponamus igitur duos esse Deos, quorum Vnus intelligat alterum: qui eum aut per suam,*

aut per illius essentiam intelliget: si per suam, intellectus virtualiter includetur in essentia intelligentis, nec erit Deus. Nam quod includitur virtualiter, id includente imperfectius est. Si verò per essentiam intellecti, id, quod intelligit, Deus non est. In cognitione namq; sua ab alio dependet, quod contra Dei naturam pugnat: Deus enim in nulla re ab alio dependet, cùm absolutè perfectius sit.

Ex infinitate quoq; firmissimè concluditur Dei unitas. Esse autem Dei infinitum patet quoq; ex definitione nominis. Quod enim perfectissimum est, illud etiam infinitum sit, oportet: omne enim finitum suo modo imperfectum est. Videt autem ratio humana plura uno infinita non dari: si enim plura infinita, plura quoq; æterna, plura prima: atq; ita nihil primum; nihil æternum, nihil infinitum: quemadmodum id pluribus demonstravimus supra lib. 1. Exerc. 11. theor 3. IV.

Aristoteles 8. Phys. text. 48. & 49. duo habet argumenta, quibus Deum unum esse probat. Quia verò, dicente Averroë 8. Phys. t. 48. Consideratio, an Deus sit unus, Metaphysica est, Aristoteles, sicut ipse testatur, contentus esse voluit argumentis probabilibus. Primum est: Natura non abundat supervacaneis: Atqui ad motum æternum sufficit unus motor: Ergo natura non admittit plures. Alterum argumentum ita concludit: Regularitas & uniformitas unius motus, manifestò arguit unitatem motoris: Atqui regularitas & uniformitas motus datur in cælo: Ergo est unus primus motor. Quia enim motus arguat motorem distinctum, nec in motoribus in infini-

V. Aristoteles probat unum Deum.

Argumentum. 1. 2.

Vnum esse primum motorem.

tum progredi liceat: quiescit nostra ratio in primo isto Ente, quod supremũ moveat orbem. Si enim alius motor fingatur, superior iterumq; alius superior; certum tamen est omnes illos motores frustrà effingi. Si enim dantur duo motores, alteruter frustra erit: alter enim, qui non movet, erit in potentiâ, dum quiescit: Quòd autem in potentia est nempe tali, quæ non semper conjunctum habet actum, id potest non esse. Arist. lib. θ. Metaph. t. 17. *Ergo cælum potest non moveri naturaliter: quod est contra rectam rationem & Philosophum nostrum, ibidem.* Deindè, *si duo dantur motores, aut ambo erunt æquè perfecti, aut non: si æquè perfecti, unus abundat, & movere nequit, quia alterius perfectio ad motum sufficit: si alius alio perfectior, is erit primus motor, qui perfectißimus est, adeoq; Deus: & reliquus huic subordinabitur, neq; Deus erit.* Suarez disp. 29. s. 1. *Aristotelis rationem impugnat.* Hinc, *inquit*, non concluditur unitas motoris primi: cùm fingere liceat duos motores &c.

Explicatio loci Aristotelici.

Sed Suarez *non intelligit mentem & vim Argumenti* Aristotelis, *quando ex unitate & continuitate regulari motus unitatem motoris satis luculenter concludit: si enim duo dari possunt motores; possunt etiam*
" *dari infiniti: quod enim ex suâ naturâ multiplicari*
" *potest in pluribus ejusdem rationis; illud suæ multipli-*
" *cationis non habet certum ac præscriptum terminum,*
" *sed in infinitum potest multiplicari: Quâ ferè ratione argumentatur Philosophus* lib. 1. de an. t. 70. *si duo puncta possunt esse in uno loco; non repugnat infinita esse: In divinis verò esse & posse non differunt, ut* tertio Phys. t. 32. *testatur Philosophus, &* Iandunus latißi-

latissimè explicat supra illum librum q.10. Quocirca si Deitas potest multiplicari in infinitum; eo ipso, quo potest, statim multiplicatur; cùm esse & posse, actus & potentia in divinis non differant; sed simpliciter sint idem; purus enim actus est: Ergo qui ponit duos vel plures Deos, cogitur ponere infinitos: quod absurdissimum. Nam quò plures finguntur Dij, eò statuuntur imperfectiores & impotentiores. Ergo si infiniti sunt Dij, erunt imperfectissimi & impotentissimi. Duos non esse Deos. *Porrò Aristoteles* lib. λ. Metaph. text. ult. *in hunc quoque modum argumentatur: Quod optimum est, tribuendum est Deo, ut dicitur* lib. 8. Phys. text. 41. & lib. 1. de cælo text. 100. *Verùm melius est unum esse Deum, quàm plures: Quod probatur. 1. Omnia enim quæ inveniuntur in toto hoc universo, sunt ordinata ad invicem, dum quædam deserviunt quibusdam, ut experientia satis superque testatur: Quæ autem diversa sunt, unum ordinem non constituerent, nisi ab aliquo uno ordinarentur: & quia melius est multa reduci in unum ordinem per unum ordinantem, quàm per multos, quia per se unius unum est caussa, cùm multa unius non sint caussæ nisi per accidens, in quantum scilicet sunt aliquo modo unum. Verùm cùm primum movens, quod est Deus, sit perfectissimum per se, & non per accidens: Ergo necesse est primum hoc movens reducens omnia in unum ordinem, esse tantum unum, atque ita unum tantùm DEUM.* Aliud argumentum Aristotelis, Unitatem Dei probans. *2. Deinde evincit idem Aristoteles hoc modo: Satius est mundum ab uno regi, quàm à pluribus: quia Monarchia absolutè præstat Aristocratiâ,* lib. 4. Pol. 8. Eth. cap. 10. *hoc est, Monarchia est optimum* Monarchia præstat Aristocratiæ.

regimen, Chrysostomus hom. ult. in epist. ad Hebr. Gregor. lib. 4. Epist. 52. Athanas. orat. contra Idola: Philo lib. de confusione ling. Plato in Polit. Plutarch. in opusc. de formis Reipubl. Homerus in 2. Iliad. Isocrates in Nicocle. Herodotus libro, qui dicitur Thalia. Iohannes Stobæus serm. 45. ubi & alios permultos adducit. *Quia igitur Deus unus pervadit terrasque, tractusque maris cælumque profundum, & ita bonus est, ut in suâ essentiâ bonitatem includat, dignus est, qui unus toti orbi præsideat. Deus ergo Monarcha est, id est, unus & solus summus princeps omnium rerum creatarum, ac proinde solus & unus verus Deus. Damascenus* lib. 1. de fid. Orth. cap. 5. Verum (*inquit*) adversus eos, qui divinæ scripturæ non credunt, sic disseremus: *& subjicit quatuor argumenta. 1. Deus est summè perfectus secundum bonitatem, sapientiam, virtutem & reliquas proprietates: Ergo tantùm unus est. Quod argumentum legas etiam apud Lactant:* lib. 1. de fals. relig. cap. 3 *Ratio verò consequentiæ est; si enim darentur plures, aut inter ipsos statuenda esset* διαφορά *quædam, aut* ταυτότης. *Si differentia: ubi perfectio? Nam sive secundùm bonitatem, sive secundùm virtutem, sive sapientiam, sive tempus, sive locum unus subeat discrimen, à perfecto decidit: non itaque fuerit Deus: sin verò per omnia fuerit* ταυτότης: *unum potius ostendet & non multos. 2. Si essent multi Dii, essent circumscripti: At Deus circumscriptus non est, sed incircumscriptus: Ergo. Major manifesta est: Vnicuique enim sua tribuenda esset potestas, sua gubernatio, suus etiam*

absq; alterius impedimento locus: Quæ omnia absolutam potestatem & perfectionem negant, & verum Deum tollunt. 3. Si plures sunt Dij, mundus neq; gubernari neq; consistere tandem poterit. Facilè enim ob voluntatum diversitatem dissensio exoriri posset: Differentia enim contrarietatem inducit. Et hoc argumentum loco allegato habet Lactantius. 4. *Necessitas etiam naturæ arguit monadem deitatis esse principiū.* Plura qui volet legat apud Algazel.& Averroëm disp.5.& 7. Item apud patres: Tertull: contra Praxeam. Ambros.lib.1.de fid.c.1.August.lib.1.de Trin.c.4.Cyprian.in tract. de Idol.Iustinum in lib.de Monarchia. Nazianz. orat.2.de Theol.& de natali Domini:Basil.in orat.contra Sabellium & Arium, Athanasiū in Epist.contra gregales Sabellij, & in libro de communi essentia divinitatis. Item apud scholasticos: Thomam Aquin.1.p.q.2.art.2. & 3.item 1.p.q.11.art.3.lib.1.cont.gentes.c.13. & in quæstionibus de veritate.Scot. in 1 dist. 2.q.3.in Report.q.4.Ant.And.12.Met.q.4.Ægid.Roman.comm.in lib.8.phys.tract.ult.in quo agit de primo motore. item lib.12. Met. q.1.Fland.q.3.a.2.Herv.1.d.2. q.1. Gabr. & Ocham.q.10.Iād.8.Phys.q.ult. Niph.in explic. disp.5.& 7.Matthiam Aquar.12.Met.diluc.6. Mornæ.2.cap.de verit.religionis Christianæ. Natal.com.lib.1.Mythol.c.8.& lib.2.c.1. Suarez disp.29.s.3. & disput.30. sect.10.

Etsi quidem hæ rationes unitatem Dei satis ostendunt: nihilominus tamen quid de vero Deo, rebusq; divinis statuerit vulgus Ethnicorum, quibus cū interdum & sa- Ethnicorū dij varij.

& saniores Philosophi contra conscientiam delirare coacti fuerunt; inde videre est, quòd alij ipsissimum Diabolum adorarunt; ut adhuc hodie in Calecutia. Poëtæ multos introduxêre Deos, eosq; in tantùm multiplicarunt, ut Themistius in orat. ad Valentem (apud Socratem. 4. c. 27.) *potuerit 300. Ethnicorũ opiniones de Deo numerare. Apud Lacedæmonios non timori tantùm, sed morti etiam, & risui, & alijs hujusmodi affectibus templa fuerunt dicata; ut est apud Plutarchum in Cleomente. Deos quoq; fecerunt tempora; ut apud* Tryphiodorum Ægyptiũ Grammaticum & Poëtam, *in Ilij excidio. Nox Deus est. Lapides item, stirpes & bruta pro Dijs habuerunt: quemadmodum meminerunt pleriq; Græcorum patrũ, qui gentilium vanitatem literis impugnarunt: historici item* Herodotus, Diodorus Siculus, *& quod præcipuum est,* Pausanias, *apud quem etiam Pelops, qui fuit pater Tantali, sceptro divini honores à Græcis sunt tributi* lib. 9. in Bœoticis: *Imo*

Quicquid humus, pelagus, cælum mirabile gignit,
Id dixere Deos, colles, freta, flumina, flammas,

Vt his suis verbis testatum facit Prudentius. *De hac etiam gentium Polytheiâ dicitur in versu Hesiodi:*

Τρεῖς γὰρ μύριοί εἰσιν ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ.

Numerantur itaq; Hesiodo *triginta Deorum millia. Orpheus Deos trecentos sexaginta quinq; confessus est.* Lactantius lib. 1. de fals. relig. cap. 7. Marcus Varro *trecentos Ioves commemorat, quemadmodum docet* Augustinus *in suâ civitate. Alij,*

teste

teste eo ipso Varrone, cælum & terram duos magnos dixêre Deos, quasi communem omnium alterum patrem, alteram matrem.

Placet referre, quantum Deorum numerum vel solis conjugij operibus hic Varro aßignet. Quando mas & fœmina conjunguntur, illis præest Deus Iugatinus: quando nupta ducitur domum, adest Deus Domiducus: in domo illam custodit Domitius: ne deserat maritum, prohibet Manturna. Ad res conjugales multi adhibentur Dij Deæq;: Mater Virginensis, quæ à Capellâ lib. 2. Cynthia Iuno dicitur, Deus pater Subigus, Dea mater Prema, & Dea Pertunda & Venus & Mutunus, qui apud Græcos est Priapus. Vt interim omittamus Volupiam, quæ voluptates concitat: item Agenoram: Angeroniam quoq;, quæ angores depellit apud Macrobium lib. 1. cap. 10. Satur. Libentinam, quam Varro 3. de linguâ latin. dicit Deam Stimulam, & Liberam, Menam, quæ menstruis præsidet. Pro felici partu invocatur Iuno, Diana, Dea Fœta, Lucina, Ilithyja, Opigena: cujus hostem Sylvanum abigunt tres Dij: Intercidona, Pilumnus, & Picumnus, qui à Servio 9. Æneid. Sterquilinius dicitur, & ultimò Deverra. His addi possunt adhuc tres Dij, qui foribus præsident: Forculus, Cardinea, vel ut Ovidius 6. Fast. mavult, Carna & Limentinus. Quando liberi nascuntur, Vitunus largitur vitam: Sentinus sensum, Diespiter partum perducit ad diem: Opis opem fert nascentibus,

Dij operibus conjugalibus præfecti.

excipiens eos sinu terræ. Quando jam nati sunt, pro custodiâ adhibetur Iterduca, Albeona, Adeona: Cunia *administrat cunas:* Vagitanus *(Gellio* Vaticanus *dicitur)autor vocis humanæ est. Sentina sententias inspirat.* Rumina *infanti mammas immulget, quia rumam veteres dixerūt mammam:* Pauentina *abigit pavores:*Levana *levat de terrâ:* Cuba *ponit in lectum:*Educa,*escam;* Potina, *vel ut vult Donatus Potica, potum administrat. Oßilago durat & solidat infantibus parvis ossa.* Carmentes *fata canit:Fatua fari;Camæna canere docet: Consus sive Neptunus equestris, præbet consilia.* Iuventas *&* Fortuna barbata *barbam largitur:& cæteræ Deæ Diiq; innumerabiles.* Videatur Auguſt.lib.4. de civit. Dei.c.11.Item lib.6.c.9,Arnob.adver.Gēt.l.4.

Impotentes etiam erant Ethnicis Dij. Scribit enim Tryphiodorus *in Ilij excidio, quod Græci pertæsi laborum, quos per integrum decennium incassum sustinuerant, nec dum tamen Trojam cæperant, tametsi interea amisissent multos præstantißimos viros ac exercitus sui columnas, Achillem, Patroclum, Ajacem, Telamonium & alios: re infectâ, Troiâ relictâ, domum ad suos, à quibus jam diutius abfuerant, ut non immeritò horum desiderio tenerentur, redire voluissent, & quòd neq; Minerva, Dea quamvis, & quæ partes Græcorum studiosißimè sequebatur, potuisset his malis monstrare remedium, nisi Helenus, filius Priami, relictis Trojanis, ad Græcos ultrò profugisset.*

Impotentia Deorum Ethnicorum.

Quando etiam absunt Ethnicorum Dij & Deæ, opem ferre non possunt, ut Dianæ exemplo paulo ante monuimus. Et Isocrati in orat. ad Philip. *Dij nonnulli*

nonnulli sunt Hercule imbecilliores. Tribuebatur etiam illis uterq; sexus. Stilponem enim Megarensem, ajunt, quendam de Phidiæ Minervâ ita rogasse: Estne Iovis Minerva DEUS? *quo annuente, Atqui certè ista non Iovis, sed Phidiæ est. Quod ipsum quum ille concessisset*: Non ergo, *inquit, ista Deus est. Quo nomine in Ariopagum vocatus, non inficias ivit, sed dixit: rectè se locutum: neq; enim eam Deum esse, sed Deam. Hinc Theodorus cognomento Atheus illum perstrinxit, quum quæreret, unde hoc cognitum habuisset Stilpo: nunquid sublatis vestimentis ejus hortum inspexisset*: Diog. Laërt. lib. 2. in vita Stilponis. *Moriebantur etiam Ethnicorum Dij & quidem non infimi ordinis, sed ipsissimi cœli Domini. Post obitum enim Saturni imperium cœli cessit filio Iovi. Mortis autem caussa erat, quòd multò magis se, quàm homines, omnibus scelerum ac libidinum generibus polluerent, propter quæ mors venit in mundum, cui & ipsi meritò subijciebantur. Fuerunt enim impuri, scelerati, patricidæ atq; libidinosi: quemadmodum de plerisq; gentium Dijs omne turpitudinis genus ipsa prodidit antiquitas. Adde quòd moriebantur etiam alijs & sæpius ijsdem etiam vivebant æternùm. Hesiodus enim, alijq; vetustiores Poëtæ, commenti sunt, Deorum cibum ac potum esse* Nectar & Ambrosiam, *de quibus etiam in versu* Martialis *dicitur*:

Juppiter Ambrosiâ satur est, & Nectare
vivit.

Dicitur autem Ambrosia, *quasi Abrosia, id est, sine morte: ab* ἀ, *&* βροτὸς: *quòd Dij immortales* Ambrosia.

tales sint: unde etiam ἄμβροτοι *ipsi, nos verò* βροτοὶ, *nominamur, nomine facto à* βιβρώσκω, *quod & cibo opus habeamus, & deinde moriamur.* Nectar *autem ipsorum potus est, quo ipsorum immortalitas similiter indicabatur: Dictum enim Nectar, autore Suidâ, quasi* νεόκτας, *id est, bibentes ipsum faciens Iuvenes: vel facto nomine à particulâ negativâ,* νὲ, *&* κτείνω, *id est, interficio, quasi mortalitatem auferens, nec sinens interfici aut mori. Quæ fabula absq; ullo dubio est desumpta ex historiâ Mosis de arbore vitæ: quandoquidem non tantùm* DEOS; *verùm quosvis etiam alios, isto cibo potuq; utentes, non modò immortalitatem; sed etiam viridem perpetuò ac florentem ætatem agere dicebant: cum quo figmento nomina eleganter congruunt.*

Nectar.

Præter illam Ambrosiam & Nectar celebratur quoq; à Poëtis herba sive potio Nepenthes, *omnem & dolorem & luctum adimens:* πένθος *enim latinis luctus est. Ita Moly herba multis laudatur ab Homero, quòd homines ad Iuventutem revocet: Cujus vires & miras operationes prolixè describit* Plinius lib. 25. c. 4. *Plura de hujusmodi vanißimorum Ethnicorum vanißimis somnijs lege apud* Natalem Comitem, *cujus libri decem titulo Mythologias extant: apud* Lilium *item* Gyraldum, *qui Syntagmata septem conscripsit de Dijs: item* Georgium Pistorium *Medicum, cujus extant libri tres Apotheseos Deorum; tàm exterarum gentium; quàm etiam Romanorum. In quibus tota illa gentium multiformis Idolomania ex optimis & vetustißimis, tam*

Nepenthes.

Moly.

græcis

græcis, quàm Latinis scriptoribus optimâ Methodo est conscripta & exposita. Unicum adhuc superest, quod hic intactum relinquere non possumus: Unde nempe Ethnica hæc idolomania originem traxerit, quomodoque propagata postmodum fuerit. Usitatum proverbium est; Ubi Deus templum suum extruxit, ibi Diabolus sacellum suum adjungit.

Sic ante diluvium Ecclesia falsa sive malignantium (ut literæ sacræ loquuntur) ab hypocritâ & parricidâ Caino condita est, unde prodiere Gigantes omnis pietatis & honestatis hostes. Post diluvium fuit Chamæa Ecclesia, quam de Chamo ita appellare possumus. Is enim Parentis sui Nohæ doctrinâ abjectâ novam religionem commentus est: ac cœperunt cum Chami nepote, NIMRODO, novi Gigantes, seu Titanes, qui Poëtarum quoq; fabulis celebrantur. Hæc depravatæ religionis labes ubi se paulatim confirmaverat, ita invaluit, ut præcipuas gentes infecerit. Quare inde Græcæ linguæ voce Ethnici appellati, quotquot à veræ Ecclesiæ consortione sejuncti essent. Ecclesiastici scriptores ut & Imperatorum leges eos quoq; Paganos Latinâ quidem dictione, sed nescio quâ Metaphorâ, item ad Pauli Apostoli imitationem Græcos, & religionis ritus Græcanicos, denominârunt. Is enim à Iudæis ita cæteros populos distinxit, ut Græcos & Barbaros eos nuncuparet, forsan alludens ad eum nominis utriusque usum, quem Græcos ipsos introduxisse scimus. Refert etiam Iulianus Apostata Imp. in eo scripto, quod Cyrilli operibus insertum est, infideles à Christianis Idololatras dictos esse, nimirum

Ex R. Reinec.

à statua-

à statuarum & fictitiorum numinum veneratione. Extitit verò primum superstitionum initium de ignis sacri cultu. Quia enim in sacrificiis patrum hostiæ igne cælitus delapso inflammabantur, irrepsit inde opinio DEVM IGNEM esse. Atq; hinc est Chaldæorum VR, id est, lumen; Persarum ORIMASDA, ab Orim Hesed, ac si dicas, lumen sanctum: Ægyptiorum SERAPIS, à Saraph, unde & Seraphim, Angelici ordinis nomen. Item Græcorum Ἑςία, & Romanorum VESTA: utrumq; ab Ebræis vocibus, Esch Ia, Ignis Domini, & θεὸς derivatio ἀπὸ τοῦ αἴθειν, id est, urere Damasc. lib. 1. de fid. Orth. c. 12. Postea in immensum Idololatria crevit. Etenim IEHOVÆ religione & doctrinâ, scelere, malitiâque Chami primum suspectâ, deinde contemptâ redditâ, alij post alios ficti excogitatiq; Deastri fuêre: Cum Gentes ipsæ hac in re mutuam sibi & quasi succedaneam operam præstarent, sic quidem, ut qui in una cultus & ritus novi cæpissent, mox ad cæteras ceu contagine quadam serperent ac transferrentur. Quapropter verè de illis evenit, quod proverbio, Toto cœlo errare, dicitur. Nam de essentia & voluntate Dei doctrinam penitus rejecerunt, tantùm legis particulâ, & rituum præcipuorum à Patribus acceptorum, nec non nominum; religionis conformitate aliqua, seu potius umbrâ, retentâ. Vnde in Græca lingua reliqua: ἀθήνα & ἥρα, in Latinâ, Rhea, & obliqui casus nominis Iupiter, in utraq; Apollo. Conveniunt namq; cum Ebræis: Adonai, Er Revah, Jehova, Baal. Et dubium non est, turpissimas de Deorum adulteriis & stupris, indeq; natâ sobole, fabulas extitisse ex

ex obscurâ aliquâ promissionis, factæ in Paradiso, de mulieris semine famâ: ea enim principiò, seu ante Abrahamum, ad omnes promiscuè populos pertinebat. Accessit quædam Diaboli sive κακοζηλία (est enim simia Dei) sive fraus, ut videlicet eo pacto falleret facilius & in impiis esset efficacior. Quemadmodum enim Filius Dei, λόγος æterni patris variis modis sese patefecit Patribus, Patriarchis, Prophetis, idque ideo ut doctrinæ puritas & instauraretur & conservaretur: Ita malignus ille spiritus, idem imitatus, hoc studuit, atque etiam præstitit, ut majores tenebras offunderet, & idololatricos cultus augeret. Pertinet huc, ut cætera exempla prætereamus, de Romulo & Julio Proculo *φάσμα è Romanis scriptoribus. Adhæc cum in Scholis Patrum τῆς προφητείας donum eniteret, & populus Israëliticus Prophetas Prophetriasque haberet; neque istâ parte Diabolus sibi defuit, excitando Sibyllas, vates, hariolos, aruspices, augures &c. Tandem sicuti in Israëlitica Ecclesia Deus Oraculum instituit, per quod ipse locutus est, & cui religionis sedes præcipua adjuncta fuit: ita & Diabolus varia apud Ethnicos Oracula, in quibus vetustissima & celeberrima:* LIBYCUM *Iovis Ammonis,* DODONÆUM ET DELPHICUM *excitavit idque contrario fine, hoc est, ut idololatriæ veluti arces essent. Viguit autem εἰδωλομανία ista potissimùm apud Ægyptios, per Mizraimum à Chamo oriundos. Neque enim ulla gens alia vel plura, vel fœdiora numina habuisse reperitur. Ab iis multa Græci mutuati sunt, ausi nescio quam θεογονίαν comminisci.*

minisci, ut ab his rursus Romani. Quorum religionem cùm primùm constituisset Numa Pompilius, deinde Tarquinii Prisci, ut Lactantius, Superbi, ut alij, operâ additos ferunt libros Sibyllinos. De his accuratè Dionysius Halicarnassæus lib. 4. Ac usos quidem Romanos his libris scimus, ut Græcos oraculis. Creati etiam inspiciendis ijs Quindecim viri fuere, nec rarò indè novæ religiones receptæ. Quæ hactenus de Deorum Ethnicorum multitudine, origine, vario cultu, recitata, licet sint longè verißima: Potuissent nihilominus Gentiles unum Deum cognoscere: sicut & reipsâ Philosophi saniores unum DEUM cognoverunt, & omnes sub unius DEI potestatem coëgerunt. Patet hoc cum primis ex testimoniis plurimis & clarißimis veterum Poëtarum, ex quibus Justinus librum de Monarchia DEI composuit, & in Apologiâ ad Antoninum scribit, Socratem & Platonem fuisse hâc in parte Christianos: Athenagoras idem monstrat, quando in Apologiâ pro Christianis multa testimonia veterum Ethnicorum adducit & Tertull. in Apolog. cap. 17. ait etiam cultores Idolorum, cùm in angustiis sunt, attollere oculos ad cœlos, & oblitos Deorum, unum Deum naturaliter invocare. Arnobius quoq; lib. 3. contra gentes, inquit, multos Græcos & Latinos gentilium confutasse Deorum multitudinem, & in ijs Ciceronem in lib. 1. de nat. Deor. tam efficaciter demonstrasse, non posse esse plures DEOS, ut non defuerint, qui putarint ex senatusconsulto eos libros aboleri debere. Lactantius lib. 1. cap. 3. neminem esse ait, qui si rationem consultat, non unum DEUM esse intelligat:

gat: idq; probat toto libro ex Platone & aliis Philosophis. Et lib. 2. cap. 17. scribit: Cùm jurant, (loquitur autem de Ethnicis) cùm optant, cùm gratias agunt, non Jovem aut Deos multos, sed Deum nominant. Adeo ipsa veritas, cogente naturâ, etiam ab invitis pectoribus erumpit. Similia invenies apud Cyprianum tract. 4. de vanitate Idolorum, Arnobium lib. 2. contr. gentes: Clement. in exhortatione ad Gent. Euseb. lib. 11. præparat. c. 9. Theodoret. lib. 2. de curan. Græc. affect.

Verum-enim-verò licet patres allegati testes sint omni exceptione majores: quia tamen Iustinus in Paræne: *Clemen.* in potrep. & Strom. *operæ pretium duxerunt unum DEVM ex confessione ipsorum Ethnicorum demonstrare, id quoq; breviter faciemus. Apud* Mercurium Trismegistum *Philosophorum parentem, si genuinos habemus libros, hæc sunt rata & certa:* unum DEUM; unam veritatem; omnium, quæ sunt, radicem esse: sine hac nihil fieri posse, nihil factum esse. *Vnde in Dialogo, cui titulus* ὅτι ἀφανὴς ὁ θεὸς φανερώτατός ἐστι, *scribit: Vnus DEVS, ingenitus & non apparens, & manifestus, omnia autem manifestans.* Videatur Trismegistus in Poëman. c. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 12. & in Asclep. c. 1. 6. 7. 8. 9. 11. De Trismegisto legatur etiam, quæ Augustinus habet memoria digna 8. de civit. DEI c. 23. 24. & 26.

Vnitas Dei ex confessione Ethnicorum demonstratur.

Sibyllæ: *quarum à Varrone (quo nemo unquam doctior, ne apud Græcos quidem, nedum apud Latinos,*

Varronis laus.

tinos, ut eum commendat & celebrat Lactant. lib. I. de fals. relig. c. 6.) *in libris* rer. divin. *decem numerantur*: Videatur Lactant. loco allegato. *Sibyllæ, inquam, omnes unum* DEUM *prædicant, maximè tamen* Erythræa, *quæ celebrior inter cæteras ac nobilior habetur. Siquidem* Fenestella, *inquit idem* Lactantius, *diligentißimus scriptor de XV. Viris (nempe quibus solis Cumææ libros introspicere à Romanis concedebatur) dicens, ait: restituto Capitolio, retulisse ad senatum C. Curionem Cos. ut legati Erythras mitterentur, qui carmina Sibyllæ conquisita, Romam deportarent: itaq; missos esse, P. Gabinium, M. Octacilium, L. Valerium; qui descriptos à privatis versus circa mille Romam deportarunt. In ÿs ergo versibus, quos legati Romam attulerunt, de uno* DEO *hæc sunt testimonia.*

Sibyllarum testimonium de uno DEO.

Εἷς θεὸς ὃς μόνος ἐστὶν ὑπερμεγέθης ἀγένητος.

Unus DEUS, qui solus est excedens omnem magnitudinem increatus.

Item: Ἀλλὰ θεὸς μόνος εἷς πανυπέρτατος, ὃς πεποίηκεν
Οὐρανὸν ἠέλιόν τε καὶ ἀστέρας, ἠδὲ σελήνην,
Καρποφόρον γαῖάν τε, καὶ ὕδατος οἴδματα πόντου

Sed DEUS solus unus eminentissimus, qui fecit
Cœlum, solemq;, & stellas, & lunam,
Fructiferamque terram, & aquæ maris fluctus.

Item:

Item: Αὐτὸν τὸν μόνον ὄντα σέβεσθ' ἡγήτορα
κόσμου,
Ὃς μόνος εἰς αἰῶνα καὶ ἐξ αἰῶνος ἔτυχεν.
Ipsum, qui solus est, colite principem
mundi,
Qui solus est in seculum, atq; à seculo
fuit.

Alia Sibylla exactè primum præceptum expreßit hoc versiculo:

Εἷς μόνος εἰμὶ θεός, καὶ οὐκ ἔστιν θεὸς ἄλ-
λος.
Vnus solus DEUS sum: & non est DEUS
alius.

Apollo cuidam quærenti, quis esset, aut quid esset omninò Deus; respondet viginti & uno versibus, quorum initium legitur apud Lactantium lib. 1. de fals. relig. c. 7.

Αὐτοφυής, ἀδίδακτος, ἀμήτωρ, ἀστυφέ-
λικτος,
Οὔνομα μηδὲ λόγῳ χωρούμενον, ἐν πυρὶ
ναίων,
Τουτὶ θεός, μικρὰ δὲ θεοῦ μερὶς ἄγγελοι
ἡμεῖς.
Ex se ortus, non edoctus, sine matre in-
concussus,
Nomen ne verbo quidem capiendum, in
igne habitans,
Hoc DEUS est: modica autem DEI portio
angeli nos.

Ad quæ Lactantius: nunquid potest suspicari de Iove esse dictum, qui & matrem habuit, & nomen? Quid quod Mercurius ille Termaximus non modo ἀμήτωρα, ut Apollo, sed ἀπάτωρα, quoq; appellat Deum, quod origo illi non sit aliunde. *Et paulo post:* credant Apollini suo, qui eodem illo responso, ut Iovi principatum, sic etiam cæteris Dijs abstulit nomen. Tertius enim versus ostendit, Dei
„ ministros, non Deos, verùm angelos appella-
„ ri oportere. De se quidem ille mentitus est,
„ qui cum sit in numero Dæmonum angelis se Dei aggregavit: deniq; in alijs responsis, Dæmonem se esse confessus est. Nam cum interrogaretur, quomodo sibi supplicari vellet, ita respondit:

Πάνσοφε παντοδίδακτε ἐνολόιςροφε, μὲ
κλῦθι δαῖμον.

Omnia sapiens, omnia docte: qui per cuncta versaris, exaudi Dæmon.

Videatur ipse Lactantius.

Autor primus πολυθεότητος.

Orphea *primum* πολυθεότητα *introduxisse autor est* Cyrillus, 1. cont. Iul. *&* Iustinus in Paræn. *Verum nonne is apud Clem. in protrept. ita loquitur:*

Ἔις ἐς' αὐτογενὴς, ἑνὸς ἔκγονα πάντα τέτυκται,
Ἐνδ' αὐτοῖς αὐτὸς περιγίγνεται, ὀυδέ τις αὐτὸν.
Ἐισορά α θνητῶν, αὐτὸς δέ γε πάντας ὁρᾶται.

Vnus

Vnus eſt ex ſe natus, exq; uno genita o-
mnia.
Intereſt autem ipſis, nec ullus ipſum
Intuetur mortalium, ipſe autem omnes
videt.

Pythagoras *licet in ſymb. præceperit: De Dijs rebusq; divinis nil tam mirabile dicitur, quòd non debeas credere: attamen ut ejus verba referunt* Cicero, Plutarchus, Clemens, Cyrillus, *maniſeſtiſſimè unũ Deum confeſſus eſt. Verba autem Pythagoræ hæc ſunt:* Deus eſt unus, non, ut plurimi cenſent, extra adminiſtrationem mundi: ſed totus in toto. Ipſe eſt temperamentum omnium ſeculorum, lux omnium poteſtatum, principium omnium rerum, ipſe fax cæli, pater, & Mens: Animatio & motus univerſi. *Alibi vocat Deum* ἀπειροδύναμον, δυναμοποιὸν δύναμιν, *quod pluribus convenire nequit. Adſcribuntur etiam Pythagoræ hi ſequentes verſus:*

Pythagoræ teſtimonium de Deo uno.

Εἴ τις ἐρεῖ, θεός εἰμι, παρὲξ ἑνὸς, οὗτος ὀ-
φείλει
Κόσμον ἴσον τούτῳ στήσας εἰπεῖν, ἐμὸς οὗ-
τος,
Κοὐχὶ μόνον στήσας εἰπεῖν, ἐμὸς, ἀλλὰ κα-
τοικεῖν
Αὐτὸς ἐν ᾧ πεποίηκε: πεποίηται δ' ὑπὸ τούτου.
Si quis dicet, Deus ſum, præter VNUM: is
debet
Mundum huic parem condere, & dicere,
hic Meus eſt,

Nec solum condere & dicere, Mens est: sed habitare
Ipse in eo, quem fecerit, hic autem ab hoc factus est.

Hic versus leguntur apud Iustinum Martyrem in libro de Monarchia, & adducuntur tanquam testimonium de uno Deo, contra gentes, qui pluralitatem Deorum defendebant.

Item in suâ Theogoniâ Iovem vocat Hesiodus: θεῶν πατέρ' ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν. *Cum quo consentit illud* Virgilij, *tam crebro repetitum; & ex Homero desumptum:* Divum pater atq; hominum Rex.

Empedocles. Empedocles, *Pythagoræ successor, unitatem divinam celebrans, inquit: Ab hâc unâ sunt*

Πάντα ὅσσά τε ἦν, ὅσα τ' ἔσθ', ὅσα τ' ἔσαι ὀπίσσω ἅπαντα,
Δένδρεα δὲ βεβλάστηκε, καὶ ἀνέρες, ἠδὲ γυναῖκες,
Θῆρές τ' οἰωνοί τε καὶ ὑδατοθρέμμονες ἰχθῦς,
Καί τε θεοὶ δολιχαίωνες, τιμῇσι φέριστοι.

Omnia, quæ fuerunt, quæ sunt, quæ erunt postea,
Arboresq; germinarunt, & viri fæminæq;,
Feræq; volucresq;, & qui aquis aluntur, pisces,
Et dij longævi, honoribus eximij.

Socrates. *Dixit in præcedentibus* Arnobius, *multos Ethnicos confutasse Deorum multitudinem: Hoc de* Socrate

verum esse testantur Apulejus & Agellius, *quippe qui ad cicutam damnatus est, quòd non unum duntaxat Deum profiteretur: sed etiam Deos illos Gentilitios detestaretur. Vt enim irrideret istos Deos minutulos (ut illos vocat* Augustinus lib. 4. civ. 9.) *jurare per quercum, hircum, & canem, solitus fuit.* Xenophon *quoq́; licet multitudinem Deorum metu populi, Socrati propinati, concesserit; non obscurè tamen* Xenophon.
VNVM DEVM docet de dictis & factis Socr. *quando in hæc verba loquitur:* Qui omnia movet, & quieta efficit, magnus quidem est, & apertè potens; sed cujus modi nam sit forma, non apparet. *De* Platonis *sententiâ, unum Deum probante, nemo dubitabit, qui* lib. 2. & 3. de Rep. item lib. 4. & 10. de legibus *legerit, & imprimis quod* Epist. 13. *ad Dionysium scribit:* Notam epistolarũ, quas seriò aut non seriò scribo, etsi opinor te meminisse: attẽdito tamen diligenter. Complures enim jubent me scribere, quos non facilè possum apertè appellare. Seriæ igitur Epistolæ initium est Deus, non seriæ Dij. *Appellat idem patrem universi* τὸ ὂν, *cætera* τὸ μὴ ὄντως: *item* αὐτοφυῆ, ex se natum; *cætera omnia à Deo producta esse docet. Vnde nõ dicit:* si Diis placuerit, si Dii adfuerint *&c. sed* σὺν θεῷ, quod Deo placuerit. Deo juvãte, Deus novit, Deus fecit *&c. Et* Ficinus *de Platonis sententiâ in Cratilum ita scribit:* Neq; nos turbet, quòd plures sæpe nominet Deos. Vnicum enim per seipsum in Parmenide atq; Timæo probat esse Deum; cæteros verò angelicos, cælestesq; Dei ministros,

Plato. Ficinus.

ſtros, cũ Deos nominat, non tam Deos, quàm divinos intelligit. *Platonis ſectatores omnes hîc præceptoris veſtigia ſequuntur.* Speuſippus *in defin. Platon. non Deos, ſed Deum definit.* Damaſcius Platonicus *ait*: Vnus producit omnia, unus colitur ſilentio, unus, ut ſol, eminus videtur obſcurè, & quò propius, eò obſcurius; proximè verò omnem omnino apprehenſionem tollit. *Plotinus* En. 1. lib. 8. En. 2. lib. 9. En. 3. lib. 2. 3. 8. En. 5. lib. 1. 3. 5. 6. 8. 9. En. 6. lib. 4. 7. 8. 9. & alibi *Deum unum eſſe teſtatur & demonſtrat.* Iamblichus *licet multos Deos retineat* de Myſterijs c. 1. 3. 5, 12. 16, 17. 39. de ſectâ *tamen* Pythag. *vnam omnium cauſſam agnoſcit, nempe verum Deum, omnium dominum, à quo ſolo omne bonum peti debeat, &* cap. 2. *omnes Deos & Dæmonas, & omnes gradus bonorum, malorum, ſupernorum, inferorum &c. uni ſummo præſidi ſubjicit, quem Deum &* ὑπερέχοντα ὄντα ente priorem, *item* αὐταρκῆ, *&* αὐτοπάτερα ſibi ſoli ſufficientem & ſui ipſius parentem, Ens ſummum, ſupereſſentiale ὑπερούσιον, & Bonum ipſum τὸ ἀγαθὸν *celebrat: quod ipſum ex unitate mundi & omnium ad unum conſpiratione probat* Proclus, *alias valde ſuperſtitioſus, & ad Deos ſubindè divertens* in lib. de anim. & Dæmon. cap. 32. 42. 53. Et in Theolog. Platon. Quis ille, *inquit*, Rex omnium, Deus unicus, qui & ab omnibus ſeparatus eſt, & omnia nihilominus ex ſe producit? Qui omnes fines ad ſe

Speuſippus. Damaſcius. Iamblichus. Proclus.

ad se convertit, Finis finium, caussa prima operationum, Auctor omnis boni & pulchri, cujus luce irradiantur omnia & collucent? Si Platoni credis, nec explicari, nec percipi potest. *Et in sequentibus ait:* Itaq; prima hæc simplicitas, Rex ipse est, princeps & exuperantia omnium rerum, incomprehensibilis, incomparabilis, uniformis, qui omnes supereminet caussas, quiq; eam Deorum substantiam creavit, cui aliqua Boni species inesse videtur. Hunc omnia à tergo & longo quidem intervallo sequuntur & nihilosecius ei adhærent: Deniq; hic est caussa illa ineffabilis, quam Plato in Republ. duobus nominibus explicare conatus est, ubi Bonum ipsum, & veritatis fontem appellat, cujus ope intellectus rebus intellectualibus conjungitur. In Parmenide verò unum & unitatem, cujus vi omnes divinæ virtutes subsistunt, principium omnium, & quæ jam sunt & quæ nondum sunt.

Synesius quoq; de somnijs cap. 2. *unitatem Dei agnoscit. Eandem quoq; defendit sententiam Plotinus* Ennead. 1. lib. 8. Ennead. 6. lib. 4. c. 1. 2. 3. 4. Et toto lib. 9. Ennead. 3. lib. 8. *Porphyrius, discipulus Plotini, eandem docet, & inculcat ex Plotino in vitâ sui præceptoris: item*, lib. de Abstin. & lib. de occasion. *Deum describit, quòd solus ubiq; est & nusquam, qui impleat omnẽ locũ & nullo contineatur, à quo uno quæ sunt, & quæ nondũ sunt. Hũc verò patrẽ appellat, qui in omnibus regnat, cuiq; soli anima sa-*

Synesius.

Porphyrius.

crificanda sancto silentio & castà mente. Reliquos contra Deos, à Deo creatos, Deiq; ministros esse, docet. Quo cum consentit Simplicius *in Ariani Epistolam:* Omne pulchrum, *inquit*, à primâ & præcipua divina pulchritudine, omne verum a divina veritate, omnia principia ab uno principio. Id autem non ut cætera, particulare aliquod principium est; sed principium, omnia principia supereminens, supergrediens, in se colligens, adeò ut omnibus dignitatem principij largiatur, singulisq; prout naturæ suæ convenit. *Et iterum ait idem:* τὸ ἀγαθὸν, bonum, omnium scaturigo & principium est, omniaq; ex sese producit prima, media, ultima. Vna Bonitas producit multas bonitates, unum principium multa principia: Vnitas autem, principium, Bonum, Deus, unum & idem sonant. Est enim Deus universorum caussa prima, in eoq; cætera particularia principia fundantur. Is ipse caussa caussarum est, Deus Deorum, Bonitas bonitatum. *Atq; hactenus Academicorum sententia de unitate Dei.*

Simplicius.

De Peripateticis, & Stoicis *res est liquida.* Epicureorũ *verò somnia facilè contẽnimus.* Peripateticorũ parens est Arist. *Hic* lib. 8. Phys. *de summo motore disputans, ostendit ejus quinq; attributa, nempe quòd sit unus, immobilis, perpetuus, impartibilis, infinitus. Et in* lib. de mundo *(quem maturâ jam ætate* Alexandro *dicavit, & compendium Philosophiæ Aristotelicæ vocatum tradit* Iustinus Martyr)

Aristoteles de uno Deo.

tyr) *unum* DEVM, *omium rerum caussam agnoscit & celebrat.* Mundus hic, *ait*, & hic omnium ordo à DEO conservatur. Quod autem in mundo summum, DEI sedes: Nihil porrò in rerum naturâ sibi ad salutem sufficit, ejusque ope carere potest. Ipse est pater Deorum & hominum, Genitor & servator eorum omnium, è quibus mundus conflatur. Nec tamen penetrat illa, aut ingreditur: verùm vis & providentia illa, quæ in cælis sedet, ad omnia pertingit: Cœlum & Solem & Lunam movet, terrestria hæc librat & sustinet: Deniq; ut omnia singulaq;, quod suæ naturæ est, curat & providet. *Legatur totus liber: Confert* DEVM *magno Persarum Monarchæ, qui ex conclavi suo solâ authoritate omnia per suos delegatos administrat & gubernat.* Interest, *ait*, quod ille DEUS virtute infinitus, hic vile & tenue animal est. *Vnde Philosophus noster apud* Hierophontem *Sacerdotem duplici de caussâ accusatus dicitur, & quòd in Lycæo unum* DEVM *docuisset, contra ritus patrios, de Idolis & Deorum multitudine: & quòd mundum sempiternum pronunciasset, quem initio temporis conditum tota Græcia putabat.* Theophrastus *in Metaph. ait:* quod primum est & divinissimum, vult omnia quoq; optima esse, sed haud dubiè, nec sciri nec investigari potest. *Et alibi*: Est certè divinum prir im unum, quo & existunt omnia & co. nt. *Videatur idem Theophrastus in libello de saporibus: ubi dicit*: omnia creasse Theophrastus.

Deum ex Nihilo. Alexander, *qui in scholâ Peripateticâ & Aristotelicâ tantam fuit famam assecutus, ut ab ejus nomine Aristotelici, Alexandrei denominarentur*, in libro provid. ad Anton. *docet*, Deum unum omnibus providere; quæcunq; vult posse &c. *Tandem de Peripateticis scribit Scaliger* Exerc. 3. *hunc in modum: Refert quidem Simplicius in 1. Phys. Alexandrum & Eudemum existimasse: Deum non esse caussam efficientem, sed formalem ac finalem tantùm mundi. Ac Simplicius ipse cum Philopono & Ammonio, aliisq; multis illustribus viris, opinionem hanc, non solùm ut falsam, sed etiam perinde atq; ab Aristotelis sententia alienam rejecerunt.* Videatur etiam Scaliger Exerc. 368. Theophrast. in Metaph.

Stoicorum sententia. *Ex fragmentis porrò* Stoicorum, *quæ in adversariorum scriptis habentur, intelligimus, docuisse illos omnes,* Deum *unum & infinitum.* Zeno. Zeno *apud* Aristotelem *confitetur unum* Deum, *alioqui nec ullum fore. Idem facit Seneca passim* in lib. de Seneca. vita beata: de provid. in Epistolis: de consolat. in quæst. in lib. de benef. de immaturâ morte, apud Lactant. lib. 1. *Et* Epictetus. Epictetus *apud Arianum ait:* Discendum ante omnia, Unum esse Deum, omnia regere, omnibus providere: quicquid verò faciamus, dicamus, cogitemus, nihil eum latere posse. Cleanthes. Cleanthis *verba apud Simplicium ita habent:* O Deus, rege me per eam caussam, quâ omnia moderaris & temperas: *Et caussam hanc εἱμαρμένην & caussam caussarum nominat.* Cicero. *Cicero* in libris de

bris de nat. Deor. *qui materiæ hujus proprius libris, et si quidem multos, unum tamen DEUM Deorum memorat & potißimùm* lib. 2. *ubi hæc leguntur verba*: Non est natura Deorum præpotens, neq; excellens, siquidem ea subjecta est ei vel Necessitati vel Naturæ, quâ cœlum, maria, terraq; reguntur. Nihil autem est præstantius DEO. Ab eo igitur necesse est mundum regi. Nulli igitur est naturæ obediens & subjectus DEUS. *Quibus verbis inter multa illa numina & verum DEUM differentia apertè constituitur. Videatur quoq;* Plutarchus de Isid. & Plutarchus.
Osir. de oraculorum defectu: de tranquillitate animi adversus Ignat. Principem: de quæstionibus Platonicis adversus Stoicos, adversus Epicurum &c. *Et doctißimus* Varro Varro.
apud Augustinum de civit. DEI lib. 4. c. 9. & 11. & lib. 7. c. 5. 9. 23. Doctores Gentilium etsi DEOS Deasque plures nominabant, omnes, ait, in uno Jove comprehensos voluisse, quorum illi illæq; facultates & munera essent. *Adducuntur etiam doctißimi Poëtæ* Valerij Sorani Valerius.
vulgati versus:

Juppiter omnipotens Regum lex ipse, Deusq;
Progenitor, genitrixq; Deûm, Deus unus, & omnes.

Poëtas *itaq; quod spectat, licet vanißimas, stultißimasque de DEO opiniones habuerint: tandem tamen in conscientiâ convicti, unum DEUM agnoscere coacti sunt.* Orpheus, *quem Lactantius* lib. 1. de fals. religion. cap. 5. *vetustißimum Poëtarum & æqualem ipsorum Deorum celebrat*, 1. Orpheus.

quemq;

quemq; nos in præcedentibus cum Iustino & Cyrillo πολυθεότητος *auctorem diximus*, *Palinodiam in hymno ad Musæum, quem supremam ejus sententiam esse volunt, canit*:

Μοῦνον δ' εἰσορόα κόσμοιο ἄνακτα τυπωτήν.
Εἷς δ' ἔστ' αὐτογενὴς, ἑνὸς ἔκγονα πάντα τέ-
τυκται,
Ἐν δ' αὐτοῖς αὐτὸς περιγίγνεται, οὐδέ τις αὐτὸν
Εἰσορόα θνητῶν, αὐτὸς δέ γε πάντας ὁρᾶται.
Οὗτος δ' ἐξ ἀγαθοῖο κακὸν θνητοῖσι δίδωσι,
Καὶ πόλεμον κρυόεντα, καὶ ἄλγεα δακρυό-
εντα.
Οὐδέ τις ἔσθ' ἕτερος, χωρὶς μεγάλου βασι-
λῆος.
Αὐτὸν δ' οὐχ ὁρόω, περὶ γὰρ νέφος ἐστήρικται.
Πᾶσιν γὰρ θνητοῖς θνηταὶ κόραι εἰσὶν ἐν ὄσσοις,
Ἀθενέες δ' ἰδέειν Δία τὸν πάντων μεδέοντα.
Οὗτος γὰρ χάλκειον ἐς οὐρανὸν ἐστήρικται,
Χρυσέῳ ἐν θρόνῳ, γαίης δ' ἐπὶ ποσσὶ βεβηκώς,
Χεῖρα δὲ δεξιτερὰν ἐπὶ τέρματος ὠκεανοῖο
Πάντοθεν ἐκτέτακεν, περὶ γὰρ τρέμει οὔρεα
μακρὰ,
Καὶ ποταμοὶ, πολλιῆς τε βάθος χαροποῖο
θαλάσσης.

Solum autem aspice mundi regem formatorem:
Unus utiq; est ex se natus, exq; uno genita omnia.

Interest

Interest autem ipsis, nec ullus ipsum
Intuetur mortalium, ipse autem omnes
videt.
Hic post bonum, malum mortalibus tribuit,
Et bellum sævum, & dolores lachrymabiles:
Nec quisquam est alius præter magnum
regem:
Eum autem non video, nubes enim circumtegit.
Omnibus enim mortalibus mortales pupillæ in oculis,
Infirmiq; sunt ad videndum Jovem, omnia
curantem.
Is enim in cœlo ærato costitutus est,
In aureo throno, terramq; pedibus calcat;
Manum autem dextram ad fines Oceani
Undequaq; porrigit, circum autem tremunt
montes ingentes,
Et fluvij, & abyssus cani & trucis maris.

Videatur Justinus de Monarch. item ad gentes. Athenag. de resurrect. Clemen. in Protrept. *apud quem hi versus recitantur.* Et Lactantius *loco allegato de eo testatur, quòd* DEVM *appellet verum & magnum* πρωτόγονον, primogenitum, *quòd ante ipsum nihil sit genitum, sed ab ipso sint cuncta generata: eundem etiam* Φάνητα *nominat, quòd cùm adhuc nihil esset, primus ex infinito apparuerit & extiterit. Hunc, ait, esse omnium Deorum parentem, quorum caussa cœlum condiderit, liberisq; prospexerit, ut haberent habitaculum, sedemq;*

demq;

demq; communem. &c. Videatur ipse Lactantius.

2. Phocylides. Orpheum *sequitur* Phocylides *qui unum DEUM multis celebrat* πρῶτα θεὸν τίμα in primis venerare DEUM. *Item:* πάντες εἰσὶ νέκυες, ψυχῶν δὲ θεὸς βασιλεύει. Omnes mortales sunt, DEUS autem animis imperat. *Itemq;* εἷς θεός ἐστι σοφὸς, δυνατός γ᾽ ἅμα καὶ πολύολβος. Unus est DEUS sapiens, potens, atq; beatus.

Theognis & Homerus. *Idem statuit* Phocylidis σύγχρονος Theognis: *Et* Homerus *quando seriò agit, unum Deum commemorat. Eadem quoq; sententia fuit* Hesiodi *ad fratrem: Ab eodem sunt, inquit, Dii & homines:*

Hesiodus. Sophocles. *& Sophoclis:* εἷς ταῖς ἀληθείαισιν εἷς ἐστι θεός. Unus revera unus est DEUS, &c.

Arati *verba citantur ab* Apostolo Paulo: διὸς γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. Jovis enim genus sumus.

Ovidius. *Inter Poëtas Latinos* Ovidius *in lib. Metamorph. unum DEUM agnoscit, eumq; creatorem mundi facit.*

Virgilius. Virgilius *quoq; perpetuò Iovem hominum Deorumq; Regem celebrat*——Huncq; ire per omnes
Terrasq;, tractusque maris, cœlumque profundum:
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas.

Pythagoras. *Quomodo etiam* Pythagoras, *referente Lactantio* lib. 1. de fals. relig. cap. 5. *definivit, quid esset DEUS: Animus qui per universas mundi partes omnemq; naturam commeans atq; diffusus; ex quo omnia.*

omnia, quæ nascuntur animalia vitam capiunt. Sic cæteri Gentilium Doctores, unum Deum agnoverunt, quorum nomine Gentilis quidam Maximus ad Augustinum in Epistola (quæ inter epist. August. est 43.) ita scribit: Equidem unum esse Deum, summum atque magnificum, quis tam demens, tam mente captus neget esse certissimum? Hujus nos virtutes per mundanum opus diffusas, multis vocabulis invocamus, quoniam nomen ejus cuncti, proprium videlicet ignoramus.

Concludimus itaq; cum Paulo Orosio lib. 6. hist. c. 1. *communem sententiam sapientum esse;* unum esse solum & verum DEUM, cæteros autem, qui dicuntur Dij, nihil esse, nisi unius illius servos & ministros. *Quod idem ferè scripsit* Prudentius in ἀποθεώσει: Prudentius.

Consule barbati deliramenta Platonis,
Consule & hircosos Cynicos, quos somniat, & quos
Texit Aristoteles tortâ vertigine nervos:
Hos omnes, quamvis anceps labyrinthus & error
Circumflexus agat, quamvis promittere & ipsi
Gallinam soleant aut gallum, clinicus ut se
Dignetur præstare DEUS morientibus æquum,
Cum ventum tamen ad normam rationis & artis,

Turbi-

Turbidulos ſenſus, & litigioſa fragoſis
Argumenta modis concludunt Numen
in UNUM.

Poëtarum opinio de Deo explodenda.

Quæ igitur de Dijs fabulati ſunt Poëtæ: quòd Dij ſint multi, quòd ſcortentur, quòd ambroſia & nectare paſcantur, meritò ut per ſe abſurda & impia, ridentur & reijciuntur ab Ariſtotele & aliis Ethnicis. Hoc enim habet natura Dæmonum peculiare, ut dum maximè homines ludificantur, ſeipſos omnibus deridendos propinent. Sic Ariſtoteles lib. 3. Metaph. c. 4. t. 15. Nihilò autem, *inquit*, minor dubitatio & poſterioribus, & prioribus prætermiſſa eſt, Utrum eadem corruptibilium, & incorruptibilium principia ſint, an diverſa. Si enim eadem ſunt, quo modo hæc quidem incorruptibilia, hæc verò corruptibilia ſunt, & propter quam cauſſam? Quicunq; igitur circa tempora Heſiodi fuerunt, & cuncti Theologi, ſolum quoad ſibi perſuaderent, curæ habuerunt, nos autem contempſerunt. Cùm enim principia DEOS facerent, & ex Dijs fuiſſe dicerent, quæcunque non guſtarunt Nectar & Ambroſiam, mortalia dicunt fuiſſe. Manifeſtum autem eſt, quod ſibiipſis hæc nomina cognita dicentes, taleſq; afferentes cauſſas, ſupra vires noſtras dixerunt. Nam ſi voluptatis gratia ea attigerunt, nequaquam ſunt ipſius Eſſe cauſſa nectar & Ambroſia. Quòd ſi ipſius Eſſe gratia, quomodo eſſent ſempiterni, cùm alimento indigerent? Sed de ijs, quæ fabuloſè, & ſophi-

ſticè dicuntur, non eſt dignum accuratè conſiderare. *Hactenus Ariſtoteles.* Videatur etiam Averroës ſupra hunc locum, & 12. Metaphyſ. t. 50. *Unde & Plato* lib 2. & 3. de Republ. & lib. 10. de leg. *Poëtas removendos eſſe è civitate cenſuit, ne ſuis nugis hominibus falſas de Deo inſtillarent ſuſpitiones.* Homerum *apud inferos torqueri dicebat* Pythagoras, *propter fabulas de dijs inventas. Et Cicero* lib. 3. de nat. Deorum *ait*: Cum frugem Cererem; vinum Liberum, dicimus, genere nos quidem ſermonis utimur uſitato: ſed ecquam tam amentem eſſe putas, qui illud, quo veſcamur, Deum credat eſſe? *Et Plutarchus de Iſide & Oſiride ſcribit:* Ne adoremus cælum, ſolem, lunam, elementa &c. Specula ſunt hæc, in quibus artem illius ſingularem intueamur, qui mundum condidit & adornavit: nec eſt aliud mundus, quam templum ejus, quem Plato Deum omnium patrem & opificem vocat. *Quid? ſeria Theologia omnium Ethnicorum & doctorum & indoctorum ad unum Deum referebatur, ut teſtis eſt Iamblichus* de Myſt. Ægypt. cap. 37. & 39. *& Dionyſius Halycarn.* veterum rer. lib. 2. *dicit Romanos Poëtarum fabulas odiſſe, Romulumq; ſuos aſſuefeciſſe, ut benè & ſentirent & loquerentur de Dijs.* Si quis enim, *inquit iterum Plutarchus, loco allegato,* fabulas iſtas, tanquam veras, retulerit, deſpuendum eſt, ob indignitatem rei & os purgandum, *ut eſt apud Æſchylum. Non enim tam impias & barbaras de Deo habere debemus opiniones. Plautus de Iove jocatur*

Poëtæ removendi.

catur in prolog. Amphyt. non minus, quam nostrum quisquam, formidant malum, humanâ matre nâti, humano patre. Quomodo igitur Dij? de quorum ratione est, esse immortales.

Noti quoq; sunt Iuvenalis *versus de Dÿs Ægypt.*

Porrum ac cæpe nefas violare & frangere morsu,
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina ——— *Nam, ut refert* Herodotus *in Euter: solebant Ægyptij quidvis pro Deo colere.* Socrates *ut rideret fictitia illa numina, jurabát per quercum, canem, hircum, &c. Hic tamen ille est, quem Apollo Græciæ sapientißimum judicavit, bestÿs sanè illis insipientior, si numinis contemptorem sapientißimum censuisset.* Poëtæ *quoq;, qui Deos, ut infantuli pupas solent, finxerunt, in ÿsdem destruendis adeo sibi placent & blandiuntur, ut inepta & frigida quævis putetur tragædia, nisi Deos exagitet: quod vel Euripides his versibus testatur satis:*

Neptune tu, & cælum tenet qui Iupiter,
Scelera luendo templa exinanibitis.

Timæus *etiam historicus meritò jocatur in Deorum istorum impotentiam, scribens, propterea conflagrasse templum Ephesinæ Dianæ, quod Dea istâ nocte Olympiadi Alexandrum magnum parturienti obstetricata fuisset. Quin & Thebæ Ægyptiæ absurda illa de Dÿs*

de Dijs rejiciebant, & unum Deum nomine CNEF *adorabant; nec natum olim, neq; unquam moriturum.* *In legibus duodecim tabularum apud Ciceronem* lib. 2. de leg. *hæc continentur*: DEOS adeunto castè, opes amovento: si secus faxint, DEUS ipse vindex erit. *Nempe Iupiter, quem unum & solum* DEUM *Optimum Maximum nuncupabant.*

Verum itaq; est, quod Augustinus dicit lib. 4. de civit. Dei c. 24, *inquiēs*: Usque adeoné majores nostros insipientes & cæcos fuisse credendum est, ut Bachum, Cererem, Panem &c. Deos putarint? imo unum Deum credebant, cujus illa munera, illæ functiones essent. *Et libro eodem. c. 31. de Varrone testatur idem, quod licet multos proposuerit Deos, eos tamen unius imperio subjecerit. Qui verò his fidem habuerunt, quiq; plures Deos ex ijs crediderunt, errarunt in notione Dei, non intelligentes, quid per nomen Dei significetur. Si enim intellexissent, Deum nominari id, quo nihil est majus & potentius, non tot effinxissent Deos, qui quo plures sunt, eò sunt imperfectiores & impotentiores. Et Lactantius* de divino præmio lib. 7. c. 7. *dicit*: Particulatim veritas à Philosophis tota comprehensa est. Factum esse mundum dixit Plato: idem prophetæ loquuntur. Ad virtutem capessēdam nasci homines, Aristoteles disseruit: idē nos monemur ac discim9 à Prophetis Immortales esse animas Pherecydes & Plato

disputarunt: Hæc verò propria in nostrâ religione doctrina. Esse inferos, Zenon Stoicus docuit & sedes piorum ab impijs esse discretas, & illos quidem quietas ac delectabiles incolere regiones; hos verò luere pænas in tenebrosis locis, atq; in cæni voraginibus horrendis: Idem nobis prophetæ palàm faciunt. Totam igitur (*concludit Lactantius*) veritatem & omne divinæ religionis arcanum Philosophi attigerunt. *Quid hîc* (*quod coronidis loco notetur*) Lactantio *respondebunt, qui hodie Philosophicam veritatem contradictoriè oppositam Theologicæ veritati, & Theologicè verum, Philosophicè falsum, hancq; propositionem: Deus est justus, & similes à Philosophis prolatas: absurdas esse? Certè huic absurdissimo absurdo se Lactantius hoc loco manifestè opponit, dum ait*: particulatim veritatem totam(*intellige theologicam*) à Philosophis comprehensam fuisse. *Si veritatem: Ergo non falsitatem: Et in eodem capitis initio*: Non enim sic, *inquit*, Philosophiam, (*arrige aures Philosophiæ osor*) evertimus, ut Academici solent, quibus ad omnia respondere propositum est; quòd est potius calumniari & illudere; sed docemus NULLAM SECTAM FUISSE TAM DEVIAM, nec Philosophorum quenquam tam inanem. QUI NON VIDERIT ALIQVID EX VERO. *Si verum fuit, quod vidit Philosophus in re Theologicâ: Ergo non fuit falsum, quod rustici & bimi intelligunt.*

Philosophorum de Deo cognitio.

Vnde

Vnde autem tot opiniones de religione? Respondet Lactantius summam hanc, *inquit (nempe veritatis, quam in præcedentibus capitibus proposuerat)* Philosophi non comprehenderunt, nec veritatem comprehendere potuerunt, quamvis ea ferè, quibus summa ista constat, & viderint & explicaverint (*si verè explicaverint & viderint, quomodo falsa erunt, quæ Theologiæ consentanea loquuntur Philosophi*): sed diversi ac diversè omnia protulerunt, non annectentes nec caussas rerum; nec consequentia, nec rationes; ut summam illam, quæ continet universa, & compingerent & implerent. Facilè est autem docere, PENE VNIVERSAM VERITATEM PER PHILOSOPHORVM SECTAS ESSE DIVISAM. Dum enim (*paulo post*) contradicendi studio insaniunt; dum sua etiam falsa defendunt; aliorum etiam vera subvertunt: non tantùm elapsa illis veritas est, quam se quærere simulabant: sed ipsi eam potissimùm suo vitio perdiderunt &c. *En suo vitio, inquit* Lactantius, *perdidisse Philosophos veritatem, non Philosophiæ: & per sectas Philosophorum (quando quilibet suæ adhærebat, & in eâ nihil falsi esse præsupponebat, adeoq; omnia suæ sectæ consentanea, sive vera sive falsa, defendere studebat) hoc est vitio Philosophorum, non Philosophiæ, universam veritatem esse divisam, & falsa, absurda, & contra religionem Christianam pugnantia in illorum scriptis contineri. Vt autem artificis vitium non asscribendum est arti: ita*

Vnde variæ de Deo opiniones.

ita etiam hoc genus hominum corrigat linguam, nec amplius quod Philosophis est imputandum, Philosophiæ ut proprium attribuat. Atq; unitas Dei ita generaliter demonstrata esto.

Theorema VIII.

Deus est maximè, purissimè, & simplicissimè, in suâ essentiâ, adeoq; non privativè, sed positivè unus.

Postquam generaliter DEI *unitatem vidimus; sequitur ut eam specialius & accuratius scrutemur: Quandoquidem non sufficit unitatem Dei confusè habere cognitam; sed accuratius & distinctius in ejus puritatem est inquirendum.* Ex *Averroë* lib. 12. Metaphys. text. 14. *rectè distinguitur inter positivè unum & privativè unum. Quia itaq; privativè unum dicitur, quod ex suâ naturâ non vendicat sibi unitatem propter naturalem imperfectionem;* DEVS, *ut perfectißima est substantia; ita quoq; perfectißimam habet ex se unitatem, & si quicquam aliud, certè is positivè unus est: Vnitas enim sequitur essentiam. Vnum supra* lib. 1. Ex. 7. th. 1. *divisum est in unum per se, & unum per accidens. Vnum per accidens* DEVM *non esse patet ex jam dictis. Vnum per se distributum est in Indivisibile & Indivisum.* Thomas 1. p. q. 6. a. 3. q. 11. a. 1. *dividit Vnum, in Vnum actu & potentiâ multum;*

Vnum dicitur & privativè & positivè.

tum; & unum tam actu quàm potentiâ. *Hoc propriè definitur unum indivisibile, illo indivisum, ut ex lib. 1. Ex. 7. th. 2. videre est. Vt autem ibi unum indivisibile sive unum tam actu, quàm potentiâ tantùm Deo tribuimus: ita etiam hoc loco sententiam nostram meritò retinemus, eamq; confirmamus triplici argumento.* Primum *desumitur à perfectione: Quod perfectißimum est, & expers omnis imperfectionis; id simpliciter indivisibile est: DEVS perfectißimus est, & expers omnis imperfectionis: Ergo simpliciter indivisibilis.* Major *probatur. Nam divisio est imperfectionis argumentum: quod iterum constat triplici medio. 1. Quia divisio via est ad non esse. 2. Quia ob imperfectionem multa fieri non possunt unum. 3. Quia quò res nobilior & perfectior, eò etiam minus dividitur, uti id in angelis est manifestum.* Secundum *argumentum sumitur ab infinitate DEI: Quod infinitum est, illud etiam indivisibile est: DEVS infinitus est. Ergo &c. Major probatur: in infinito enim, quicquid sumpseris, id totum infinitum est, adeoq; ex partibus esse nequit: si enim ex partibus constitueretur infinitum, infinitum non esset tale: quandoquidem partes alicujus totius necessariò finitæ sunt, dantur enim in illo partes extra partes. Quia itaq; impoßibile est, ut finita principia sive partes infinitam essentiam constituant: ita etiam planè impoßibile est, DEVM ex partibus constare & ex illis componi.* Vltimum *desumitur ex propriâ partium affectione: Quodcunque*

Deum esse Vnum indivisibile.

1. Argumentum.

Divisio signum imperfectionis.

2.

3.

In Deo non sunt partes.

ex partibus compositum existit, id primum neq; in essendo, neq; in caussando esse potest: Atqui DEUS *est primus in essendo & caussando; Ergo ex partibus compositus non est: & per consequens indivisibilis est. Nam,*quod non componitur,id neq; dividitur. *Major probatur: Nam ex partibus compositum, à seipso non est, adeoq; non simpliciter primum: partes enim seipsas non componunt: cùm omnis compositio & compositum sit à tertio quodam componente, & nihil generet seipsum. Quocirca si partes in Deo sunt conjunctæ, fingenda & præsupponenda est quædam caussa Deo & prior & superior. Adde quòd partes toto sint priores: Ergo si partes sunt in Deo; in Deo datur prius & posterius: quod è diametro contra Dei naturam pugnat.* Atq; ita breviter in genere demonstravimus DEUM indivisibilem esse,& nullo modo dividi posse. *Videatur etiam Averroës* disp. 5.& 7. Thomas p.1.q.11.a.4.Herv.1.d.8. q.2.

Restat nunc, ut in specie quoq; à DEO *removeamus omnem pluralitatem. Rectè enim Averroës* disput. 5. Non potest, *inquit*, summa Deo unitas tribui, nisi aufferendo de eo totaliter pluralitatem. *Simpliciter enim simplex sive unum, teste* Gabriele 1. d. 8. q. 2. a. 1. *dicitur per carentiam cujuslibet compositionis intrinsecæ. Quare à Deo removebimus cum Thomâ* 1. p. q.3. a.7. *omnem totalitatem sive unitatem per compositionem: & res erit expedita,propositumq; nostrum,* DEUM maximè purissimè & simplicissimè in suâ essentia unum esse, *erit probatum & confirmatum.*

Supra

Supra lib. 1. Exerc. 7. th. 2. in fine *Vnum indivisum dicitur Totum, quod statim theor. sequenti* Totalias.
3. *ex Aristotele* lib. δ. Metaph. c. 26. *definitur*, cujus nulla pars abest eorum, ex quibus natura Totum nominatur: & quod ita continet ea, quæ continentur, ut illa sint Unum. *Ex qua definitione per se manifestum est, totalitatem sive unitatem per compositionem minimè DEO tribui posse. Quod enim simplicißimum est, ut DEVS jam demonstratus, id in se multa, ut partes, non continet: Videatur allegatæ nostræ* Exercitationis *theorema quartum. Vbi porrò Totum dividitur in absolutum & determinatum: Absolutum totum vocatur perfectionale sive perfectionis, quod, ut ibi ex Bellovisio docuimus, revera totum non est: sed tantùm propter nonnullas phrases, de DEO loquentes, inter totius species numeratur: nempe quando vulgo dicitur: DEVS totus ubiq; esse, & in singulis ubi totus. Cùm autem id propterea de DEO dicatur, quòd partibus careat, & partium carentia huic toti essentiam tribuat; cùm ea perfectißimam det unitatem, & absolutißimam perfectionem, ut supra à nobis demonstratum est; quilibet intelligit, hoc totum tan-" tùm nomen obtinere; totum verò in rei veritate non " esse, cùm omne totum non partium carentiâ, sed par- " tium essentiâ consistat, ut liquet ex definitione Totius.*

Moveri potest hîc quæstio de attributis divinis, ut Theologis *dicuntur; alijs verò, ut* Avicennæ *proprietates;* Algazello *designationes;* Averroi *dispositiones*: An nimirum aliquo modo in DEO Quæstio de attributis DEI.

DEO differant, an verò inter se, & cum DEI essentia sint simpliciter Unum. *Nos qui simplicißimum DEVM diximus, nempe expertem omnis omninò compositionis, qualiscunq; etiam sit, cogimur etiam statuere Attributa illa neq; ab essentiâ divinâ, neq; inter se distincta, sed cum illâ & inter se simpliciter unum esse. Attributa enim divina hâc ipsâ exerc. theor. 3. diximus, non ea, quæ realiter inter se sunt distincta, sed quæ* DEO *ad ipsius essentiam, aliquo modo pro nostro captu nobis declarandam, attribuuntur. Et lib. 1. Exerc. 14. theor. 10. diximus, attributa DEI non re, sed ratione distingui, prout Deus mentis nostræ diversis conceptibus substat. Addidimus etiam rationem. Distinguimus enim in* DEO *unum attributum ab alio: justitiam à misericordiâ, &c. Quia non concipimus simplicem virtutem DEI, prout in se est, & secundùm totam suam vim: sed eam conceptibus partimur in ordine ad diversos effectus, quorum principium est illa eminens virtus. Vel etiam per proportionem ad diversas virtutes, quas in homine invenimus distinctas, & eminentißimo modo reperiuntur unitæ in simplicißimâ virtute,* DEO. *Cum hac nostra sententiâ consentit Avicen.* 8. Met. c. 7. Nulla harum, *inquit*, dispositionum in DEO facit in essentiâ primi debere esse multitudinem ullo modo, nec varietatem. *& Averroës* 12. Metaph. text. 39. p. 340. C. D. Multiplicitas in DEO nihil est, nisi in intellectu differentia, non in esse. *Rationem hanc addit:* alias enim compositus esset. *Omne autem compositum non non & ab alio, nisi dicatur aliquid componi per se, quod absurdum: nullum enim compositum*

Quomodo ratione distingui dicantur attributa DEI.

exire potest de se in actum. Hác ipsâ ratione usus est Damascenus 1. fid. Orth. c. 12. *Quem locum etiam supra* lib. 1. Exercit. 7 th. 4. *allegavimus*: Deus simplex est, *inquit*, & incompositus: quod autem ex multis & differentibus coalescit, compositum est. Si igitur increatum, non initiatum, incorporeum, immortale, æternum, bonum, conditorem, & id genus, substantiales differentias, differentésq; substantias dixerimus in Deo, ex tot coalitum, minimè simplex erit, sed compositum: QUOD QUIDEM EXTREMÆ IMPIETATIS EST. *Et* c. 13. Simplicissimè Deus unus est, & Totus dicitur propter perfectissimam idẽtitatem. *Et Augustinus* tract. 20. in Ioan. *ait*: Deus est, quod ejusmodi est, cui comparari nihil potest: super omne enim est, quod dici potest: cui non alia est substantia, ut sit, & alia potestas, ut possit, sed cõsubstantiale illi est, quicquid ejus est, & quicquid est. *Et Niphus addit* disp. 5. q. ult. *omne cõpositũ ex actu & potẽtiâ fieri* η. Met. t. 42. 43. θ. eor. t. penult. *Quocirca si in Deo recipiũtur attributa ab essentiâ distincta, tũ hæc in potentiâ est ad illa: quod manifestè pugnat cũ Philosopho & Averroë* lib. λ. Met. t. 30. & 31. *Et Cyrillus Alexand.* li. 11. Thesau. c. 1. Videmus, *inquit*, substantialem differentiam solùm in compositis inveniri: Deus autem simplicissimus est. *Quibus cum etiam consentiunt* Thomas 1. cont. gent. c. 26. de Ente c. 6. Cajet. de Ente & essent. q. 12. Picus de Ente c. 5. & alij. *qui omnes, uno ore fatentur, & rationibus firmißimis, demonstrant,* "

omnia

Attributa in Deo non differre.

„ *omnia DEI attributa idem esse cum essentiâ divinâ,* „ *differre autem tantùm ratione, sive per nostros con-* „ *ceptus. Rectè enim Iustinus q. 144.* Non ad instar naturæ creatæ, *inquit,* DEUS est ut id quod sit, & id quod habeat, per compositionem intelligatur; sed sicut naturam obtinet, ita intelligendus est, id quod sit, & id quod habeat, obtinere sine compositione. *Et Leo Papa* Epist. 93. c. 3. *ait*: Nemo hominum veritas, nemo sapientia, nemo justicia est: sed multi participes sunt veritatis, sapientiæ, & justiciæ: solus autem DEUS nullius participationis est indigens, de quo quicquid dignè utcunque sentitur, non qualitas est, sed substantia. *Hilarius* lib. 6. & 12. de Trinit. *ait*: Deus ipse corporalium rerum modo loquitur, ut ad excellentiam divinarum rerum per corporalia homines attollat. *Idem sentit Gregorius Magnus* 32. moral. cap. 4. & 5. *Et juxta Augustinum* de spec. c. 112. *& Isidorum lib. 1. sent. c. 5.* tam clementer Deus humanæ infirmitati consulit, ut quia eum, sicut est, cognoscere non possumus, nostræ locutionis more seipsum nobis insinuet. Unde & membrorum nostrorum qualitatem habere describitur, & passionum indigna de se dici voluit, quatenus ad sua per nostram nos traheret & dum conscendit, nobis consurgeremus ei. *Augustinus quoq;* lib. 5. de Trin. cap. 16. Nihil Dei naturæ accidit, nihil Deus dicitur esse secundùm accidens. *Eandem penè sententiam apud*

Iustinum

Iustinum Martyr. in quæst. ad Gentes habemus: οὐδὲν συμβαίνει θεῷ. Nihil accidit DEO. *Omnia itaq; illa, quæ Deo attribuuntur, ut infinitas, immortalitas, æternitas, bonitas &c. non pro differentiis accidentalibus accipienda sunt: sed pro unâ simplicissimâ naturâ, in quâ nulla omninò sit* σύνθεσις: *Uti prolixius id probant: Nazianzenus ad Evagrium Monachum de divinit. Irenæus lib. 2. c. 16. Athanasius contra Idola, Basilius Homil. 1. contra Eunomium. Hilarius lib. 8. de Trinit. Cyrill. lib. 1. Thesaur. c. 8. Boëtius, 1. de Trinit. c. 5. & 6. Anshelm. in Monol. c. 16. &c.*

Scotus hic nobis contradicit 1. d. 8. q. 3. *item Maro* 1. dist. 8. *multisq; rationibus probare conantur, attributa in* DEO *differre formaliter. Formaliter autem Scoto distinguuntur (ut autor est Brulifer* in tract. de formal.) *illa, quæ se non includunt in primo modo per se, ut passio & subjectum, actio & passio, genus & differentia &c. Argumentum potissimum, quo suam sententiam defendere vult Scotus, ita formari potest: Quorum formalitates distinguuntur, unumq; nō dici potest de altero, illa sunt formaliter distincta, & non sunt omninò idem: Atqui attributorum divinorum formalitates distinguuntur, neque unum dicitur de altero: Alia enim est formalitas Deitatis, alia misericordiæ, alia justiciæ; unaque non dicitur de alterâ: non enim dicitur Deitas est misericordia, misericordia est justicia, &c. quod fieri debebat, si omninò essent idem:* Ergo. Maro *ex hâc Scoti argumentatione ita infert: Super quibus fundantur contradictiones, illa non sunt simpliciter idem: Atqui super attributis divinis fundantur contradictio-*

Scotus putat attributa in DEO differre formaliter.

traditiones : quod probatur : De voluntate enim DEI enunciatur, quod velit, de intellectu idem dici nequit : Ergo &c.

Refutatio Scoti.

Respondemus *ad majorem argumenti Scoti, illam veram esse de formaliter ita distinctis in re existente extra intellectum, non de illis, quæ formaliter in mente distinguuntur. Non enim multiplicatio conceptuum formalium semper multiplicat ὄντα in rebus. Distinguuntur itaq; non attributa ipsa, ut ex præcedentibus liquet, sed conceptus attributorum divinorum propter imbecillitatem intellectus nostri, qui totam naturam & totam divinam virtutem (quippe quæ infinita: infiniti verò finitum non est capax, nisi aliquo modo per modos finitos) simul concipere nequit.*

Object.

Inquis : *Falliturne ita intellectus? neq; fallitur neq; fallit.* Nam, *ut supra quoque dictum est*, lib. I. Exerc. 6. theor. 4. *non fingit noster intellectus ὄντα, quæ ita distinguit : sed duntaxat per modum distinctorum concipit, quæ distincta non sunt : Cùm conceptum in concipiente sit non secundùm modum concepti, sed concipientis. Non itaque illa, quæ distinguuntur ; sed solus modus inessendi in intellectu humano, hoc est, sola ista distinctio per rationem inde resultat. Cùm igitur modus rei essendi alicubi, & ipsa res, rectè distinguantur : in re verò, non in modo rei (quando nimirum de re quæstio est) veritas consistat ; manifestum iterum est, distinctos illos conceptus in rem ipsam nihil falsi inferre, neque ipsam rem distinguere vel multiplicare. Atque ita satis constat DEVM, quatenus totum absolutum dicitur, nullo modo compositum*

esse

esse. Maronis quoq; argumentum nullius est ponderis: cùm (ut rectè tradit. Gabriel. 1. d.2.q. 1. a.2.) *distinctio etiam rationis ad salvandam contradictionem de eodem sufficiat.*

Totum determinatum porrò est vel essentiale, vel integrale, vel potentiale, vel universale, vel numerale, vel individuale. Totum determinatum.

Essentiale totum non esse DEVM *manifestum est ex illis, quæ supra disputavimus* lib. 1. Exerc. 7. th. 4. *ubi demonstravimus, omnem omninò compositionem, naturæ divinæ repugnare, & Deum neque componi ex esse & essentiâ, neq; ex materiâ & formâ, neque ex genere & differentiâ. Nihilominus* DEVS non est totum essentiale. *DEVM totum essentiale non esse, hoc loco breviter his rationibus probare possumus. Si DEVS est totum essentiale, tum est compositus, vel ex esse & essentiâ: Quod falsum; quia omne compositum est à suo componente: Cùm nihil seipsum producat: Atq; ita DEVS neq; esset primus, neq; DEVS: vel ex materiâ & formâ. Neq; hoc conceditur: Esset enim Deus corpus, haberetq; potentiam & materiam: quæ omnia DEVM tollunt.* Algaz. & Aver. disput. 5. Thom. 1. pag. quæst. 3. a. 2. *esset etiam DEVS bonus per formam, adeoq; per partem, cùm omne compositum ex materiâ & formâ, per formam sit bonum. Ergo non absolutè bonus, non totus bonus, non DEVS. Vltimò: DEVS totus est agens. Ergo materiâ destituitur.*

Integrale Totum non competere DEO, *expeditum dabo duabus rationibus.* 1. *est Algaz.* disp. 5. *quia non habet quantitatem.* 2. *est Aver.* ibid. Deus non est totum integrale.

sol. 3.

sol. 3. dub. *quia non est corpus.* Potentionale Totum non est DEUS. *Potentiæ enim divinæ ab essentiâ reipsâ non sunt distinctæ propter infinitatem & simplicitatem DEI, ut monstravimus de attributis divinis, quod nullo modo distinguantur ab essentiâ, nisi discrimine rationis.* Numerale Totum non est: *quia tale Vnum ex numeris quantitativis est compositum, qui à DEO planè sunt alieni. Hinc rectè negavit Basilius. M.* Epist. 141. *Deum esse Vnum numero: nempe si per numerum intelligat numerum specialiter ita dictum, sive prædicamentalem. DEVS enim transcendentaliter, non prædicamentaliter Vnus,* Universale Totum non esse *DEVM, patet ex disputationibus præcedentibus hujus libri Th. 2. ubi DEO genus non competere demonstravimus & Th. 3. ubi idem ex Scholasticis probavimus: & Th. 4. ubi Deos non esse posse sub universali, hoc est, vel genere vel specie, ostendimus. Cùm enim DEVS sit immaterialis, sine potentiâ, & perfectissimus, quomodo genus erit, quod rationem materiæ habet, & in potentiâ ad speciem, nec non imperfectum est? Sic quomodo species erit, cùm ista sit composita ex genere & differentiâ, & etiam in potentiâ ad Individuum: DEVS verò simplicissimus & purissimus actus, sine ullâ potentiâ ad meliorem perfectionem? Quodcunq; etiam in nullo est prædicamento, id neq; genus, neq; species est: Atqui DEVS in nullo est prædicamento: Ergo neq; genus, neq; species est. Vide Averroëm* disp. 7. *ubi hanc nostram sententiam copiosè probat: Et Clemens* 2. Strom. *inquit: DEVS neq; genus est, neq; species, neq; differentia,*

Neq; est totum potentionale.

Neq; numerale.

Neq; universale totum.

rentia, neq; individuum: intellige individuum, sub specie contentum, & in prædicamento substantiæ collocatum. Ergo Deus neq; universale est; neq; sub universali, nempe genere vel specie, neq; in prædicamento substantiæ, adeo, ut etiam Magister sententiarum ex verbis Augustini colligat, Deum impiè dici substantiam. Sic enim Augustinus lib. 7. de Trinit. cap. 4. & 5. Sicut ab eo, quod est esse, appellatur essentia: ita ab eo, quod est subsistere, substantiam dicimus: si tamen dignum est, ut Deus dicatur subsistere. Hoc enim de his rebus rectè intelligitur, in quibus, ut subjectis, sunt ea, quæ in aliquo subjecto esse dicuntur, sicut in corpore color aut forma. Corpus enim subsistit, & ideo substantia est. Res verò immutabiles, neq; simplices propriè dicuntur substantiæ. Deus autem si subsistit, ut substantia dici possit, inest in eo aliquid, ut subjecto, & non est simplex. Nefas autem est dicere, ut subsistat Deus, & subsit bonitati suæ, atq; illa bonitas non substantia sit, vel potius essentia, neq; ipse Deus sit bonitas sua, sed in illo sit, tanquam in subjecto. Vnde manifestum est, Deum abusivè substantiam vocari &c. *Et iterum Augustinus* lib. 5. de Trin. cap. 1. allegante Lombard. lib. 1. dist. 8. *ex toto prædicamentorum numero Deum excludens*: Intelligamus, *inquit*, Deum quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia omnia continere, sine loco ubiq; totum, sine tempore sempiternum, sine

ulla sui mutatione mutabilia facientem, nihilq; patientem. Quisquis Deum ita cogitat, etsi nondum potest pervenire quid sit ipse, piè tamen caveat, quantum potest, aliquid de illo sentire, quod non sit. Ecce si subtiliter intendas, ex his atq; prædictis aperitur, illa PRÆDICAMENTA ARTIS DIALECTICÆ DEI NATVRÆ MINIME CONVENIRE, quæ nullis est subjecta accidentibus. *Imò, ut ex Lombardo patet, hæc sententia communis fuit omnium patrum & Scholasticorum.* Qui volet, legat Damascenum 1. fid. Orth. c.8.& 12. *Item* cap. 13. *inquit*: Illa omnia communiter in tota divinitate sunt suscipienda καὶ ταυτῶς, καὶ ἁπλῶς καὶ ἀμερῶς, καὶ ἡνωμένως, & identiter, & simpliciter, & individue & unialiter. Videatur porrò Dionys. de div. nominib. c.5. Lombard. loco alleg. Boët. lib.1. de Trinit. c.5.& 6. Thom. 1. p. q.3. a.5. de pot. q.6.& 7. Alens. 10. Met. ad t.8.& 1. p. sum. q.48. a.3. Scotus in Rep. 1. d.8. q.5. Hervæ. 1. d. 8. q.3. Maro q.11. Fons. 5. Metaph. c.8. q.1. Suar. disp.30. s.6.

Rejicimus itaq; assertionem illorum, qui Deum sub genere ponunt, ut facit Gregor. 1. d.8. q.6. Gabr. q.1.& 2. Holkot. 1. d.8. q.6. Iohannes Bacconius q.1. concl. 6. item noster Ramus lib. 4. Schol. Log. c.6. *Imò Gabriel & Bacconius eò ineptiarum pervenerunt, ut non modo Deum in Categoria substantiæ collocaverint, sed etiam in aliis prædicamentis, dum Deo nonnulla tribuunt accidentia, ut actio-*

actiones, relationes, &c. eaq́ cum creaturis ad easdem referunt Categorias. Quid verò ineptius, quid insulsius, quid absurdius, quàm Deo accidentia tribuere & ex substantiâ & accidentibus componere? Accidens enim Deo tribui nullo modo potest. 1. Quia est perfectißimus, cui aliquid addi nequit: Cyrillus 11. Thesaur. 2. *Quia est immutabilis: In quo autem accidens est, illud mutari potest: Accidens enim potest adesse & abesse. 3. Quia totus incaussatus est. Vbi autem est accidens ibi est caussatum. Caussatur enim à subjecto. 4. Quia est summè necessarius: nullum autem compositum simpliciter est necessarium, atq́ potißimùm illud, quod ex substantiâ & accidente compositum existit. Relationes in Deo quod attinet, illæ accidentales non sunt, sed personales, in essentia eminenter inclusæ. Deinde actiones non sunt vel inhærent in principio agente, sed patiente: Vnde etiam à mutatione, quæ per actionem fit in objecto paßivo, actio denominatur: verbi gratiâ induratio, qua sol indurat lutum; & liquefactio, quâ idem sol liquefacit ceram, non sunt in sole vel radijs solaribus, sed in luto & cerâ. Errant igitur illi, actiones in Deo, ut subjecto agente, collocantes.* — **Accidens Deo tribui nequit.**

Tandem Deus non est totum Individuale sive Individuum. *1. Nam individuum est compositum ex essentiâ & existentiâ, ex actu & potentiâ. Quia itaq́ in Deũ nulla cadit compositio, consequens est, quòd individuũ non sit. 2. Individuum est sub genere & specie: Deus non: Ergo Individuũ non est. 3. Deus est unus transcendentaliter: Ergo non individualiter:* — **Deus non est totum individuale.**

Intelligenda itaq; hæc sunt de Individuo prædicamentali, sive, quod est substantiarum secundarum fundamentum. Sublatâ igitur de Deo totaliter pluralitate, quod jubebat Averr. disp. 5. *concludimus: Deum esse individuum ex suâ naturâ, sive per se suumq; esse; atq; ita maximè, purißimè, simplicißimè & positivè unum. Non enim differentiis individualibus superadditis indiget; cùm in eo nihil sit commune vel universale contrahendum, ut demonstravimus.*

Theorema IX.

Trinitatem personarum in unitate simplicissimâ & purissimâ essentiæ divinæ ratio humana, vel Philosophus divinitùs non informatus, agnoscere nequit.

Porrò si Deus maximè, purissimè & simplicissimè unus est, non videtur constare posse articulus fidei Christianorum, quo confitentur: se credere in Deum Patrem, Filium & Spiritum sanctum: hoc est, tres esse personas sive supposita, inter se formaliter, sive realiter distincta in unitate essentiæ, hoc est, non distinctâ sive divisâ essentiâ communi. *Hanc difficultatem ratio Philosophorum, quod, ut Theorema habet, Trinitatem cognoscere nequit, non tetigit. Mornæus quidem* de verit. relig. Christ. cap. 5. *ut & nonnulli alij defendunt Trinitatem & à Philosophis cognosci potuisse, & cognitam Ethnicis fuisse: Vix autem hanc suam assertionem obtinebunt.*

An Trinitas Dei Philosophis cognita fuit. Affirmantium.

Demon-

Demonſtrare eam conantur varijs argumentis. 1. Vt ſimpliciter boni eſt, ſe cum alijs communicare: ita boni ſummi & infiniti eſt, ſe ſummè & infinitè communicare: Atqui Deus ſummo & infinito modo ſe in omnium rerum productione ſive creatione non communicavit cum creaturis: Ergo omninò alia communicatio eſt concedenda. 2. Perfecta beatitudo comprehendit omnia bona: Atqui inſigne bonum eſt conſortium æqualium perſonarum: Ergo & hæc beatitudo eſt in beatiſsimo. 3. Deus eſt undiq; perfectus: Ergo etiam ſibi ſimile generat: quia & hæc perfectio quædam eſt. 4. Melius eſt Deum aliquid ab æterno produxiſſe, quàm otioſum fuiſſe: Ergo &c. 5. Invenitur una natura in una hypoſtaſi, ut in quolibet angelo; plures, in pluribus, ut in multis angelis; plures in unâ, ut in homine, ubi duæ naturæ anima & caro, una ſpiritualis, altera corporalis, in unam hypoſtaſin humanam conveniunt. Igitur credibile eſt eſſe quoq; unam naturam, id eſt, divinam in pluribus hypoſtaſibus, hoc eſt, in patre, filio & ſpiritu ſancto. 6. Ratio ſumitur ex veſtigijs, quæ Deus impreſsit quodammodo in creaturis. Videatur Auguſtinus à lib. 9. de Trinit. usq; ad 15. In naturâ enim. 1. Tres ſolæ ſunt paſsiones, rebus omnibus communes: Vnum, Verum, Bonum. 2. Tota rerum univerſitas diſtribuitur in tres partes: quicquid enim eſt: aut eſt ſpirituale, aut corporale, aut ex utroq; compoſitum. 3. Tres ſunt ſubſtantiæ: materia, forma & ex his compoſitum. Ariſt. lib. 2. de an. cap. 1. & lib. λ. Metaphyſ, t. 14. 4. Sic angeli & anima hominis tribus prædit i ſunt facultatibus: memoria, intelligentia, & voluntate:

Margin: 1. Rationes. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

atq; in ijs ex mente nascitur notitia, ex notitia amor procedit,&c. Quæ argumenta penè omnia ita proponuntur à Bellarmino lib. 2. de Christo cap. 6. in
7. fin. *Quibus addi potest & hoc: Pater necessariò intelligit, ejusq; intellectio æterna est,& ipsa essentia: per Intellectum autem producit verbum, quod est filius, qui est verbum æternum æterni patris. Deindè per voluntatem diligit se,& producit amorem, qui est spiritus sanctus,& itidem ab æterno fuit: quia Deus pater ab æterno dilexit. Quanta autem harum ratiocinationum sit efficacia, postea videbimus.*

2. Autoritates. *Cognitam porrò fuisse Trinitatem Ethnicis ex Philosophorum scriptis ostendere conantur, à* Zoroastre *initium sumentes, quem multis seculis Trojano bello antiquiorem facit Plutarchus* in tract. de Isid. &
1. Zoroaster. Osir. *Fuit enim vel ipse Chamus, vel Chami filius, vel ejus nepos, ut nonnulli putant, & Bactrianorum rex, Astrologiæ & Magiæ peritissimus, qui eadem, quâ Ninus Assyriorum Rex, ætate floruit, nempe circa annum mundi 1910. Ætatis Noæ 855. ante Christum natum 2053. A quo Nino etiam post multa prælia, vario eventu commissa, tandem debellatus esse traditur & occisus, ut testantur* Diodorus, Iustinus, Orosius, *& pleriq; alij. Quod tamen factum adhuc alij non Nino patri, sed Niniæ filio adscribunt, ut* Berosus, *& inter nostrates*, Funccius: *qui in suâ Chronologiâ ita scribit*: Paulò ante mortem Niniæ Chamesenuus, ab omni fermè orbe terrarum pulsus, in Bactrianos se contulit, & magico illos præstigio sibi devinxit, adeo ut illis potenter imperaret. Coacto igitur maximo populo:

pulorum exercitu, invasit Assyrios: contra quem Ninias dimicans, bello fuit superior, & Chamesenuum, qui tum quoq; Zoroastres dicebatur, obtruncavit: inde paulo post ipse obijt. *Hic (quod notatu dignum) Plinio teste,* "
lib.7.cap.16. *eodem, quo natus, die risisse fertur, ce-* "
rebrumq; ei adeo dicitur palpitasse, ut impositam re- "
pelleret manum, præsagio futuræ scientiæ. "
Primus enim artes Magicas creditur invenisse, ut autor est idem Plinius lib.30.cap.1. *Item Orosius* lib.1.cap.4. *&* *Trogus* lib. 1. *Apud Chaldæos Magos, hoc est, sapientes, instituit, quorum imitatione & Persæ suos habuerunt Magos: qui quid de Trinitate senserint, inquit, Mornæus* de verit.relig. Christianæ c. 6. *ex eorum Logijs, seu oraculis perspicuum, quorum fragmenta etiamnum extant apud Iulium quendam Chaldæum, qui sexaginta duo enumerat verè divina oracula, à se græcè facta, & ante annos sexaginta Parisijs excusa. Extant porrò fragmenta scriptorum hujus* Zoroastris *apud* Proclum, Hermetem, Simplicium, Damascenum, Synesium, Olympidorum, Arnobium, *collecta annis superioribus à* Francisco Patricio. *E quibus sanè* DEI *Patris, Filij, & Spiritus sancti cognitio aperta. Tam mirè etiam factorem omnium, mundiq; creatorem,* DEVM *celebrat, angelos agnoscit, Paradysum prædicat, animarum immortalitatem docet expreßè. De veritate, fide, spe, & charitate brevia, sed eximia, quibus per gradus quasi postliminio ad Deum reduces efficiamur,*

tradit dogmata: Pater, *ait* Zoroastres, *perficit omnia, & tradidit secundæ menti, quam universum genus humanum tanquam primum, colit. Quod (addit Mornæus) interpretatus* Pletho *Gemistus Platonicus, per hanc secundam mentem, secundum* Deum *intelligi dicit, qui patrem sequitur, & à patre genitus est, quemq́; multi primum arbitrati sunt, quia* Deus *per eum creavit mundum. Verùm, inquit, pater creavit formas intellectuales, quas huic menti tradidit dispensandas.* En *(concludit ille) secundam personam genitam à patre. Notatu etiam digna videntur esse ea, quæ citantur* à Proclo lib. 2. & 3. in Parmenidem *his verbis:*

Νοῦς πατρὸς ἐῤῥοίτησε νοήσας ἀκμάδι βουλῇ
Παμμόρφους ἰδέας, πηγῆς δὲ μιᾶς ἀποπτᾶσαι
Ἐξέθορον, πατρόθεν γὰρ ἔην βουλή τε τέλος τε,
Ἀλλ' ἐμερίσθεισαν νοερῷ πυρὶ μοιρηθεῖσαι
Εἰς ἄλλας νοεράς, κόσμῳ γὰρ ἄναξ πολυμόρφῳ
Προὔθηκεν νοερὸν τυπὸν ἄφθιλον, οὗ κατὰ κόσμον
Ἴχνος ἐπειγόμενος, μορφῆς μέτα κόσμος ἐφάνθη
Παντόιοις ἰδέαις κεχαρισμένος, ὧν μιὰ πηγή.

Mens

Mens patris effudit deliberando & firmo consilio
Multiformes ideas, ab uno autem fonte avolantes
Exilierunt, quia à Patre cõsilium & finis,
Sed divisæ sunt intellectuali igne destinatæ
In alias intellectuales. Mundum enim rex antè multiformem.
Produxerat intellectualem typum incorruptum, ad cujus
Vestigium exigens mundum, mundus apparuit
Omnigenis ideis donatus, quarum unus fons.

Item de amore ——— ὃς ἐκ νόου ἔκθορε πρῶτος
Ἑσσάμενος πυρὶ πῦρ συνδέσμιον, ὄφρα κεράσῃ
Πηγαίους κρατῆρας ἑοῦ πυρὸς ἄνθος ὑπίσχων.
Amor divinus primus exilijt ex intellectu
Indutus igni, ut igneum vinculum est, ut temperaret
Canales fontium, expanso desuper calore suo.

Plura lege apud Mornæum.

Sequitur nunc Trismegistus, *qui floruit circa annum mundi 2435. peregrinationis Abrahæ 412. atq; ita circa tempora Moisis, ante Christum natum 1528. circiter annis. Hunc asserunt Ægyptiis præ-* 2. Trismegistus.

 fuisse,

fuiſſe, & leges, literasq; tradidiſſe: ſed literarum characteres, animalium, arborumq; figuras habuiſſe. Dictus autem eſt Triſmegiſtus, non, ut quidam volunt, quòd & Philoſophus maximus, & ſacerdos maximus, & maximus deniq; rex; fuerit: ſed (ſi Steuchio credimus) quoniam omne perfectum & omnibus numeris abſolutum ſic appellaretur Græcis. Ita enim Homerus perfectè beatos τρισμάκαρας, *valdè impium* τρισκατάρατον *dixit: ut Mercurius ob inauditum ingenium ac ſcientiam Termaximi nomen ſibi acquiſiverit.* Vide Lactant. lib. 1. cap. 6. *De Triſmegiſto hoc ita Diodorus Siculus* Biblioth. hiſt. lib. 1. pag. 10. A. B. Apud eum (*intellige Oſirim*) in maximo ante omnes honore fuit Hermes (*id eſt Mercurius*) eximiâ ingenij perſpicuitate in excogitandis vitæ humanæ commodis inſtructus. Hic enim primus (ut ferunt) & communem loquelam articulatim diſtinxit, & multis rebus nomine deſtitutis, nomen indidit. Literas invenit, Deorum cultus & ſacrificia ordinavit. Diſtributam aſtrorum ſeriem, vocumq; harmonias, & naturas, princeps obſervavit; Palæſtræ inſuper inventor; numeroſæ concinnitatis & corporis decorè effingendi ſtudioſus artifex, Lyræ à ſe inventæ tres chordas induxit, anni tempora imitatus. Tres enim tonos fecit: acutum, medium, gravem. Acutum ab æſtate, gravem ab hyeme, medium à Vere deſumpſit. Græcis elocutionis Magiſter fuit, unde

unde Hermes (id eſt enunciator & interpres) vocatur. Oſiridis denique notarius erat ſacrorum, cum quo is omnia communicabat, & cujus maximè conſilio utebatur. *Apud Platonem in Phædro & Philebo, item apud Lactantium lib. 1. cap. 6. vocatur* Theuth, *&, autore Iamblicho*, de myſt. 39. cap. 36525. *volumina, hoc eſt, interprete Mornæo, 36525. folia conſcripſit.* Videatur Euſeb. lib. 1. de præparat. Evang. c. 6. Auguſt. de civit. Dei lib. 8. cap. 23. 24. 26. *Hic quoq; Trinitatem exactè noviſſe, confeſſus fuiſſe, & docuiſſe, dicitur. Vt enim ex multis ſententiis & dictis tantùm unum atq; alterum adferamus, apud Cyrillum* lib. 1. contra Julianum & in Pœmand. cap. 1. *in hæc verba loquitur*: Ego ſum DEUS, *inquit*, lux & Mens, DEUS tuus, natura illa humida antiquior, quæ ex umbra prodijt. Splendidus verò hic λόγος, qui ex mente procedit, DEI filius. Quod in te videt, auditque Domini λόγος: mens autem DEUS pater. Non differunt hi inter ſe, & amborum unio, unio vitæ eſt &c. *Item*: Opifex hic DEI univerſorum Domini, λόγος, primam, ſecundùm illum, poteſtatem habet, non creatus, infinitus, ab eo procedens, imperat omnibus, quæ DEUS fecit, & perfectiſſimi perfectus primogenitus, & genuinus filius eſt. *Huncq; λόγον vocat*: intellectualem, æternum, immutabilem, incorruptibilem, incrementi & decrementi expertem,

primum

primum ſecundùm DEUM *&c. Apud Lactantium* lib.4.de vera ſap.c.6. *ex Hermetis libro qui* ὁ λόγος τέλειος *inſcribitur, hæc allegantur verba:* ὁ κύριος καὶ τῶν πάντων ποιητὴς, ὃν θεὸν καλεῖν νενομίκαμεν, ἐπεὶ τὸν δεύτερον ἐποίησε θεὸν ὁρατὸν καὶ αἰσθητόν. αἰσθητὸν δέ φημι οὐ διὰ τὸ αἰσθέσθαι αὐτὸν (περὶ γὰρ τούτου οὐκ ἔστι πότερον αὐτὸς αἴσθοιτο) ἀλλ᾽ ὅτι εἰς αἴσθησιν ὑποπέμπει καὶ ἐς νοῦν. ὅτι οὖν τοῦτον ἐποίησε πρῶτον καὶ μόνον καὶ ἕνα. καλὸς δὲ αὐτῷ ἐφάνη καὶ πληρέστατος πάντων τῶν ἀγαθῶν. ἡγίασέ τε καὶ πάνυ ἐφίλησεν ὡς ἴδιον τόκον. Dominus, atq; omnium creatòr, quem Deum vocare cenſemus, quia ſecundum DEUM fecit viſibilem, & ſenſibilem. Senſibilem autem aſſero non ideo, quia ipſe ſentit (hoc enim non eſt utrum ipſe ſentiat) : ſed quia ipſe in ſenſum mittit & mentem. Quoniam ergo hunc fecit primum & ſolum & unum, pulcher autem ei viſus eſt, & pleniſſimus omnium bonorum, ſanctificavitq; & amavit quaſi proprium filium. *De tertia perſona, inquit Mornæus, obſcurius loquitur, & allegat dictum ex Aſclep. c. 5. & 7,* Omnes in hoc mundo ſpecies uno ſpiritu vivificantur. Unus ſpiritus implet omnia. Mundus alit corpora, ſpiritus animas. Spiritus verò DEI, voluntati ſubjectus eſt, tanquam ejus machina ſeu organum. Item: omnia hoc ſpiritu indigent, ſingula fovet, vegetat, vivificat, pro quo

quæq;

quæq; modulo, & à sancto fonte procedit, & omnium viventium, omnium spirituum subsidium & præsidium est. *Tres etiam hypostases conjunctim videtur alicubi invocare*: O vita, *inquit*, serva in me, quod in me est, ô lumen & DEUS spiritus illumina me totum : ô opifex, qui spiritum tuum circumgeris; regat me verbum tuum. O Domine, tu DEUS unus es. *Plura lege apud Mornæum & Patricium.*

Progrediemur nunc, filum Mornæi secuti, ad Græcos: inter quos antiquißimus est Orpheus. *Floruit* 3. Orpheus.
enim teste Caßiodoro, temporibus Sosarmi, vigesimi sexti Assyriorum regis, hoc est, circa annum mundi 2713. Ante Christum natum 1250. Circiter annis. De hoc Orpheo ita Diodorus Siculus lib. 4. Bibl. hist. pag. 162 A. Orpheus, *inquit*, Oeagri filius, & patria Thrax fuit, eruditione, ac melodiæ, artisq; Poëticæ scientiâ omnes post hominũ memoriam antecellens. Poëma enim mirificum & concinnitate modorum excellens composuit. Et usque adeo gloria ejus excrevit, ut modulatissimis carminum sonis feras & arbores delinire putaretur. Cùm verò doctrinæ studijs addictus, non vulgarem in Theologia veterum scientiam comparasset: in Ægyptum profectus, multa insuper didicit, ita ut inter Græcos omnes tum imitationum & Theologiæ peritiâ, tum poëmatum & melodiarum artificio præstantissimus haberetur. Argonautarum quoq; expeditioni se adjunxit, & uxoris amore stimulatus ad inferos

inferos miro quodam auſu penetravit: Ubi Perſephonem, ſuavitate cantus illectam, permovit, ut deſiderio ejus morem gerens, conjugem nuper defunctam ab inferis reducendam concederet &c. Vide eundem Diodorum lib. 1. bibl. hiſt. pag. 14. B. lib. 3. pag. 139. C. &c. *Hic quoq; Trinitatem confiteri videtur, quando inquit:*

Εἰς δὲ λόγον θεῖον βλέψας, τούτῳ προσέδρευε
ἰθύνων κραδίης νοερὸν κύτος, εὖ δ' ἐπίβαινε
Ἀτραπιτοῦ, μοῦνον δὲ ἐσόρα κόσμοιο τυπώτην
Ἀθάνατον, παλαιὸς δὲ λόγος περὶ τοῦδε φαείνει
Ὡς ἔστ' αὐτοτέλης, &c. ———

In Dei verbum aſpiciens, huic adſis ſemper
Defigens Cordis intellectuale vas, recteq; inſiſte
Tramitem; ſolùm autem intuere mundi Formatorem
Immortalem, quem ſermo antiquus declarat
Quòd perfectus eſt. ——— *Et paulo poſt:*

Οὐρανὸν ὁρκίζω σε θεοῦ μεγάλου σοφὸν ἔργον,
Αὐδὴν ὁρκίζω σε πατρὸς, τὴν φθέγξατο πρώτην.

Adjuro te cœlũ, ſapiens opus Dei magni,
Vocem adjuro te patris, quam protulit primam. &c.

Quam

Quam precationem ex Mercurio habuisse apparet. Sic enim Trismegistus apud Suidam in Merc. Adjuro te cœlum, sapiens sapientis DEI opificium: Adjuro te vocem, quam DEUS, cùm mundum condidit, pronunciavit primam: Adjuro te per unigenitum verbum, perque, qui omnia continet, patrem.

4. Pythagoras.

Pythagoras *Italicorum Philosophorum, teste Laërtio* lib. 8. in vitâ Pythagoræ, *princeps, Mnesarchi, annulorum sculptoris, filius, floruit eo tempore, quo Romæ regnabat VI. Rex Romanorum* Servius Tullus, *hoc est, circa annum mundi 3400, & ante Christum natum annis 563. ut docet Livius* lib. 1. ab urbe. *Auditores habuisse fertur non pauciores sexcentis, qui noctu ad eum audiendum confluebant. Primus* τῆς μετεμψυχώσεως, *hoc est, transfusionis animarum in alia corpora, (quam tamen sententiam teste Diodoro Siculo, ex Ægypto secum attulerat) astructor & assertor fuit:* Videatur Laërtius loco allegato. Diodorus Siculus lib. 1. bibl. hist. pag. 62. B. item lib. 5. pag. 212. C. *His, teste Iamblicho, Philosophiam Orphei semper ob oculos habuit. Unde creationem Sapientiæ tribuit, atq; Proclus autor est, tres DEOS celebravit, quem & postea Plato imitatus est: imo, ut* Aristoteles *tradit, Pythagorei in numero ternario omnem perfectionem collocarunt.*

5. Sibyllæ.

Testimonia quoq; Sibyllarũ *audiemus, si prius recitaverimus ea, quæ ex Varrone de Sibyllis citat Lactantius* li. 1. de vera relig. c. 6. M. Varro, *inquit,* quo

quo nemo unquam doctior, ne apud græcos
quidem nedum apud Latinos vixit; in libris
rerum divinarum, quos ad C. Cæsarem Pontificem maximum scripsit: cum de quindecim viris loqueretur, Sibyllinòs libros, ait, non fuisse unius Sibyllæ; sed appellari uno nomine Sybillinos, quòd omnes fœminæ vates Sibyllæ sunt à veteribus nuncupatæ, vel ab unius Delphidis nomine; vel à consilijs Deorum denunciandis: σιὸς enim DEOS, non θεὸς: & consilium non βουλὴν, sed βυλὴν appellabant Æolico genere sermonis. Itaq; Sibyllam dictam esse quasi θεοβούλην. Cæterùm Sibyllas decem numero fuisse; easque omnes enumeravit sub authoribus, qui de

Sibyllæ decem.

1. singulis scriptitarunt. Primam fuisse de
Persis; cujus mentionem fecerit Nicanor,
qui res gestas Alexandri Macedonis scripsit:
2. Secundam Libyssam; cujus meminit Euri-
3. pides in Lamiæ prologo: Tertiam Delphi-
cam; de quâ Chrysippus loquitur in eo li-
4. bro, quem de divinatione composuit: Quar-
tam Cumæam in Italiâ; quam Nævius in li-
bris belli Punici; Piso in annalibus nomi-
5. nat: Quintam Erythræam; quam Apollo-
dorus Erythræus affirmat suam fuisse civem:
eamq; Graijs Ilium petentibus vaticinatam,
„ & perituram esse Trojam; & Homerum
6. „ mendacia scripturum: Sextam Samiam; de
quâ scripsit Eratosthenes in antiquis annali-
7. bus Samiorũ reperisse se scriptum: Septimam
Cuma-

Cumanam, nomine Amaltheam; quæ ab alijs
Demophile, vel Herophile nominatur: eamq;
novem libros attulisse ad regem Tarquini-
um Priscum; ac pro eis trecentos Philippeos
postulasse; Regemq; aspernatum precij ma-
gnitudinem, derisisse mulieris insaniam: il-
lam in conspectu regis tres combussisse; ac
pro reliquis idem precium postulasse: Tar-
quinium multo magis mulierem insanire
putasse. Quæ denuo tribus alijs exustis, cùm
in eodem precio perseveraret, motum esse
regem, ac residuos trecentis aureis emisse:
quorum postea numerus sit auctus, capitolio
refecto; quòd ex omnibus civitatibus & Ita-
licis & Græcis, præcipuè Erythræis coacti al-
latiq; sunt Romam, cujuscunq; Sibyllæ no-
mine fuerunt: Octavam Hellesponticam, in 8.
agro Trojano natam, vico Marpesso, circa
oppidum Gergithium; quam scribit Heracli-
des Ponticus Solonis & Cyri fuisse tempori-
bus: Nonam Phrygiam; quæ vaticinata sit 9.
Ancyræ: Decimam Tiburtem, nomine Al- 10.
buneam; quæ Tiburi colitur, ut Dea, juxta ri-
pas Anienis: cujus in gurgite simulacrum e-
jus inventum esse dicitur, tenens in manu li-
brum: cujus sacra senatus in Capitolium
transtulerit. Harum omnium Sibyllarum
carmina & feruntur, & habentur, præter-
quam Cumææ: cujus libri à Romanis occu-
luntur; nec eos ab ullo, nisi à quindecim vi-
ris, inspici fas est. Et sunt singularum singu-
 li li-

li libri qui, quia Sibyllæ nomine inscribuntur; unius esse creduntur: suntq; confusi, nec discerni, ac suum cuiq; assignari potest, nisi Erythreæ, quæ & nomen suum carmini verum inseruit, & Erythræam se nominatum iri prælocuta est. *De Sibyllis lege elegantissimum locum apud Tacitum* lib. 5. Annalium.

Sibyllæ hæ multa clarißimè de Meßiâ, imò, ut nonnulli putant, clarius prædixerunt quàm Prophetæ. Et vetustißimi patres, Iustinus, Athenagoras, Clemens Alexandrinus, Lactantius, Augustinus, *& alij Sibyllarum testimonia citant frequentißimè. Quin Clemens* lib. 6. Strommatum *dicit* Paulum Apostolum *gentiles hortatum fuisse ad lectionem Sibyllarum. Extat etiam carmen Sibyllæ Erythrææ* (*de quâ* Augustinus *ait*, lib. 18. de civit. Dei cap. 23. in fin: nonnulli sane Erythræam Sibyllam non Romuli, sed belli Trojani tempore fuisse scripserunt) *satis celebre, cujus capitales literæ faciunt hanc sententiam:* JESUS CHRISTUS DEI FILIUS SALVATOR: *quod legi potest in oratione Constantini Magni ad sanctorum cœtum, quæ extat apud Eusebium post Constantini vitam. Inter alia etiam meminit Constantinus, Ciceronem in isthæc carmina incidisse, eaq; latina fecisse. Et licet quidem illa in operibus Ciceronis non habeantur: libro tamen secundo de divin. affirmat* Cicero, *se carmina Sibyllæ vidisse, quæ literis initialibus certam reddiderunt sententiam, quod genus Carminis dicitur* ἀκροστιχίς. *Unde manifestum est, cum alia Sibyllæ carmina, quorum literæ capitales aliquid*

aliquid certi significent, non extent, Ciceronem hæc ipsa legisse. De hoc ipso carmine ita Augustinus lib. 18. de civit. Dei ad Marcellinum c. 23. Vir clarissimus, *inquit*, Flaccianus, qui etiam proconsul fuit, homo facilimæ facundiæ, multæq; doctrinæ, cùm de Christo loqueremur, græcum nobis Codicem protulit, Carmina dicens esse Sibyllæ Erythrææ, ubi ostẽdit, quodam loco in capitibus versuum ordinem literarum ita se habentem, ut hæc in eo verba legerentur: Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτὴρ: quod est Latinè: JESVS CHRISTVS DEI FILIVS, SALVATOR. *Qui versus græci ut ab Eusebio* ἐν τῷ λόγῳ βασιλικῷ *ponuntur, hi sunt:*

Ἰ δρώσει γὰρ χθὼν, κρίσεως σημεῖον ὅτ' ἔσται.
Ἥ ξει δ' οὐρανόθεν βασιλεὺς αἰῶσιν, ὁ μέλλων
Σ άρκα παρὼν κρῖναι πᾶσαν, καὶ κόσμον ἅπαντα.
Ὄ ψονται δὲ θεὸν μέροπες πιστοὶ καὶ ἄπιστοι.
Ὕ ψιστον μετὰ τῶν ἁγίων ἐπὶ τέρμα χρόνοιο
Σ αρκοφόρον, ψυχὰς δ' ἀνδρῶν ἐπὶ βήματι κρινεῖ.
Χ έρσος ὅτ' ἄν ποτε κόσμος ὅλος, καὶ ἄκανθα γένηται.
Ῥ ίψουσιν δ' εἴδωλα βροτοὶ, καὶ πλοῦτον ἅπαντα.

† Hic versus in nonnullis exemplaribus hoc loco, inseritur.

Ἐκκαύσει † δὲ τὸ πῦρ γῆν, οὐρανὸν, ἠδὲ θάλασσαν

Ἰ χνεῦον ῥήξει τε πύλας εἱρκτῆς ἀΐδαο.

Σ ὰρξ τότε πᾶσα βροτῶν ἐς ἐλευθέριον φάος ἥξει.

Τ ῶν ἁγίων: ἀνόμους δὲ τὸ πῦρ αἰῶσιν ἐλέγξει.

Ὁ ππόσα τὶς πράξας ἔλαθεν, τότε πάντα λαλήσει.

Σ τήθεα γὰρ ζοφόεντα θεὸς φωστῆρσιν ἀνοίξει.

Θ ρῆνος δ᾽ ἐκ πάντων ἥξει, καὶ βρυγμὸς ὀδόντων.

Ἐ κλείψει σέλας ἠελίου, ἄστρων τε χορεῖαι.

Ὀ υρανὸν εἱλίξει, μήνης δέ τε φέγγος ὀλεῖται.

Ὑ ψώσει δὲ φάραγγας, ὀλεῖ δ᾽ ὑψώματα βουνῶν.

Ὕ ψος δ᾽ οὐκ ἔτι λυγρὸν ἐν ἀνθρώποισι φανεῖται.

Ἶ σά τ᾽ ὄρη πεδίοις ἔσται, καὶ πᾶσα θάλασσα

Ο ὐκ ἔτι πλοῦν ἕξει, γῆ γὰρ φρυχθεῖσα κεραυνῷ.

Σ ὺν πηγαῖς ποταμοὶ καχλάζοντες λείψουσι.

Σάλ

Σάλπιγξ δ' οὐρανόθεν φωνὴν πολύθρηνον ἀ-
φήσει :
Ὠρύουσα μύσος μελέων, καὶ πήματα κόσμου.
Ταρτάρεον δὲ χάος τότε δείξει γαῖα χα-
νοῦσα.
Ἥξουσιν δ' ἐπὶ βῆμα θεοῦ βασιλῆες ἅπαν-
τες.
Ῥεύσει δ' οὐρανόθεν ποταμὸς πυρὸς, ἠδέ γε
θείου.

Latinè redditi hi verſus extant apud Auguſtinum loco allegato, ubi inquit : Hi autem verſus quorum primæ literæ iſtum ſenſum, quem diximus, reddunt, ſicut eos, quidam Latinis extantibus verſibus eſt interpretatus, hæc continent :

Iudicij ſignum, tellus ſudore madeſcet.
E cælo rex adveniet per ſecla futurus :
Scilicet in carnem, præſens ut judicet orbem,
Vnde DEVM cernent incredulus atq; fidelis,
Celſum cum ſanctis, ævi jam termino in ipſo.
Sic animæ cum carne aderunt, quas judicet ipſe.
Cum jacet incultus denſis in vepribus orbis.
Rejicient ſimulacra viri, cunctam quoq; gazam;

Exuret terras ignis, pontumq; polumq;
Inquirens, tetri portas effringet Averni.
Sanctorum sed enim cunctæ lux libera carni
Tradetur, sontes æterna flamma cremabit.
Occultos actus retegens, tunc quisq; loquetur
Secreta, atq; D E V S reserabit pectora luci.
Tunc erit & luctus, stridebunt dentibus omnes.
Eripitur solis jubar, & chorus interit astris.
Solvetur cælum, lunaris splendor obibit:
Dejiciet colles, valles extollet ab imo:
Non erit in rebus hominum sublime, vel altum.
Iam æquantur campis montes, & cærula ponti:
Omnia cessabunt, tellus confracta peribit.
Sic pariter fontes torrentur, fluminaq; igni.
Sed tuba tunc sonitum tristem dimittet ab alto
Orbe, gemens facinus miserum, variosq; labores:

Tarta-

Tartareumq; chaos monstrabit terra dehiscens.

Et coram hic Domino reges sistentur ad unum.

Decidet è cælis ignisq; & sulphuris amnis.

Hæc ipsa Sibylla Erythræa, allegante Lactantio lib. 4. cap. 6. *in carminis sui principio, quod à summo Deo exorsa est, filium Dei ducem & imperatorem omnium his verbis prædicat:*

Παντατρόφον κτίστην ὅστις γλυκὺ πνεῦμα ἅπασι

Κάτθετο, χ' ἡγητῆρα θεῶν πάντων ἐποίησε.

Omnium nutritorem, creatoremq;, qui dulcem spiritum omnibus

Apposuit, ac principem omnium Deorum fecit.

Et rursus in fine ejusdem carminis:

Αὐτὸν ἔδωκε θεὸς πιστοῖς ἄνδρεσι γεραίρειν.

Eum dedit DEUS fidelibus viris honorare.

Et alia Sibylla præcipit hunc oportere cognosci:

Αὐτὸν σὸν γίνωσκε θεὸν θεοῦ υἱὸν ἐόντα

Ipsum tuum cognosce Deum, qui Dei filius est.

Et iterum Lactantius lib. eodem cap.18. Hæc autem, *inquit*, sic futura fuisse (*loquitur autem de passione Christi*) & Prophetarum vocibus, & sibyllinis carminibus denunciatum est. Apud Esaiam ita scriptum invenitur: Non sum contumax, neq; contradico, dorsum meum posui ad flagella, & maxillas meas ad palmas: faciem autem meam non averti à fœditate sputorum. Similiter David in Psal. 34. Congregata sunt super me flagella, & ignoraverunt: dissoluti sunt nec compuncti sunt: tentarunt me & deriserunt derisu: & striderunt dentibus suis super me. Sibylla eadem futura monstravit.

Εἰς ἀνόμων χεῖρας, καὶ ἀπίστων ὕστερον ἥξει,
Δώσουσιν δὲ θεῷ ῥαπίσματα χερσὶν ἀνάγνοις,
Καὶ στόμασιν μιαροῖσι τὰ πλύσματα φαρμακόεντα.
Δώσει δ' εἰς μαστίγας ἁπλῶς ἁγνὸν τότε νῶτον.

In manus iniquorum, & infidelium postea veniet:
Dabunt Deo alapas manibus incestis:
Et faucibus immundis expuent salivas virulentas:
Dabit autem in verbera simpliciter innocens tunc dorsum.

Et iterum,

Καὶ

Καὶ κολαφιζόμενος σιγήσει, μήτις ἐπιγνῷ
Τίς λόγος, ἢ πόθεν ἦλθεν, ἵνα φθιμένοισι λαλήσῃ,
Καὶ στέφανον φορέσει τὸν ἀκάνθινον. ——
Et colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoſcat
Quod verbum, & unde venit, ut mortuis loquatur:
Et coronam portabit ſpineam. *Plura lege apud eundem Lactantium loco allegato.*

Ad Apollinem *quoq;* Seraphin *progrediemur.* 6.
Apollo conſultus de verâ religione, reſpondit: Apollo.

Μὴ ὄφελες πύματόν με καὶ ὕστατον αὐτὸς ἔρεσθαι
Δύστηνε προπόλων περὶ θεσπεσίης γενέτηρος,
Ἀμφί τε τηλυγέτοιο πανομφαίου βασιλῆος,
Καὶ πνοιῆς ἣ πάντα πέριξ βοτρυδὸν ἐείχει,
Οὔρεα, γῆν, ποταμοὺς, ἅλα, τάρταρον, ἠέρα, πῦρ τε.
Οἵ με, καὶ οὐκ ἐθέλοντα δόμων ἀπὸ τῶνδε διώξει,
Αὐτίκ' ἐρημαῖον δὲ λελείψεται οὖδος ἀφήτωρ.
Ne me extremum & ultimum velis ipſe rogare

Infelix ſacerdos de divino genitore,
Deque charo & unico filio celeberrimi
Regis,
Et ſpiritu, qui omnia circum affatim continet;
Montes, terram, fluvios, mare, tartara, aërem, ignem:
Hei me etiam nolentem ſpiritus ille his
ædibus expellit:
Actutumque deſertum linquetur limen
hoc vatidicum.

Idem penè Porphyrius rogatus, quis præſtantior, λόγος an lex? reſpondit apud Auguſtinum lib. 19. de civitate Dei cap. 23. *Fuit Ægypti totius Rex Thulis, à quo propagatis ad Oceanum imperij limitibus, Thule inſula habere nomen creditur. Hic opibus viribusque inſoleſcens, Seraphin, primarium apud Ægyptios dæmonem, ita rogavit, & conſuluit:* Φράσον ἡμῖν πυριοθενὲς, ἀψευδὴ μάκαρ ὁ τὸν αἰθέριον μετεγκλίνων δρόμον, τίς πρὸ τῆς ἐμῆς βασιλείας ἐδυνήθη τοσαῦτα, ἢ τίς ἔσται μετ᾽ ἐμέ; *Reſpondit Dæmon:*

Πρῶτα θεὸς, μετ᾽ ἔπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς,
Πάντα δὲ σύμφυτα ταῦτα, καὶ εἰς ἓν ἰόντα
τέτοκται,
οὗ κράτος αἴδιον. ποσὶν ὠκέσι θνητὲ
βάδιζε.

Τὸν

Τὸν βίον οὐ δῆλον διανύων, σοῦ πολὺ κρείσσων.

Primus DEUS, dein verbum & ſpiritus cum his, Omnia verò cognata illa, & in unũ compacta, cujus poteſtas æterna: citis pedibus mortalis abi, Vitam qui ignotam transegit, te potior eſt multo. *Quibus pronunciatis cum è templo exiiſſet, à ſuis mox eſt jugulatus.* Cœl. lib. 2. c. 12. Antiq. Lection. *Etſi quidem, ut in præcedentibus ex Lactantio docuimus, Sibyllinorum verſuum exemplar ita religiosè fuit aſſervatum, ut nemini, niſi quindecim illis viris ad inſpiciendum aditus pateret, cum DEOS immortales publicè conſulendos arbitrabantur, ut Gellius ait* lib. 1. c. 19. *Veruntamẽ eorundem verſuum alia exemplaria ex multis, tum Italiæ, tum Græciæ oppidis allata, vel transſcripta permultos etiam Romanorum (quanquam edicto Augusti vetitum fuiſſet) habuiſſe veriſimile eſt: ut propterea credi par ſit, ipſum quoq;* Virgilium *Cumæi vaticinij, non modo auritum, ſed & oculatum fuiſſe teſtem, accuratumq; ejus indagatorem & inquiſitorem. Quandoquidem ex Sibyllino iſto Vaticinio Ecloga 4. de Christi adventu, ejus mirabili nativitate, & divinâ geneſi canit:*

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas:
Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo.
Jam redit & virgo, redeunt Saturnia regna:
Iam nova progenies cœlo demittitur alto.
Tu modò naſcenti puero, quo ferrea primùm.

Desinet,

Desinet, ac toto surget gens aurea mundo.
Casta fave Lucina: tuus jā regnat Apollo.

Augustinus enim lib. 10. de civit. DEI c. 1. *censet, totam illam Eclogam de Christi adventu loqui, & multo ante de eo pronunciatum Sibyllæ Erithreæ vaticinium, describere & continere; quæ de nullo alio, quàm Christo intelligi queant: qualis est hic versus:*

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.

Quo versu docet Virgilius, jam advenisse illa tempora, quæ Sibylla Cumæa de adventu Christi prædixerat. Item hi versus:

Aggredere ô magnos (aderit jam tempus) honores,
Cara Deûm soboles, magnum Jovis incrementum.
Aspice convexo nutantem pondere mundum,
Terrasq;, tractusq; maris, cœlumq; profundum:
Aspice, venturo lætentur ut omnia seclo.

Qui versus de nullo alio, quàm Christo intelligi posse videntur. Quis enim Cæsarem sobolem DEI *esse dixerit? vel quod majus, Iovis incrementum? Etiam (ut habet Anton. Guibert.* in suo Apologet.) *tropis omnibus perpensis, quibus Poëta utitur, non nisi de Christo intelligi is locus potest.*

7. Parmenides. *Vt autem ad Philosophos revertamur,* Parmenides Pythagoreus *floruit circa annum mundi 3500, ante Christum natum 1463. Hic, ut testatur Plutarchus in Cosmogoniâ: amorem omnium rerum principium esse dicit: imo apud Platonem disputans trium hypo-*

hypostaseωn nonnulla reliquit vestigia, quæ etiam à Plotino observata sunt Ennead. 4. lib. 1. c. 8. *Zeno quoq;, qui omnium Stoicorum parens & dux est,* 8. Zeno.
λόγον DEVM *esse & spiritum Iovis.* Alcinous 9. Alcinous.
de doctrinâ Platonis dicit, Socratem & Platonem docere DEVM *esse mentem seu intellectum, in eo Ideam unam subsistere; hanc verò, si ad* DEVM *referatur, esse sui cognitionem: si ad mundum, ejus archetypum: si ad seipsam, Essentiam, hoc est, ut interpretatur* Mornæus, *Ideam hanc essentiam esse, quam* DEVS *per sui cognitionem gignit, & per quam* DEVS *fabricavit mundum.* D. Augustinus *post 20. ætatis annum perlectis Platonicorum quorundam libris, qui ea, quæ à* D. Iohanne Evangelistâ *in principio sui Evangelij traduntur, magnâ ex parte, licet verbis diversis, continebant, plurimum ibi lucis & authoritatis ad Catholicas scripturas legendas & intelligendas se percepisse testatur* lib. 7. Confess. c. 9. Et Plato *ipse in Epinomide:* Unaquaq;, *inquit,* stella peragit cursum suum, secundùm ordinem, quẽ præstituit ὁ τῶν πάντων θειότατος λόγος divinissimum verbum. *Et* lib. 6. de Republ. *vocat λόγον ἔκγονον τοῦ ἀγαθοῦ: Prolem seu filium Boni, omni ex parte simillimum Bono: quia, ait, bonus est, tanquàm sol ipse. Filius verò Boni, ceu virtus illa, cujus participatione videmus.* Videatur Plato in Epistolâ ad Hermiam, Erastum, Coriscum, & alibi. item Mornæus de ver. religion. Christ. c. 6.

Assertio negativa, de Trinitatis cognitione inter Ethnicos.

Probavimus itaq; hactenus Trinitatem à Philosophis cognosci potuisse, illisq; cognitam fuisse. Ve-

rum-

rumenimvero nos nihilominus in nostrâ perseveramus sententiâ: Trinitatem personarum in unitate simplicissimâ & purissima essentiæ divinæ neminem, nisi divinitus informatus & ex sacris literis institutus sit, agnoscere. *Sic enim disputat Philosophus: Quæcunq; conveniunt in uno tertio, inter se conveniunt: Atqui tres personæ, juxta Christianorum sententiam, conveniunt in uno tertio, nēpè in unâ essentiâ, in quâ planè unum idemque sunt: Ergo inter se conveniunt; & per consequens neque realiter, neque formaliter sunt distinguendæ.* Excipiunt Christiani, *se statuere quidem, quòd in unâ eâdemq;, & quidem numero unâ conveniant essentiâ, atq; ab illâ non re, sed ratione duntaxat personæ differant: inter se tamen distinguantur realiter. Quid Philosophus? implicare, respondet, rationem Christianorum contradictionem. Nam quomodo possunt esse tria supposita seu hypostases, ubi una numero est essentia? Vna enim numero essentia, est unum suppositum & individuum: Vnum verò individuum amplius dividi nequit: exempli causâ: Aristoteles habet unam essentiam numero: Ergo & unum suppositum, & unum individuum est. Ergo amplius dividi nequit in Socratem, & Platonem. Imo inferre potest Philosophus, quando Christiani asseverant, personas inter se reipsâ distinctas esse, in essentiâ verò simpliciter & realiter idem; adeo ut tres illæ personæ nullo modo aut ratione constituant tres* DEOS; *quòd perinde sit, ac si quis velit ex his tribus nominibus (Marcus, Tullius, Cicero) tres facere personas inter se realiter distinctas, in essentiâ*

sentiâ verò Consulis Romani (qui patriæ pater dictus fuit Juvenalis Satyr. 8.

Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit) *realiter unire: quod absurdißimum. Vnde etiam Averoës, ut Ethnicus Philosophus, rejecit Christianorum sententiam de Trinitate personarum in unâ essentiâ divinâ. Et hoc, inquit,* lib. 12. Metaph. com. 39. pag 340. C. putaverunt antiqui, divinitatem esse in DEO ut substantia, & voluerunt evadere per hoc, & dicere quia fuit trinus & unus DEUS, & nesciverunt evadere: quia, cùm substantia fuerit numerata, congregatum erit unum per unam intentionem additam congregato, &c.

Ad rationes supra allatas quod attinet, probabiliter quidem aliquid inferunt: in quo tamen ratio quiescere minimè potest. Nam concedatur primum argumentum; *inde tamen nondum sequitur, quod Christiani statuunt: filium ab æterno genitum esse à patre, & Spiritum sanctum ab utroque proceßisse. Item filium, & Spiritum sanctum æqualem esse patri &c. Posset enim ex ijsdem præmißis inferri: filium, ut secundarium* DEUM, *ita & Spiritum sanctum ab æterno creatum esse. Vnde sequeretur essentiæ pluralitas. Vel non personas illas, sed mundum ab æterno à* DEO *esse productum, ut vult* Aristoteles, *& quidem infinitum, ut delirat* Patricius. *Deinde si argumentum hoc secundùm sententiam Christianorum deberet concludere; tum dicendum foret.*

Responsio ad argumenta partis affirmativæ.

Ad 1. argumentum.

ret, quòd pater, filius, & Spiritus sanctus, sint unum illud & infinitum bonum. Cùm itaque bonum infinitum sit communicativum infinitè, sequeretur inde; quòd pater, filius, & Spiritus sanctus, infinitum illud bonum, infinitè & quidem ab æterno aliquid à se distinctum produxisset. Verumenimvero sciendum hic est, quòd DEVS non tantùm sit bonum: sed etiam
» *liberum agens, & sapiens. Pro libertate itaq; suâ sa-*
» *pienti bonitatem suam communicat, quando vult, &*
» *ubi vult. Id enim bonum non est verè bonum, quod*
» *simpliciter communicat; sed id verum est, quòd se-*
» *cundùm Prudentiæ regulam, quando oportet, & ubi oportet, suam bonitatem distribuit. Cùm itaq; DEVS pater, DEVS filius, DEVS spiritus sanctus, DEVS ille trinus & unus; verum illud summum bonum, non prudens duntaxat sit; sed infinitè sapiens; pro suâ sapientiâ infinitâ bonitatem ab æterno noluit cum creaturis suis, sed in æternum cum fidelibus communicare.*

Ad alterum argumentum, *& quidem ejus minorem respondemus, distinguendo inter bonum simpliciter & inter bonum secundùm quid.* (Ad secundum.) *Habere con-*
» *sortium æqualium personarum, hoc est, amicos, bo-*
» *num est secundùm quid, & certi generis, non simpliciter: Licet enim virtutis caußâ veri amici eligantur: attamen subauditur hæc quoq; ratio, quòd in rebus adversis amicus amico sit solatio propter illam virtutem. Est itaq; bonum illud, bonum tantùm hominis, qui juxta Aristotelem est ζῶον πολιτικὸν & solitariè vivere nequit, propterea quòd sibi non sit*

omnia.

omnia. Vnde non perfectionis, sed imperfectionis hoc signum & argumentum est. Deus igitur, quia perfectißimus est, & sibi omnia, nulloq; indiget; ejusmodi æqualitatem personarum non desiderat: Desideraret enim aut ob jucunditatem, aut ob beatitudinem, aut ob sui conservationem. Omnia isthæc absurda esse, ex superioribus est manifestißimum. Vltimo neq; isto argumento, si omninò concederetur, evinci Christianorum posset fides. Nam non tantùm illo tres personæ; sed, quia infinitè concludit, infinitæ introduci possunt. Nam, ut in præcedentibus disputavimus, si tres possunt esse personæ æquales, & ejusdem rationis (ut forsan concludet argumentum) possunt plurimæ quoq; esse in infinitum. Nam quæ in duobus aut tribus individuis multiplicari potest forma, non habet suæ multiplicationis certos terminos; sed potest multiplicari in infinitum: In divinis verò esse & posse non differunt, 3. Phys. t. 32. Ergo si possunt esse personæ infinitæ, jam quoq; sunt infinitæ. Isto igitur argumento non tam tres, quàm infinitæ personæ concluduntur.

In tertio argumento sive Enthymemate consequentiam negamus: Nihil enim sequitur: Deus est undiq; perfectus: Ergo etiam sibi simile generat. Distinguimus enim iterum inter perfectionem simpliciter sic dictam, & inter perfectionem in certo genere. Generare sibi simile, non est simpliciter perfectio; sed perfectio animati: Illud enim animatum perfectum est, quod generando propagare & conservare potest suam speciem. Nam natura affectat æternitatem sive sempiternitatem. Cùm itaq; animatum sit natura sive naturale: Ergo & illud ejusmodi perfe- Ad tertium.

ctionem appetit. Quia autem illam in individuo habere & conservare nequeat, ne tamen omnino intereat, natura illi dedit facultatem generandi sibi simile. Quocirca cùm illud perfectius dicatur, quod in individuo constans & immutabile est, quàm quod saltem mutatis subinde individuis in specie & universali conservatur; manifestum est, argumentum à generatione sumptum, non perfectionis, sed imperfectionis argumentum esse. Deinde si hoc modo argui liceret, posset etiam quispiam alius inferre: Deus est undiq; perfectus: Ergo edit, bibit, &c. quia & hæc perfectio quædam est. Quemadmodum autem hoc nihil colligitur: ita etiam isto nihil concluditur. Tertiò si omnino concedatur argumentum, tum demonstratur eo saltem generatio filij & secunda Trinitatis persona: quo nondum satisfit fidei Christianæ: quâ etiam spiritum sanctum pro vero Deo agnoscimus. Vltimò non concluditur definitè una vel plures generationes: Vnde ita eodem modo inferri posset: Deus est undiq; perfectus: Atqui perfectius id est, quod plura generat sibi similia, quàm quod duntaxat unum producit: Ergo Deus plures ab æterno genuit filios, quàm unum: quod est contra fidem Catholicam.

Ad 4. Quartum argumentum *sunt scopæ dissolutæ:* Melius est Deum aliquid ab æterno produxisse, quàm otiosum fuisse: *Ergo ab æterno genuit filium. Cur non infers: ergo ab æterno creavit mundum? vel, ut vult Aristoteles, ab æterno fuit primus motor, & movit supremum cælum? Anne hoc eadem necessitate ad antecedens sequitur, atq; illud?*

Ad 5. & 6. Ad quintum & sextum argumentum *dicimus,*

mus, quod frustra omnis ratiocinatio ex imagine & similitudine ad ipsam Trinitatem adhibeatur: quia inter Trinitatem & imaginem secundùm Augustinum, semper plus est dißimilitudinis, quàm similitudinis.

In extremo quoq; argumento *nulla est efficacia. Primùm quia intellectio & voluntas in Deo est ipsa divina essentia, quæ in terminos distinctos non desinit; quemadmodum voluntas & intellectio nostra. Quocirca* ἀλόγως *concluditur, pater intellexit: Ergo intelligendo alteram produxit personam. Deindè negari non potest, quòd & Filius & Spiritus sanctus intelligat; nec tamen hic alium Spiritum, & hic alium filium producit. Vltimò etiam huc quadrat responsio ad sextum & septimum argumentum data. Nam ut omnia similia, teste Augustino, ita & hoc magis dißimile, quàm simile est.* Ad 7.

Atq; hoc responsum esto ad argumenta, quibus Trinitatem ex natura demonstrari posse nonnulli autumant. Sequitur nunc, ut videamus Philosophos & Poëtas, qui Trinitatem asseruisse creduntur. *Primùm itaq; de antiquißimis illis Philosophis, ut* Zoroastre, Trismegisto, Orpheo, Platone *&c. in genere respondemus, multa illos ex Patriarcharum & Prophetarum scriptis ad suam Philosophiam transtulisse, ut in specie constat de Platonicis ex Cyril.* 1. & 2. contra Iulian. *August.* lib. 8. de civitate Dei cap. 11. *Iustin.* in Paræn. *Clement.* in Protr. & Strom. *Eusebio & alijs. Non enim dubium est, apud Hebræos ut fuerunt Theologi omnium præstantißimi, Patriarchæ & Prophetæ;*

Respondetur 8. ad autoritates Philosophorum & Poëtarum, in genere.

ita quoq; apud eosdem prudentißimos sapientißimosq; omnium Philosophorum Philosophos, rerumq; indagatores solertißimos floruisse, per quos deinde ex Ægypto sanior Philosophia ad omnes gentes pervenit. Patriarchæ enim in Ægypto docuerunt, ad quos pervenerunt Græci discendi caußâ, ut refert Diogenes lib. 7. *ut etiam ex carmine Orphei ad Musæum filium manifestò apparet, qui etiam Ægyptiorũ Theologiâ fuit imbutus,* Diod. Sicul. lib. 1. Bibl. hist. p. 14. B. *Non itaq; Philosophia primùm in Græcorum & Ethnicorum cerebro nata est: sed ante illos etiam veram fuisse Philosophandi rationem constat. Statim enim à condito mundo Adam, omnium hominum parens, hoc donum à Deo gratißimâ mente accepit, perdidicit avidißimè, beneficio illius omnium animantium & è terrâ nascentium naturam & proprietatem calluit, omnibusq; convenientia nomina imposuit. Hoc Dei donum una cum verâ Theologiâ & cultu divino summo studio diligentiâq; filijs tradidit, & fideliter ad posteritatem propagavit. Sæpe ipse super viridi cespite sedens de Deo, cultuq; divino, item de natura rerum, de stellarum motibus, de plantis, arboribus, animalibusq; cum liberis disputavit. Qui cum à parente Adamo didicissent mundum quondam diluvio & incendio periturum, veriti ne majorum inventa posteris detraherentur, duas columnas, vel tabulas erexerunt, alteram lapideam, alteram latericiam, quibus mundi creationem, lapsum hominis, primam promissionem, fundamentaq; omnium artium inscripserunt, ut quamcunq; sustineret orbis pœnam, altera tamen istarum extaret ad posteros, quemadmodum expressè testa-*

Philosophiæ origo.

testatur Iosephus, *affirmatq; lapideam tabulam adhuc suo tempore in Syria reservatam fuisse. Hos secutus est* Noah, *qui rectè à Theodoreto nominatur* σπέρμα γένους τῶν ἀνθρώπων, καὶ ῥίζα τῆς φύσεως, καὶ δεύτερος Ἀδάμ: semen generis humani, & radix naturæ, & alter Adam. *Hic non minorem operam & laborem in Philosophandi studio posuit, & annum amplius in arcâ vixit, ortus omnium animantium, victus, figuram, itemq; & tum & annis subsequentibus stirpium naturas & ferè omnium nascentium caussas & rationes investigavit, atq; cum liberis suis communicavit. Quod etiam A*brahamus, Isaacus, Iacobus, *& reliqui sancti patres omnes præstitére.* Moses *veram pietatem sequitur, sed ita, ut in omni sapientiâ Ægyptiorum fuerit eruditus:* Ioseph *in Ægypto unâ cum pietate omnem operam, curam, & industriam in optimarum artium studijs infixit & collocavit.* Daniel *disciplinas Chaldæorum summâ cum laude perdidicit & exercuit. Nihil dicam de* Davide, *cujus Philosophicam eruditionem passim testantur psalmi: Nihil de* Salomone, *qui tantùm in studijs hisce præstitit, valuitq;, ut nullum unquam habuerit secundum. Ab his discebant Ægyptij, Persæ & exteri & Philosophiam, & Theologiam: quod Magorum, qui ad Christum venerunt, & ei munera sua obtulerunt, exemplo est manifestum. Fuerunt enim Magi in Persiâ homines studijs doctrinæ de Deo, optimarum artium, & naturæ rerum docti: qui apud nos Theologi & Philosophi dicuntur. Dubium itaq; non est, Magos ad Christum venientes scivisse doctrinam de Meßiâ, quam Daniel in Persiâ*

Magi ad Christum venientes.

sparserat, & ex prophetiâ Danielis c.9. de septuaginta hebdomadis, intellexisse, tempus adfuisse, quo Messias exhiberi debuerit. Quod itaq; his Magis usu venit, id & alijs contingere potuit, ut aliquid de mysterijs Theologicis addiscerent. Non enim Philosophi vetustiores tantùm propter Philosophiam, sed etiam propter Theologiam, & ritus Ægyptios, in Ægyptum proficiscebantur. Quod itaq; ex Patriarcharum & Prophetarum scholis est desumptum, & ad Philosophorum scholas translatum, id rationis vel Philosophiæ inventum dici nequit.

In specie responde-tur. 1. Ad Zoroastris dicta.

Porrò in specie Zoroastrem *quod spectat, mirum non est, illum aliquid habuisse notitiæ & cognitionis veri Dei, non quidem ex naturâ & Philosophia tantùm haustæ, sed quod attinet mysterium Trinitatis & similia, à majoribus suis acceptæ. Fuit enim, ut supra annotavimus, vel ipse Cham & Noachi filius, vel Chami filius & Noachi nepos, vel Chami nepos, & Noachi pronepos, adeoq; ex fidelibus parentibus & majoribus prognatus, à quibus absq; omni dubio veram de Deo doctrinam & cultum accepit: quomodo autem illum observaverit, Deumq; verum in essentiâ unum & in personis trinum coluerit, ex eo est manifestum.*

Zoroastres non recte coluit Deum.

Voluit enim ipse videri Deus, & ut rudes in stuporem miraculi traheret, sibiq; ita divinum honorem apud plebem acquireret, astris intentus velut scintillas quasdam ex stellis producebat. Tandem ab ipso Dæmone, quem importunius frequentabat, succensus est: cui tamen divinos postmodum honores, tanquam amico Dei, vehiculo fulminis ad cælum levato, decreverunt. Unde etiam Zoroastres, *id est,* vivens astrum

ſtrum *dictus eſt*. Videatur Itinerarium Clementis, & Antoninus Tom. 1. tit. 2. cap. 1. *Notandum hâc occaſione obiter propter ſacram hiſtoriam, quod de hoc Zoroaſtre ſive Chamo, Boroſus ſcribit: eum nimirũ, cum à patre parum amaretur, ebrium magico carmine veneris impotentem feciſſe.*

Triſmegiſtus *verum DEUM agnovit, ſed agnitum, non, ut Deum, celebravit.* Erat enim, *ut inquit Auguſtinus* lib. 8. de civitate Dei cap. 23. de his, de quibus dicit Apoſtolus, quòd cognoſcentes DEUM, non, ſicut DEUM, celebraverunt, aut gratias egerunt; ſed erraverunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt: Et immutaverunt gloriam incorruptibilis DEI in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis. *Et paulo poſt:* Quapropter meritò homo defecit ab illo, qui eum fecit, cùm ſibi præficit ipſe, quod fecit. Hæc vana, deceptoria, pernicioſa, ſacrilega, Hermes Ægyptius, quia tempus quo aufferentur, venturum ſciebat, dolebat: ſed tàm impudenter dolebat, quàm imprudenter ſcribebat. Non enim hoc ei revelaverat Spiritus ſanctus, ſicut Prophetis ſanctis, qui hæc prævidentes cum exultatione dicebant: Si faciet homo Deos, & ecce ipſi non ſunt Dij. *Et in alio loco:* Erit in die illo, dicit Dominus, exterminabo nomina ſimulacrorum à terra, & non erit eorum memoria. Ex quo genere,

2. Ad Triſmegiſtum.

pergit Augustinus, & illi erant, qui venturum quod sciebant, venisse gaudebant: qualis Simeon, qualis Anna, qui mox natum Iesum, qualis Elisabeth, quæ etiam conceptum, in spiritu agnovit: qualis Petrus, revelante patre, dicẽs: Tu es Christus filius Dei vivi. Huic autem Ægyptio illi spiritus indicaverant futura tempora perditionis suæ: qui etiam præsenti in carne trementes Domino dixerunt: Quid venisti ante tempus perdere nos. *Ex quibus manifestum est, quòd quidem mysteria Theologica quædam sciverit* Trismegistus; *verùm non ex Philosophiâ humanâ: sed vel ex majorum & Iudæorum traditionibus, vel, ut hic* Augustinus *dicit, ex revelatione Diabolicâ. Nam, ut piè & verè ait* Vives *supra hunc locum*, Credere & profiteri Iesum esse Christum, filium Dei vivi, est præcipua professio, hic primus & firmissimus Ecclesiæ, nunquam interituræ, lapis. Hoc non revelavit Philosophia humana, non astus, non sagacitas, & sapientia mundi, sed Deus universorum parens, ijs tantùm, quos charissimos habet. &c. Vide quoq; Augustinum lib. eod. cap. 24. *Falsa itaq; est sententia* Th. Zuingeri, *qui Trismegistum Trinitatem lumine intellectus assecutum esse scribit: quando* in Theat. vit. hum. Vol. 5. lib. 4. pag. 1311. a. sub tit. Metaphysici, *in hæc verba loquitur*: Hermes Trismegistus Ægyptius, maximus sacerdos, maximus rex, & maximus Philosophus fuit, primus de sacrosanctâ Trinitate in divinis tractavit,

vit καὶ ἐν τριάδι μίαν εἶναι θεότητα asseruit. lumine intellectus id assecutus, quod Hebræorum plurimi, etiam sacris invitati testimonijs, comprehendere non potuerunt. *Proptereane Trismegisti Philosophia præferenda Aristoteleæ, quòd in illâ plurima tradantur rationi ignota, quales sunt descriptiones conditi mundi in Pœmand. & sermone sac: ?* *Sic statuit* Patricius. *Sed salva res est: Hanc ipsam ob caussam illam potius reprehensione & vituperio dignam judicamus: tùm quia rationi adscribit ea, quæ rationem infinitis parasangis superant: tùm quia sacras revelationes cum inventis rationis, mystica cum manifestis, supernaturalia cum naturalibus nequiter confundit, & quod pessimùm est omnium, falsis fictisq; commentis fraudulenter & malitiosè incestat, ut hoc nomine merito reprehendatur à Cyrillo, qui 1.* contra Julian. *inter alia hæc habet:* Licet multa Moisi consentanea docuerit, (*sc. Trismegistus*): tamen non omninò irreprehensibiliter. *Quinimo etiam sine præmonitione Cyrilli, legat quispiã Pœmandrũ: vel primo intuitu animadvertet, quid distent æra lupinis, & quantũ intersit inter Phrygum & Medorum terminos. Ibi enim λόγος τοῦ θεοῦ, quo filium intelligi ajunt, dicitur in initio mundi natus, & per illum deinde mundus creatus, prodijsseq; postea & alia mens opifex, per quam creatum sit cœlum cum suis rectoribus: Vltimò Pœmander supervenisse, qui omnibus animam inspiraverit. Sed quid hæc ad fidem Christianam?*

An Philosophia Trismegisti præferenda Aristoteleæ?

De Orpheo & Homero *idem sentiendum est.* 3. Ad Orphea.

Nam si quid habent, quod cùm mysterijs Theologiæ consentit, illud nō in ipsorum cerebro natum est, sed ab Ægyptijs acceperunt. In suis enim scriptis Ægyptiorum mores & consuetudines imitati sunt, sicut Diod. Siculus lib. 1.. hist. Bibl. *tradit. Idem quoq; de reliquis Poëtis latinis: quandoquidem & hi Græcos imitati sunt. Sic* Pythagoram *Philosophum in Ægypto fuisse multis annisteſtantur M. Tullius, Plutarchus atq; alij multi, feruntq; ipsum se Hebræorum more circumcidisse, & (quod asserit Hermippus) multas Iudæorum leges in suam sectam transtulisse.* Ioseph. lib. 1. cont. Appionem. Sibyllas *quod spectat, illæ etiam vel à malo, vel à bono spiritu (in quā partem inclinare videtur Augustinus & illi, qui nomen Sibyllæ perquam concinna conjecturâ derivant ab Ebræo Kabala (sicuti ad idem propius alludit vox Cybele, tam à Latinis, quàm à Græcis usurpata, sed ad alium sensum detorta) nempe initiali K. in S. mutato: ut intelligamus eo doctrinam haustam libatamq; divinitus) agitatæ, futura de Christo vaticinatæ sunt. Sic enim de Sibylla Erythræa* lib. 11. de civit. DEI c.23. Hæc autem Sibylla, *inquit*, sive Erythræa, sive, ut quidam magis credunt, Cumana, ita nihil habet in toto carmine suo, cujus exigua ista particula est, quod ad Deorum falsorum sive fictorum cultum pertineat, quinimo ita etiam contra eos, & contra cultores eorum loquitur, ut in eorum numero deputanda videatur, qui pertinent ad civitatem Dei.

4. Ad Pythagorum.

5. Ad Sibyllas.

Apolli-

Apollinis *versus & vaticinia, ut etiam reli-* 6. Ad Apollinis carmina.
quorum oraculorum, non hominis, sed ipsissimi Diaboli esse, manifestum est. Seipsum enim in nonnullis responsis dæmonem confessus est. Nam cùm interrogaretur, quomodo sibi supplicari vellet, ita respondit:

Πάνσοφε παντοδίδακτ' ἐνολοίστροφε μέ-
κλυθι δαῖμον.

Omnia sapiens, omnia docte: qui per cun-
cta versaris, exaudi Dæmon.

Et in alio:

Ἁρμονίη κόσμοιο φαεσφόρε, καὶ σόφε
δαῖμον.

Concentus mundi Lucifer, & sapiens
Dæmon.

Et iterum in alio:

Δαίμονες οἳ φοιτῶσι περὶ χθόνα καὶ περὶ
πόντον
Ἀκάματοι δάμνανται ὑπαὶ μάστιγι θεοῖο.

Dæmones qui ventitant circa terram, &
circa pontum,
Indefessi, domantur sub flagello DEI. Videatur Lactantius lib. 1. c. 7. *Augusto quoq; hoc redditum est oraculum.*

Παῖς Ἑβραῖος κέλεταί με θεοῖς μακάρεσσιν
ἀνάσσων
Τὸν δὲ δόμον προλιπεῖν, καὶ ἀΐδην αὖθις
ἱκέσθαι,

Λοιπὸν

Λοιπὸν ἄπιθι σιγῶν ἐκ βωμῶν ἡμετερείων.
Puer Hebræus Dijs beatis imperans, jubet me
Hanc domum linquere, & rursus in orcum reverti,
Quod superest, abi tacitus ex aris nostris.

Ex quibus satis liquet, ejusmodi oracula à Diabolis profecta esse, qui ex revelationibus, humano generi divinitus patefactis, multa aut discere aut explorare potuerunt.

Plato. *Tandem* Plato *quoq;, si quid habet de divinis oraculis & mysteriis, illud non habet ex humanâ Philosophiâ & lumine intellectus; sed ex Mose & monumentis sacris, ut constat ex Clement.* in Protr. & Strom. *item ex Euseb. Et Cyrillus.* 1. & 2. contra Julian. *Iustinus Martyr* in Paræn. *asserunt Platonem ex Sacris voluminibus in Ægypto cognitionem quandam legis divinæ, librorumq; Solomonis & Prophetarum hausisse. Et Lactantius* lib. 4. cap. 1. *testatur Pythagoram, & postea Platonem, amore indagandæ veritatis accensos, ad Ægyptios & Magos & Persas usq; penetrasse, ut earum gentium ritus & Sacra cognoscerent. Numenius quoq; Apamensis, Syrus, Philosophus Pythagoreus, Platonis sententiam coarguit, tanquam ex Mosaicis scriptis de* DEO *& ortu mundi surreptam, eáq; de caussâ dixit:* τί ἐστι πλάτων, ἢ μωυσῆς ἀττικίζων. Quid est Plato, nisi Moses Atticè loquens? *Suidas. Aristobulus quoq; Iudæus ad Philometra* lib. 1. *ut eum citat Eusebius:* Legem, *inquit*, nostram in multis Plato secutus est: apertè namq; in multis diligenter examina-

aminasse singula videtur. *Mosaica enim volumina ante Alexandrum, & ante Persarum imperium traducta fuerant: unde plurima, ut & Philosophus Pythagoras, accepit.* Augustinus verò lib. 8. de civit. DEI c.11. *contrarium statuere videtur, & inclinare in hanc sententiam, Platonem sacra non legisse:* Mirantur autem, *inquit*, quidam nobis in Christi gratiâ sociati, cùm audiunt vel legunt Platonem de DEO ista sensisse, quæ multùm congruere veritati nostræ religionis agnoscunt. Unde nonnulli putaverunt eum, quando perrexit in Ægyptum, Hieremiam Prophetam audivisse, vel scripturas Propheticas in eâdem peregrinatione legisse: quorum quidem opinionem in quibusdam libris meis posui. Sed diligenter supputata temporum ratio, quæ chronicâ historiâ continetur, Platonem indicat à tempore, quo Prophetavit Jeremias, centum fermè annos postea natum fuisse. Quapropter in illâ peregrinatione suâ Plato nec Jeremiam videre potuit tanto ante defunctum, nec easdem scripturas legere, quæ nondum fuerant in Græcam linguam translatæ, quâ ille pollebat: nisi fortè quia fuit acerrimi studij, sicut Ægyptias, ita & istas per interpretem didicit, non ut scribendo transferret, quod Ptolomæus pro ingenti beneficio, qui regiâ potestate etiam timeri poterat, meruisse perhibetur: sed ut colloquendo quid contineret, quantum capere potuisset, addisceret. La-

ctantius

Lactantius quoq; expreßè negat, Platonem ad Iudæos accessisse, quando lib. 4. cap. 2. *ita scribit*: Unde equidem solemus mirari, quòd cùm Pythagoras & postea Plato amore indagandæ veritatis accensi, ad Ægyptios & Magos & Persas usq; penetrassent, ut earum gentium ritus & sacra cognoscerent (suspicabantur enim sapientiam in religione versari) & ad Judæos tamen non accesserunt, penes quos tum solos erat, & quo facilius ire potuissent. Sed aversos esse arbitror divinâ sapientiâ, ne scire possent veritatem: Quia nōdum fas erat alienigenis hominibus religionem Dei veri justitiamq; cognoscere. Statuerat enim Deus, propinquante ultimo tempore, ducem magnum cœlitus mittere: qui eam perfido ingratoq; populo ablatam exteris gentibus revelaret. *Idem quoq; colligi potest ex Strabone, qui* lib. 17. Geograph. *ita scribit*: ἐκεῖ οὖν ἐδείκνυντο οἵ τε τῶν ἱερέων οἶκοι, καὶ Πλάτωνος, καὶ Εὐδόξου διατριβαί. Συνανέβη γὰρ δὴ τῷ Πλάτωνι ὁ Εὔδοξος δεῦρο, καὶ συνδιέτριψας ἱερεῦσιν ἐκεῖνοι ἐνταῦθα τρισκαίδεκα ἔτη, ὡς εἴρηταί τισι. περιττοὺς γὰρ ὄντας κατὰ τὴν ἐπιστήμην τῶν οὐρανίων, μυστικοὺς δὲ καὶ δυσμεταδότους τῷ χρόνῳ καὶ ταῖς θεραπείαις ἐξελιπάρησαν. ὥστε τινὰ τῶν θεωρημάτων ἱστορῆσαι. τὰ πολλὰ δὲ ἀπεκρύψαντο οἱ βάρβαροι. hoc est. Ostendebantur ergo ibi Sacerdo-

terdotum ædes ac domicilia, in quibus Eudoxus & Plato egerant. Etenim Eudoxus cum Platone eo profectus est: & ambo cum Sacerdotibus annos tredecim sunt versati, ut nonnulli tradiderunt. Isti sacerdotes cùm rerum cælestium scientia præstarent, cæterùm arcanam eam servarent, neq; cum quoquam communicare vellent: tamen & tempore & obsequio devicti, nonnulla præcepta enarraverunt, cùm plurima interim barbari occultarent. *Verumenimvero utut se res habeat, sive legerit Plato sacra, sive non legerit: legit tamen Trismegisti scripta, nec non versatus est cum illis, qui sacra inspexerant, à quibus multa addiscere potuit. Quid Scaliger de Platonis & Platonicorum Trinitate sentiat, intelliges ex* Exercitat. 365. sect. 3. *Certum est Platonicis ne quidem per febrim in mentem venire potuit, quod ipsis affingitur.* Plotin. En. 5. lib. 1. *Ex Platonis* lib. 5. & 6. de Republ. item Timæo *tria introducit principia, nempe id, quod est supra Ens, Deus ipse unus, verus, bonus. Ex Deo autem simplicißimè uno non nisi unum producit: Quocirca* DEUM *hunc se intelligentem introducit: ex quo Intellectu jam oritur dualitas: cum intellectus ad Deum perinde se habeat, ut lumen ad solem.* cap. 6. & 7. *Ex hoc intellectu iterum Anima nascitur. Et quemadmodum Intellectus est verbum Mentis: ita Anima est verbum Intellectus. Anima, ut alio in loco habet Plotinus, aliud adhuc generat verbum, nempe Corpus: Corpus item aliud Materiam. Ut ita hæc quinque sibi subordinentur:*

Deus,

Deus, Intellectus, Anima, Corpus, Materia. *Vnde Anima, quia media est, Platonicis centrum dici solet.*

Verumenimvero, si cui libeat hunc Plotini discursum, vel quæ alias de tribus principiis ex Platone disserere solet, ad Trinitatem per allegorias referre; is hoc sine ullâ fecerit authoritate; imo contra autoris mentem & intentionem, qui dum talia scriberet, fortaßè non respexit magis Trinitatem; quàm quando Euclides de triangulo demonstrat, quòd habeat tres angulos æquales duobus rectis: Vel ego Tria principia Physica Aristotelis, vel tres figuras Syllogismorum, & similia, quæ omnia forsan eadem facilitate allegoricè ad Trinitatem trahi & referri possent. Si verò Platoni & Platonicis hâc in re omnino est aliquid tribuendum, id fieri posse autumo, quatenus, postquam à Christianis vel Iudæis de Trinitate aliquid audiverunt, confusam illius notitiam habuerint, quamq; retinuerint, propterea, quod rationi quodammodo absurda videbatur, præsupposito hoc illorum canone: Nihil de Dijs tam absurdè dici potest, quod credi non debet: *vel quatenus finxerunt quiddam rationi consentaneum: nempe propter tres respectus ad creaturas & opera divina, tria quoq; nomina Deum, alias essentiâ & personâ unum, sortitum esse. Fuerunt namq; etiam in Ecclesiæ sinu, qui unum tantùm personâ Deum esse docuerunt. Itaq; verbali duntaxat, non reali distinctione, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum professi sunt, cùm tantùm tres nomenclaturas in unâ substantiâ agnoverint, abutentes ad id testimoniis de veritate Dei productis, & horum verbis erro-*

errorem suum contegentes: quem Noëtus circa annum Christi centesimum septuagesimum spargere cœpit: Praxeas verò paucis annis post: hic in Africâ, ille in Asiâ: Sabellius verò longè lateq; propagavit circa annum ducentesimum septuagesimum. Quæ sanè sententia cum ratione optimè consentit. Nam licet quidem diversæ competant Deo relationes ad creaturas; inde tamen non statim sequitur, tres esse personas realiter distinctas in una essentia, vel absurdum hoc in Theologiam pariter ac Philosophiam impingens, in Deo quandam realem esse diversitatem, vel in Deum cadere compositionem: cùm, ut Logici norunt, relatio subjecto addita compositionem realem non efficiat. Quocirca hoc quidem modo tria nomina propter tres distinctos respectus Deo tribuere potuit Plato: illum autem statim id, quod fide Catholicâ credimus, apprehendisse, statuisse & docuisse, negamus. Philosophos quosdam Ethnicos, qui post Apostolorum tempora vixerunt, sacra legisse, nullum est dubium. De quibus etiam extra controversiam verum est, quod Basilius Magnus habet in oratione, quâ exponit Evangelium Evangelistæ Iohannis, in principio erat verbum &c. Non ignoro, *inquit*, plurimos veritatis inimicos, & mundanâ sapientiâ se plurimùm jactantes, sic admiratos ista fuisse, ut in suis libris conscribere ausi sint. Furatur enim nostra Diabolus, & suis largiri conatur. *Deindè Ambrosius Camaldulensis ait*: Secundùm multos externorum Philosophorum, & maximè Proclum, sententijs Dionisij, imo verò ipsis quoq; vocabulis nudis usos plerunq; fuisse.

Vnde ſuſpicari poſſumus, ab ijs, quæ Athenis philoſophabantur, libros B. Dionyſij, quorum ipſe meminit, celatos fuiſſe: ut quæ inde ſumebant, inveniſſe ipſi putarentur. Sed divinâ providentiâ his modo libris adinventis, inanis gloria & malitia illorum patefacta eſt. *Imò ipſe Marſilius Ficinus* Platon. in libr. de Relig. Chriſt. cap. 2. & 20. *ita habet*: Ego certè reperi præcipua Numenij, Philonis, Plotini, Iamblichi, Procli myſteria à Iohanne, Paulo, Hierotheo, Dionyſio Areopagita accepta fuiſſe: quicquid enim de mente divinâ, angelisq;, & cæteris, ad Theologiam ſpectantibus, magnificè dixêre, manifeſtè ab illis uſurpaverunt. *Hæc Marſilius.*

Concludimus itaq; cum Thoma 1. p. q. 32. a. 1. *à nobis cognoſci poſſe Trinitatem jure negandum eſſe, propterea quod Deum ex creaturis cognoſcamus: creaturæ verò non proficiſcantur à Trinitate, ſed unitate eſſentiæ. Vnde & eos, qui rationi tantùm tribuunt, dupliciter cum eodem Thoma inculpamus. Primùm quòd ea, quæ Deus abſcondita voluit eſſe à ſeculis, illi ut rationi nota propalam venditent. Deindè, quod religionem noſtram deridendam propinent eruditioribus Ethnicis, accuratè naturam, rectamq; rationem, & ejus vim ſcrutantibus & intelligentibus, dum iſti fucatis & falſis interpretationibus illam ſuffulcire nituntur, quaſi non fortiores ad illam propugnandam eſſent machinæ.* De Dei unitate ſimpliciſſimâ hactenus.

Theo-

Theorema X.

Deus in suâ naturâ ipsa est veritas ipsaq; bonitas.

Sequitur secundum & tertium Entis attributum: Verum & Bonum. *De quibus breviter.* Veritatem *quod attinet, constat ex illis, quæ supra* lib. 1. exer. 15. theor. 4. *Deum per relationem ad alienum intellectum non esse verum, sed ipsam in suâ naturâ veritatem. Quando enim intellectus creatus nullus erat; Deus ab æterno fuit verus Deus. Notandum autem est, veritatem in Deo duplici modo intelligi: primùm pro veritate transcendentali, de quâ hoc loco potißimùm quæstio est: deinde pro vero judicio de rebus. Hoc modo posteriore à doctoribus Ecclesiasticis dicitur proprium Dei esse, quòd sit prima & summa veritas; cùm ejus judicium sit norma & regula omnis veri judicij: pro veritate transcendentali quando accipitur, intelligendum est, Deum esse primam & summam veritatem, quatenus est primum & summum verum: qui ita dicitur propter semetipsum, & quòd sibimetipsi mensura sit & perfectio. Est enim in Deo simplicißimè idem veritas, & habens veritatem; unitas, & habens unitatem &c. Vtramq; veritatem Dei, ejusdem unitas, æternitas, immutabilitas, immensitas, omnipotentia, sapientia, ac libertas exactè arguit.* Nam unitas *veritatem simplicißimam & perfectißimam monstrat, ab omni fuco & falso purißimam:* Æternitas *eam nunquam mutabilem arguit:* Immensitas *eam ubiq; ratam & statam docet:* Omnipotentia *nihil violentum, quod eam impediat, admittit.*

Veritas in Deo dupliciter intelligi potest.

mittit, adeoq; certam promittit: Sapientia *inconstantiæ casum removet, & quia inexhausta est, humanas rationes, quæ sapientiæ specie contrarium divinæ veritati subinde objiciunt, illidit*: Libertas *tandem moram & secus, quàm collegimus, facta, ne veritati Dei detrahat, justificat.*

Deus bonus. *Dicitur porrò Deus bonus in suâ naturâ & per suam essentiam: Atq; hoc Dei proprium esse omnes fatentur: quomodo autem illud intelligendum sit, explicat Fonseca* lib.4. Met.c.2.q.7. sect.8. In eo pronunciato, *inquit*, bonum aut significat perfectionem moralem, aut naturalem, aut potius utramq;, seu, quod idem est, quamcunq; perfectionem formalem: quo pacto & verum est, & Deo peculiare, esse bonum per suam essentiam, cùm divina natura sit ipsa divina existentia, potentia, sapientia, justitia, & quæcunq; alia sua perfectio formalis, sive earum, quas naturales tantùm appellamus, sive earum, quas vocamus morales: quod in nullâ omninò creaturâ cernitur. Atq; in hoc sensu plane loquuntur patres, & scholastici omnes doctores, cùm dicunt Deum esse bonum per suam essentiam. Quo etiam pacto intelligitur illud Domini Marc.10.c. nemo bonus, nisi solus Deus. *Distinguit etiam ibidem Fonseca inter has locutiones, quibus dicitur 1. Deus est bonus per suam essentiam: & 2. Deus est bonus per essentiam.* Nam, *inquit*, qui dicit aliquid esse tale per essentiam, significat illud continere in se omnem perfectionem totius ejus generis, secundum

cundùm quod dicitur tale: late tamen ſumpto generis nomine. Atq; hoc etiam modo proprium eſt Dei, eſſe bonum, ſeu perfectum per eſſentiam, quemadmodum & ens per eſſentiam, quia ipſe ſolus in ſe cõtinet omnes perfectiones Entis, quaſdam formaliter, quaſdam eminenter. Vnde meritò cætera omnia dicuntur entia, & bona per participationem. *Quomodo Deus dicatur bonus per ſuam eſſentiam, jam explicatum eſt.*

Tandem ut juſticia Dei dicitur, tum per ſe, tum relative: ita etiam Deus per ſe bonus dicitur, & relativè. Per ſe juſtus & bonus dicitur Deus propriâ ſuâ juſtitiâ & bonitate eſſentiali, ſeu quia juſtitia & bonitas ipſa eſt, & à ſe ſine cauſâ priore juſtus & bonus. Quod notandum eſt ad differentiam hominis in integritate originali cõſtituti. Homo namq; ante lapſum per ſe quidem fuit juſtus & bonus propriâ ſuâ juſtitiâ & bonitate; ſed non à ſe, & ex ſe; verùm creatoris beneficio & participatione juſticiæ & bonitatis. Relativè eſt juſtus & bonus Deus, non quidem ex gratiâ, cum ante ſe juſtum & bonum non novit Deus; ſed activè reſpectu creaturarum, quibus dum prima cauſſa eſt, creando bonitatem ſuam communicat, nec non juſtificando, ut cum hominem peccatorem propter Chriſtum reputat juſtum, vel juſtos faciendo homines, dum renovat eos, & tandem bonitate ſuâ omnia conſervat & gubernat. Hinc bonus dicitur Deus apud Platonem lib. 2. de Republ. *& bonorum cauſſa in Epin. & paßim eum vocat:* bonitatem, pulchritudinem, juſtitiam, medium, finem: *Et Dei imaginem, vi-*

Bonus dicitur Deus per ſe & relative.

rum bonum dicit in 2. Alcib. *Ad bonitatem quoq; hanc referri potest misericordia Dei, imò etiam justitia quoad nos, quòd omnium, quæ sunt, initium esse videatur ex gratiosâ bonitate Dei, quæ cum misericordiâ est conjunctissima. Hæc autem misericordia non est virtus vel affectus; sed est ipsa (ut cætera attri-
„ buta) Dei immutabilis essentia; & licet quidem illam
„ absq; mutatione nostri non concipiamus; citra motum
„ tamen seu passionem eandem statuimus. Tandem ita Iustus est Deus, ut etiam qui velit Deum esse injustum, velit Deum non esse Deum, ut loquitur D. Bernhardus* Sermon. de verbis sapientiæ &c. p. 1731. D.

Theorema XI.

DEUS est infinitus.

Attributa Dei universalia fuerunt hactenus; sequuntur nunc singularia.

Singularia Dei attributa supra finiuntur, quæ soli Deo competunt, & nullo modo creaturæ attribuuntur.

Singularia Dei attributa *ουςατικὰ*, vel efferuntur privativè, vel positivè.

Quæ privativè efferuntur, privationem quidem in ipsâ Deitate non denotant: sed quia nos potius intelligimus, quid Deus non sit, quàm quid sit, terminis, res nostras de Deo negantibus, uti cogimur: negationem itaq; non privationem significant.

Attributa ista negant de Deo vel motum, vel quantitatem.

Attri-

Attributum Dei negans quantitatem est infinitas, quâ Deus infinitus dicitur.

Infinitas Dei, est Dei essentialis proprietas, quâ Deus nec tempore, nec loco, nec ulla aliâ re finiri & mensurari; sed essentia sua & naturâ actu simpliciter & per se infinitus, æternus, immensus, & incomprehensibilis esse significatur.

Infinitum *alias ambiguum est, & primùm dupliciter dicitur:* formaliter, *nempe pro negatione finitatis* Zabarella lib.1.Phys.text.35.*vocat ipsam infinitatem: &* materialiter, *pro ipsâ re infinitâ.* Iand.1.Phys.q.13.Fonsec.2.Met.c.2.q.2. Conimbr.3. Phys.c.8. q.5. *Infinitum formaliter acceptum est id, quod infiniti definitione exprimitur, & cadit sub intellectum nostrum. Infinitum materialiter sumptum, dicitur tale vel secundùm extensionem, vel intensionem. Extensivum infinitum triplex est, infinita magnitudo, infinita multitudo, & infinita duratio. Intensivum infinitum datur unicum tantùm, nempe Deus Optimus Maximus. Quando itaq; Deus dicitur infinitus, tollitur eò omne tempus, omnis locus, & omnis multitudo: cum in Deo nulla omnino cadat quantitas, imò nullum accidens. Quomodo itaq; infinitus dicitur Deus? intensivè diximus, hoc est, non quantitativè, sed essentialiter sive in suâ essentia. Non itaq; hæc Dei infinitas ad Quantitatis, sed ad essentiæ sive substantiæ prædicamentum referenda est. A nobis enim tantùm secundùm quandam proportionem ad Quantitatem pensitatur, ut aliquo modo illam*

Infinitum dupliciter sumitur.

Deus quomodo infinitus dicatur.

assequi poßimus. Omnis itaq; extensio interminata etiam intrinseca negatur: cùm infinitus dicatur Deus propter perfectionem summam, omnes alias perfectiones continentem. Vnde arguitur, quod Infinitas in Deo non sit privatio, sed negatio, dicens perfectionem non limitatam absq; ullâ aptitudine aut limitatione, quatenus talis est. Nullum autem horum infinitorum, sive sit extensivum, sive intensivum, rectè cognoscimus, quatenus infinitum. Non enim dubitamus asserere, quamvis angelus sive intelligentia secundùm Philosophum ab æterno movens, singulas cognoverit circulationes; quòd tamen eas omnes simul, sub specie infiniti comprehendere nequeat: Ejus enim naturæ, divinâ gratiâ non adjutæ, repugnat infiniti cognitio.

Infinitum non est cognoscibile.

Infinitas de Deo probatur dupliciter.

Porrò infinitas hæc intensiva de Deo probari potest dupliciter: A priore, ex aliquo attributo, prius de Deo demonstrato: Et à posteriore ex effectibus. 1. A priore *quidem, quando prius probatum est,* DEUM *simpliciter primum esse, tùm quoq; hoc constat.*
1. *Nam quod simpliciter primum est, id à nullo, sed à seipso existit, id per se absolutè & independenter existit, id summè & absolutè perfectum & absolutum est, illi nihil addi, nihil detrahi potest, adeoq; infinitum est: cùm omni finito per naturam ita aliquid addi poßit, ut sui augmentationem sentiat: sic etiam aliquid adimi, ut diminutionem & mutationem experiatur.*
2. 2. A posteriore *Deum infinitâ virtute, adeoq; essentiâ infinitâ (cùm virtus essentiam sequatur, & in Deo cum essentiâ planè sit idem) præditum esse probat Aristoteles* lib. 8. Phys. text. 7. & lib.

lib. λ. Metaph. c. 7. t. 41. *ex eo, quod movet tempore infinito. Intellexisse autem hanc DEI affectionem* Platonem *&* Aristotelem, *testatur Eugubin.* lib. 2: de immort. animæ c. 6. *Ficinus quoque* lib. 2. de immortal. animæ cap. 6. *asserit.* Decere, Platonici putant, infinitum bonum per immensum exuberando ita sese integrum fundere, ut nullam vel imaginariam universi particulam, sive in mundo sit, sive cogitetur extra mundum, relinquat suâ præsentiâ destitutam.

Theorema XII.

DEus est immensus & ubiq;.

Deum infinitum esse vidimus: Ergo & immensus & æternus. *Quod enim infinitum est, id neq; magnitudine, mensura, & loco, neq; tempore, mensurari potest. Illo igitur respectu immensus; hoc, æternus dicitur DEUS.*

Est itaq; immensitas essentiale Dei attributum, per quod essentia divina nullâ magnitudine, mensura, vel loco finiri, determinari, aut mensurari potest: sed dimensionis & circumscriptionis, à quantitate, loco, vel ullâ aliâ mensurâ, provenientis, expers esse significatur.

Ex quo intelligitur, quod nulla omninò mensura & quantitas DEUM poßit determinare: Ergo neque terminis hujus mundi clauditur: sed extra mundum quoq; est & existit in spaciis, ut loquuntur, imaginariis per realem præsentiam suam, sine actuali habitu-

bitudine reali ad aliquam rem extra ipsum. Est igitur DEVS extra mundum non aliis, sed sibi soli præsens: quemadmodum ante mundi creationem non fuit in aliquo loco, vel ubi, sed in semetipso. Rectè autem intelligatur terminus, quo diximus: DEUM extra mundum esse in spaciis imaginarijs. *Non enim per spacia intelligimus aliquid à DEO distinctum: sed intelligendus est iste terminus per modum concipiendi nostrum. Quia ubi nos concipimus spacium per modum vacui, apti repleri Corpore, ibi est præsentißima divina substantia, totumq; illud substantialiter replet.*

Vbiquitas Dei.

Ex immensitate DEI sequitur Ubiquitas & omnipræsentia. *Non enim curamus vanitatem quorundam Iudæorum, quorum opinionem fuisse annotat Hieronymus, Deum uno concludi loco, templo nimirum Hierosolymitano: neq; Averrois incogitantiam, quem legimus non veritum scribere:* Puerilem fuisse cogitationem antiquorum, qui DEUM in omnibus esse rebus existimarint. *Si enim DEVS mundo non clauditur vel mensuratur; ergo multo minus particulari quodam loco, qui sit in mundo. Vbiq; igitur est DEVS, omnia penetrans & replens, omnibusq; rebus præsens existens. In sacris hoc thema est extra omnem controversiam, ut patet ex locis variis.* 1. Regum. 8. v. 37. Sapient. 1. v. 7, Psal. 139. v. 7. Ierem. 23. v. 24. Act. 17. v. 27. *Et magnus hic patrum consensus est. Hieronymus* in 66. Esa: *inquit*: Quomodo parvo concluditur loco, qui omnia implet, & in quo sunt omnia? *August.* Epist. 57. *ad Dordanum*

num ait: Ubique præsens & ubiq; totus est: non solùm in tota rerum universitate, sed etiam in qualibet re quantumcũq; minima. *Hilarius* lib. 1. de Trinit. Nullus sine Deo locus est. *Cyprianus*: Dei templum est totus mundus. *Damascenus* lib. 1. de fide Orth. cap. 16. Sciendum etiam, Deum impassibilem esse, totum totaliter ubiq; existentem, & non partem in parte, corporis more distinctum, sed totum in omnibus, & totum super omnia. *Bernhard*: super Cantica serm. 4. p. 569. B. C. Non quod longè ab unoquoq; sit, qui esse omnium est, sine quo omnia nihil, sed ut tu plus mireris, & nil eo præsentius, & nil incomprehensibilius. Quid nempe cuique rei præsentius, quàm esse suum? Quid cuiq; tamen incomprehensibilius, quàm esse omniũ? Sane esse omnium dixerim Deum, non quia illa habet, quod est ille, sed quia ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia. Esse est ergo omnium quæ facta sunt, ipse factor eorum, sed caussale, non materiale &c. *Item in Serm. de verbis Habuc. p.363. I.* Quid dixi miser? Sed ubi non est? Altior est cœlo, inferno profundior, latior terrâ, mari diffusior. Nusquam est & ubiq; est, quia nec abest ulli, nec ullo capitur loco. Vide eundem in dedicat. Eccles. serm. 5. p.350. B. C. Item de interiore dono cap.47. I. de consideratione lib. 5. c. 7. p. 897. *Hæc quidem plana & perspicua sunt: Verùm an idem Philosophicè quoq; probari possit, quæritur.*

ritur. Thomas id præstat 1. p. q.8. a.1. *quia ubique operatur Deus, & verò Movens & motum debent esse simul.* lib. 7. Phys. c. 2. *Deum autem ubique operari à nullo in dubium vocari videtur: imò* Proclus *dixit, quòd prima caussa influat in effectus plus quàm caussæ secundæ. Atq; hoc non omninò sine ratione dixit. Nam Entitas est effectus maximè Universalis caussæ & primæ, quæ est DEUS: Ergo ejus proprius est effectus: Et quia Entitas est primus effectus: Ergo primæ caussæ effectus: Ergo quicquid est Entitatis in rebus, fit à DEO. Quia verò Entitas non solùm convenit rebus singulis; sed etiam de omnibus illorum prædicatis & accidentibus prædicatur: verbi gratiâ, & Petrus est Ens, & animalitas est Ens, & rationalitas est Ens, & humanitas est ens, & risibilitas est ens: quare DEUS etiam intima omnia, quæ in rebus singulis sunt, operatur. Oportet etiam sit unus, qui in universo totum rerum ordinem constituat, atque adeò cum omnibus concurrat ordinando.*

Quomodo autem hoc fiat, intelligitur, quando constat, quot modis aliquid caussa actionis alicujus rei dicatur. Dicitur verò quadrupliciter: primùm *quia virtutem tribuit operandi, quemadmodum homo generat hominem, quia tribuit virtutem semini, quæ facit hominem: ita DEUS dicitur actionis rerum naturalium caussa, quia illis virtutem operandi impertit.* Deinde *aliquid est caussa actionis, quod conservat virtutem, quâ aliquid operatur. Sic Smaragdus, Chrysolitus, Topasius, Iaspis, Turcois &c. dicuntur caussa visionis, quia oculis objecti virtutem visivam conservant. Et hoc modo rerum naturalium caussa*

caussa DEVS dici potest: quia ipsarum esse & facultatem conservat. Aliquid etiam caussa actionis dicitur, quia applicat aliquid ad agendum: atq; eo modo DEVS quoq; caussa dici potest, quia sine illo nihil movetur. Tandem caussa est, quæ movet per instrumentum, ut pictor pinicillo pingit: ex parte effecti hic est una operatio: at ratione principiorum duplex. Instrumentum enim agit, & artifex agit, sed non separatim. Nam sine instrumento nihil artifex, neq; instrumentum aliquid sine artifice producit: intelligitur tamen actio ab artifice; effectum ab utroque; verùm magis ab artifice, ut caußâ principali, quàm ab instrumento dependere. Ab hisce terrestribus elevanda est mens ad primam caussam, ad DEVM nostrum gloriosum, qui cum hisce caußis ita operatur, ut simul & ipsæ operentur. Quemadmodum autem artifex iisdem instrumentis non quævis & omnia facit; sed pro diversitate effectuum, diversis etiam utitur instrumentis: ita DEVS non eadem omnibus, sed diversa diversis producit caußis. Concurrit itaq; DEVS cum caußis secundis juxta illarum naturam, ut cum liberis liberè, cum contingentibus contingenter, cum necessariis necessariò, cum debilibus debiliter, cum fortibus fortiter, pro suâ suavißimâ dispositione universali operetur. Tenendum verò est, quòd DEVS cum artifice in producendo naturali & artificiali effecto non ubiq; conveniat. Differunt itaq; in eo: Artifex non aßimilat effectum instrumento, sed arti & modo, quem in mente concepit. At DEUS effectum aßimilat in specie non sibi; sed caussæ particulari. Cum homine enim producit hominem, cum leone leonem &c. Deinde

Deus & artifex quid differant?

artifex

artifex non tangit effectum nisi mediante instrumento: at DEVS immediatè suâ virtute tangit effectum. Ultimo & hoc tenendum, *quòd actio, per quam res producitur, quatenus confertur cum caussa particulari, non sufficiat, ut per eam talis caussa dicatur creare, quando particularis caussa totam rem non absolvit, sed ex materiâ tantùm suppositâ: respectu verò DEI considerata sufficit, ut effectus dicatur creatus à DEO. Etenim etsi modo per hanc actionem non tota constituatur res; quia tamen fuit à principio creata materia à DEO, ob id DEVS*
„ *totam rem facit. Atq; hæc est caußa quod omnes res,*
„ *quæ hodiè per generationem producuntur, & fiunt,*
„ *propriè dicantur creaturæ Dei. Hinc August. scribit*
„ *supra* Psal. 73. *parentibus generantibus, DEVS creat.* Et Epist. ad Consentinum & 8. supra Genes. ad liter. cap. 19. *dicit: res modo creari à DEO. DEVS itaq; ubiq; operatur; & propterea ubiq; esse arguitur.*

Vbiq; esse quid.

Quid autem est ubiq; esse? Ex jam dictis id intelligitur, *nimirum* est præsentia essentiæ & virtutis DEI in rebus omnibus. *Quandoquidem DEVS non diffundit actionem creativam & conservativam; sed intimè est in unâquaq; re conservando illam. Nam res, quæ creatur, per se & immediatè pendet à DEO, & minimè à corpore interjecto potest pendere, neq; etiam ut à conditione necessaria, neq; ut à deferente talem actionem. Cùm enim creatio sit ex nihilo, fiatq; virtute infinita; quomodo ab ejusmodi conditionibus pendebit? Hinc rectè dicitur à Damasceno* lib. 1. Orth. fid. cap. 18. πάντα

ἀπέχει

ἀπέχει θεοῦ, οὐ τόπῳ, ἀλλὰ φύσει. Omnia distant à Deo non loco ſed natura. *Cùm autem* DEVS *ſit ubiq;, & in omni loco; quæritur porrò,* quomodo inibi ſit? *hoc eſt*, an DEUS ſit in locis, prout ſunt loca. *Vbi notanda diſtinctio* Loci, *quam etiam agnoſcit Damaſcenus* lib. 1. de fid. Orthod. cap. 16. *in* Phyſicum & Metaphyſicum. Phyſicum *vocat Damaſcenus* τόπον σωματικὸν, *eumq; definit, quod ſit* πέρας τοῦ περιέχοντος, καθ᾽ ὃ περιέχεται τὸ περιεχόμενον: terminus ejus quod continet, ei, quod continetur attiguus: *Philoſopho* lib. 4. Phyſ. cap. 4. *dicitur* τοῦ περιέχοντος πέρας ἀκίνητον πρῶτον: Superficies corporis continentis primò immobiles. Metaphyſicum *vocat Damaſcenus* τόπον νοητὸν, *eumq; finit*, ἔνθα νοεῖται καὶ ἔστιν ἡ νοητὴ καὶ ἀσώματος φύσις, ἔνθαπερ πάρεστι, καὶ ἐνεργεῖ, καὶ οὐ σωματικῶς περιέχεται, ἀλλὰ νοητῶς. Ubi intelligitur & eſt intelligibilis & incorporea natura, ubi adeſt & operatur, & non corporaliter, ſed intellectualiter. *Neutro modo Deus in loco eſt. Non eſt in loco Phyſico: quia ſpiritus ſimpliciſſimus eſt, qui non ut corpora commenſurantur loco. Non in loco Metaphyſico. Ibi enim natura ſpiritualis adeſt & operatur certo quodam limite determinata & definita* νοητῶς, *quemadmodũ animæ & angeli certo quaſi ſpacio juxta intellectũ ſunt definiti: quod certè de Deo dici non poteſt, qui infinitus eſt, nullis terminis vel corporeis vel intelligibilibus definitus. Vbiq; igitur æqualiter totus eſt,*

Quomodo Deus ſit ubiq;.

Duplex locus. Phyſicus.

Metaphyſicus.

In neutro eſt Deus.

tus est, ubiq; regnat, ubiq; imperat, ubiq; majestas ejus
est, sed incomprehensibiliter & ἀμυγῶς impermix-
tibiliter: Intra omnia enim est, sed non inclusus: ex-
tra omnia, sed non exclusus, uti locuti sunt veteres.
Bernhard. de adventu Domini homil. 3. p. 27.
G. de verbis Esaiæ Proph. serm. 5. p. 310. D.
Augustin. in speculo. cap. 29. Isidor. lib. 1. c.
Deus duplici natura in loco. 2. sentent. Gregor. 2. Moral. cap. 16. *Scholasti-*
ci Deum duplici modo in loco esse asserunt. 1. Prout dat
esse & loco & locato. Ut enim locus sit, caussa Deus est,
nempe à quo unicè ejus virtus locativa dependet &
conservatur. Si autem hoc verum de loco: Ergo mul-
to magis de locato verum erit, quippe cujus gratia lo-
cus à Deo est conditus, ut nimirum in eo res locata es-
set & conservaretur. Est itaq; in loco Deus & ut det
esse omni loco, ejusq; virtutem conservet: & ut omni-
bus rebus locatis εἶναι impertiat. Deinde ajunt Deum
in loco esse per contactum quendam Deo convenien-
tem: ut sicuti nihil medii inter quantitatem corporis
& loci: ita quoque suo quodam modo nihil sit inter-
medii inter substantiam Dei & locorum quantita-
tem, atq; etiam inter actionem divinam ac ipsum lo-
cum & locatum. Augustinus statuit, Deum plane to-
tum in loco toto esse, & totum in qualibet ejus parte.
Epist. 57. Item D. Bernhardus de interiori
dono cap. 47. p. 1092. I. *Damascenus* loco alle-
gato lib. 1. de fid. cap. 16. *Dei locum nominat*
ἔκδηλον τὴν ἐνέργειαν αὐτοῦ, ubi manifesta fit
imprimis ejus operatio. *Sic* Genes. 28. 17. *in-*
quit Patriarcha Iacobus: Quam terribilis est
locus iste, non est aliud, quàm domus Dei &

est

est porta cæli. *Colligitur ex hactenus dictis & explicatis, Deum neq; circumscriptivè, neq; definitivè (quibus terminis vulgo utuntur) in loco esse.* Non circumscriptivè, *quia, uti diximus, non divisibilis, ut loco circumscribatur, & pars parti loci respondeat.* Non definitivè; *quia ubiq; est in toto mundo, & extra mundum totus, nullo definitus termino, nullo circumscriptus spacio. Quare modus existendi Dei in omni loco est potius dicendus incircumscriptus & indefinitus secundùm essentiam, præsentiam, & potentiam, qui alias vocari solet* Repletivus. *Atq; hoc etiam disertè docuit* Mercurius *in Asclep. &* Orpheus *in saturni hymno his verbis:*

Ὃς ναίεις κατὰ πάντα μέρη κόσμοιο γὲν ἄεγα.

Pythagoras *ob eandem caussam Deum appellabat* ψύχωσιν τοῦ παντός: animationem universi. *Adhuc luculentius penè* Virgilius lib. 4. Georg.

—— —— Deum namq; ire per omnes
Terrasq;, tractúsq; maris, cælumq; profundum:
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemq; sibi tenues nascentem arcescere vitas.

Et iterum lib. 6. Æneid.

Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Et Manilius lib. 2. Astronomικῶν.

—— —— —— Spiritus unus

Per totas habitat partes, atq; irrigat orbem.

Idem docere voluit Heraclitus,*qui referente* Aristotele lib. 1. de part. animal. cap. 5. *casam aliquam ingressus furnariam, cum ignis hyberni gratia diutius sedisset, ad quosdam tam vilem domum ingredi nolentes: introite, inquit, sunt enim & hic Dij. Idem statuêre* Philolaus, Architas, Parmenides, Anaxagoras *&c.* Vide Ficin. lib. 2. de immortalitate animæ c. 6. & Eugubin. lib. 4. de peren. Philos.

Deus est in mundo & extra mundum.

Quia autem Deus immensus est, non tantùm hujus mundi continetur limitibus; sed etiam, uti in praecedentibus affirmavimus, est extra omnes cælos & totum universum. Id quod sequentibus videtur probari posse rationibus. Nam non minus se diffundit immensitas Dei ad loca, quàm æternitas ad tempora: quandoquidem omnia attributa Dei sunt perfectissimè perfecta: Vnde eandem rationem habebit immensitas ad locorum differentias; atq; æternitas ad omnium temporum varietatem. Atqui Deus existit per infinitum tempus imaginarium, quod sua æternitate indiscretè & unitè comprehendit: Et nunc igitur existit in infinito spacio imaginario, cui per suam immensitatem respondet. Deindè *Deus est id, quo nihil potest majus concipi: Atqui si extra cælum non existeret, posset aliquid eo majus concipi, nimirum ipse Deus, consistens in infinitis spacijs, in quibus nunc non esset. Impossibile igitur est, Deum non esse actu extra mundum. Substantia denique immaterialis, quo nobilior est; eò ampliorem habet existentiæ sphæram: Quare si infinitè perfe-*

perfecta sit substantia divina, sphæram obtinebit infinitam, id est, nullius sphæræ sive spacij limitibus includetur. Hinc Trismegistus *in Asclep. Deus, inquit, supra verticem cæli constitutus, ubiq; est, omniaq; circumspicit. Est enim ultra cælum spacium sine stellis ab omnibus rebus corpulentis alienum. Unde etiam hanc Dei tradit definitionem:* Deus est intelligibilis sphæra, cujus cẽtrum est ubiq;, circumferentia nusquam. *Quâ perfectißimam Dei essentiam significare voluit.* Nam ut habet Ambrosius in cap. 3. ad Eph. *Sicuti in sphæra, quanta est altitudo & latitudo; tanta est profunditas: ita in Deo omnia sunt æqualia. Per centrum indicatur individua & omnimoda Dei simplicitas; & sedere quasi in centro, indeq; universali oculo cuncta conspicere dicitur Deus, ut docet* Marius Victorius lib. 4. adversus Arium, *quoniam à centro simul in omnia est aspectus. Tandem per circumferentiam declaratur infinitas & immensitas divina, quæ nullis neq; extra, neq; intra universi ambitum coërcetur limitibus. Hanc quoq; sententiam secutos esse* Platonem & Aristotelem *testatur Eugub,* lib.4. de Perenn. Phil.c.1. *& in specie de Platonicis M. Ficin.* lib. 2. de immort. animæ cap. 6. *De Aristotele* Simpl. lib.8. Phys. comm.84. Themistius 1. Metaph. paraph.12. Philopon. lib 1.de an. t.40. Nicol. Leonicus in dialog. de animar. essent. Fernel. lib. 1. de abditis rerum caus.cap.2. Toletus lib.8.Phys. c.10.q.7.

Dei definitio.

Theorema XIII.

DEUS est æternus.

Vt inclusionem in loco de Deo negat immensitas & ubiquitas: ita ex tempore excludit Deum æternitas. Vnde Deus æternus denominatur. *Si enim est omnium primus, colligit mens, quòd sit summus & æternus. Si enim primus, omniaq; ab illo; ipse erit à nullo. Ergo à se ipso, per seipsum, seipso, & verè, ut eum nominat* Plato, *ἀυτοφυὴς, & ut* Scaliger *ἀυταυτός. Ergo sibi caussa, sibi effectum, sibi omnia, sibi semper. Ergo nunquam cœpit: Cœpisset enim ab alio, foretq; progressus in infinitum.* Deinde *tempus est mensura motus secundùm prius & posterius: Ergo qui non motui, ille neq; tempori, subjectus est. Atqui motus in Deo nullus. Est enim, ut demonstrabitur, immobilis & immutabilis, merusq; & purus actus. Proinde qui tempori non subjectus est, nec successioni, quæ per fluxum temporis continuatur. Est igitur Dei esse non successivum, ut cætera, sed simul totum, quod æternitati propriè convenit: Æternus itaq; Deus est. Quandoquidem Æ-*

Æternum quid. ternum *propriè definitur,* quod semper est, & quo prius nihil est, & quo posterius nihil; sed quod suum esse constans seipso habet, sine ullâ durationis mutabilitate, cujusq; tempus nullum est, nullaq; momentorum distinctio, in quo, *ut* Augustinus *loquitur*, nihil temporis cernitur, sed quod extra temporis mensuram

Notatio æterni. vivit & constitutum est. *Dicitur enim æternum quasi æviternum, & ævum ab αἰὼν: atq; hoc rursum ab ἀεὶ, ut ita æternum sit, quod semper sit; alias tamen simpliciter, alias secundùm quid.* Simpliciter æternum *modo definitum est, quod initij & finis re-*

spectu,

spectu, imò & durationis incommutabili ratione considerTur. Assumenda namque est in simplici æternitate, præter initij & finis carentiam, & ἐσίας omnimoda immutabilitas, cum mutatio collatione prioris & posterioris æternum tollat. Hinc *August.* de vera relig. c. 49. Mentis affectu, *inquit*, omnem mutabilitatem ab æternitate sejungo, nulla spacia temporis cerno.

Inquies: Deum hoc modo æternum non esse, cùm sit in tempore. In tempore autem esse, quòd differentiæ temporis de Deo prædicentur. Est enim Deus nunc & fuit & heri & semper. Object. *In promptu est quod respondemus: Deum coëxistere tempori, quandoquidem est, quando tempus est; non tamen propterea in tempore est, cùm in se successionem non habeat, sive respicias ejus esse, sive ejus operationes.* Resp. *Quando igitur Deo differentias attribuimus temporis, ad captum tantùm fit nostrum, nec per illas successionem sed durationem volumus significatam, cùm ipse in æternitate indivisibilis sit maneatque totus. Arist: quando* lib. 8. Phys. *ex motu & ordine caussarum, subordinatè moventium ostendit, deveniendum esse ad primam caussam, primumque motorem Deum, qui omnis mutationis, molisque corporeæ expers sit; conatur simul ostendere, effici ab illo cæli conversionem, quæ principio careat, nec ullis seculorum ætatibus finem sibi habitura sit, atque ita per motus æternitatem motorem æternum colligit.*

Æternitas *hæc etiam aliquo modo secundùm esse sub intellectum cadere videtur: Siquidem in illâ secundùm modum nostrum intelligendi potest aliquid,*

tanquam mensurabile, & aliud tanquam mensurans, designari. Ipsa enim duratio Dei sumpta præcisè, habet se ut mensurabile, & ipsamet, ut induit rationem indeterminabilis & uniformis, est nobis quasi mensura suiipsius. Quando enim quæritur, quanta sit duratio? Æterna respondetur. Iterum: quare æterna? Quia indeterminabilis & uniformis existit. Propter rationem itaq; indeterminabilitatis & uniformitatis, assignamus Dei durationi non tempus aut ævum, sed æternitatem.

Porrò *æternitas hæc, simpliciter & universaliter ita dicta, quæq; naturalis proprietas & attributum Dei est, creaturis non competit. Sancti quidem angeli & homines vivent in æternum, quia finem non sentiet vita ipsorum: interim tamen initium habent, nec ab initio ita perfecti fuerunt, ut mutationis expertes planè manserint.* Non *itaq;* ἁπλῶς *æterni sunt: sed tantum* κατά τι *nempe finis respectu. Æternum*

Αἰώνιον & ἀΐδιον non differunt.

Græci appellant ἀΐδιον & αἰώνιον, *ac utrumq; cum descendat ab* ἀεὶ, *non perperam sine discrimine permutant, sive de æterno* ἁπλῶς, & *Soli* Deo *competente, sive de perpetuo & nunquam desituro, quod tamen initium habuerit, sint dicturi.* Ἀΐδιον *quidem ex frequenti usu videtur æternum,* ἁπλῶς *dictum, denotare: ut verò illud constans non est; ita etiam* αἰώνιον *interdum æternum simpliciter significat. Sic* ἐξ ἀϊδίου *ab æterno dicimus, quando initium negamus.* Εἰς ἀΐδιον *in æternum, quando finem tollimus.* & ἀΐδιος δόξα, *quæ hominibus contingit, dicitur*

apud Plutarchum in Pericle. *Eodem modo, vita sanctorum vocatur* αἰώνιος, *quæ non caret initio, duratura tamen sine fine. Et iterum eadem vox* 1. Ioh. 1. *de* λόγῳ *æterni Dei æterno filio usurpatur: Annuncio vobis* ζωὴν αἰώνιον, *quæ erat apud patrem. Fallit itaq;* Danæus, *quando contra* Chemnitium p.40. αἰώνιον *creaturis*, ἀΐδιον *Deo, quasi certo discrimine, aptat. Fallit &* Zanchius lib. 2. de div. attribut. cap. 3. *quando* Danæo *è diametro contradicens, inquit* αἰώνιος ἀπὸ τοῦ αἰῶνος. *Quid autem est* αἰὼν, *nisi* ἀεὶ ὢν*? Ergo neq; principium habet, neq; mutationem ullam, neq; finem. Potius, cum* Faverinus *dicat* ἀΐδιος ὁ αἰών, *censemus, quod origo vocabulorum nihil discriminis suppeditet.*

Theorema XIV.

Deus est immobilis sive immutabilis.

Attributum porrò Dei, in Deo motum & mutationem negans, est immutabilitas sive immobilitas. *Vbi initiò tollatur vocis ambiguitas. Dicitur enim immutabile privativè & negativè. Immutabile privativè sumptum dicitur, quod quidem aptum natum est mutari, sed non mutatur. Sic Deus immutabilis non est. Negativè sumtum Immutabile est, quod neq; actu mutatur, neq; ullo modo mutari potest. Atq; hoc modo Deus rectè dicitur immutabilis. Est igitur* immutabilitas essentialis Dei proprietas, per quam essentia Dei una cum omni-

bus suis attributis, neq; generari, neq; corrumpi, vel prorsus desinere, nec ullâ ratione vel alterari, vel augeri, minuive, vel tandem loco moveri; sed semper omnis mutationis expers eadem esse & manere intelligitur. *Hanc autem affectionem Deo competere liquet. Demonstratum enim est sæpius, Deum expertem esse omnis potentiæ paßivæ. Hæc itaq; quia caussa mutabilitatis est in rebus, sequitur, quòd ipse sit immutabilis. Aristoteles* lib. 8. Phys. text. 50. 51. 52. 83. item lib. λ. Metaphys. text. 38. 43. *immutabilitatem sive immobilitatem Dei, tribus ostendit rationibus: Quia verò ultima, ut docent* Vicomercatus *&* Zabarella *levior est, nempe ex immutabilitate hujus mundi inferens immutabilitatem conditoris*, Simplicius 8. Phys. text. 50. *duas tantùm priores retinet*. Primum *etiam habet Averroës* lib. 1. de cælo text. 100. pag. 71. C. *Si prima caussa mutatur, mutatur vel ab alia caußá, vel à seipsá. Non ab aliâ: Illa enim esset nobilior vel fortior. Atqui nulla nobilior vel fortior primâ dari potest*: Ergo *non mutatur ab alia: Non à seipsâ: transmutaretur enim aut in nobilius, aut minus nobile: Falsum autem est hanc mutari in vilius. Non enim maneret Deus. In nobilius ferri non potest, quia nil tale inveniri licet: Quia igitur nec à se, nec ab alio movetur; nullo pacto prima caussa mutari poterit. Hinc rectè Plato* lib. 2. de Republ. *docet, impoßibile esse,* DEUM *mutare se velle.* Alterum *argumentum hâc nititur hypothesi*: Motum æternum non posse deficere aut mutari. *Vnde infertur: primo motore*

motore mutato, mutatur quoq; motus æternus: atqui motus æternus non mutatur, ut arbitratur Aristoteles *se demonstrasse* lib. 8. Phys. c. 1. *Ergo neque primus motor. Ex mente quidem Philosophi hoc efficacissimum est argumentum. Verùm quia ex parte primæ caussæ motus ille, qui* Aristoteli *æternus est, potest interrumpi, illud pluribus non urgemus: Sed ad alia nos conferimus. Si daretur mutabilitas in* DEO, *tum ejus caussa aut esset in subjecto, aut in ipso* DEO. *In subjecto esse nequit: quia subjectum* DEI *ab ipso* DEO *non est distinctum. Est enim ipsa* DEI *essentia, quam semper intellectus divinus intelligit, & voluntas semper amat. In ipso Deo quoq; non est impedimentum: Quid enim infinitam potentiam impediret? In quo etiam nihil est prius, nihil posterius, illud est immutabile: Atqui in* DEO *nihil est prius, nihil posterius: Ergo &c. Major patet, quia quod mutatur, actum mutationis semper præcedit. Minor est vera: quia* DEUS *est actus simplicissimus & purissimus, nihil potentiæ habens admixtum. Illud verò quod mutari potest, necessariò est in potentia ad aliquid de novo acquirendum. Proinde quod perfectissimum est,* DEO *debet tribui: atqui incorporeum & immutabile esse, est perfectius, quàm corporeum & mutationi obnoxium esse: Ergo* DEUS *immutabilis est.*

Mornæus c. 4. de verit. religion. Christian. *Deum immobilem probat, quod omne movens, quatenus movet, naturaliter stet, & sit immotum. Exemplum sumit ab animâ, quæ si corpori conferatur certè, inquit, immobilis est. Et homo, quo majora cogitat, eo majus animum sistit & tranquillat. Itaq;, pergit,*

DEVM in statu perpetuo statuamus oportet, qui perpetuo agat. Quies autem statusq; DEI non in alio, sed in seipso acquiescit, ipse est & sua, & ipsa quies. Atq; hanc divinæ essentiæ immutabilitatem testati sunt Platonici, *quando Animam dicebant mobilem multitudinem: Angelum multitudinem immobilem: DEVM immobilem unitatem.* Videatur Ficinus lib. de immortalit. anim. *Dicebant autem DEVM immobilem unitatem eò, quòd naturam habeat maximè & simplicissimè unam, nullique prorsus mutationi obnoxiam: quod de creaturis dici nequit. Nam licet quidem angeli dicantur immobiles, id tamen simpliciter intelligendum non est; sed quod minus, quàm reliquæ res creatæ moveantur vel mutentur. In versibus etiam* Parmenidis *apud* Simplicium *DEVS dicitur* τὸ ἀκίνητον τὸ ἀτρεμές*: eoq; distinguitur à plantis, stellis &c. quæ motum patiuntur, & nihilominus populorum ignorantia Dij vocabantur.* Videatur Damascenus 1. fid. Orthod. cap. 4. 14. & seqq. Averr. 12. Metaph. t. 36. 1. cœl. t. 100. Epit. Metaph. tr. 4. Scot. in Report. 1. d. 8. q. 1. Herv. q. 2. Sonc. 12. Metaph. 6. Ægid. Rom. 8. Phys. tract. ult. Tatar. tr. 3. q. 1. &c.

Angeli κατά τι immobiles.

Theorema XV.

DEUS est simplicissimus Spiritus.

De attributis divinis, quæ privativè efferuntur, hactenus: sequuntur nunc quæ positivè

ſitivè de DEO à nobis dicuntur. Attributa hæc ſunt Simplicitas & Vita.

Vita DEI conſiſtit in intelligentiâ & voluntate liberâ.

Simplicitas DEI eſt attributum DEI eſſentiale, per quod divina natura & eſſentia prorſus expers compoſitionis, diviſionis, multitudinis, & accidentium: adeoq; incorporea, ſpiritualis, & impartibilis eſſe intelligitur.

Quia enim DEUS ſolus primus, æternus, infinitus, immenſus, & unus: rectè inde arguitur ſimpliciſſimus, & conſequenter ſpiritus. Nam ſeipſo eſt DEUS: ſeipſo eſt, quia ſimpliciter primum Ens eſt, quod à ſeipſo & per ſeipſum cœpit, hoc eſt, nunquam cœpit, ſed per ſeipſum immutabiliter, indiviſibiliterq; exiſtit. Unde purus actus & verè ſimplex arguitur. Si enim eſſet compoſitus aliquando cœpiſſet, nec eſſet primum Ens: partes enim toto natura ſunt priores, ut ſimplicitas hæc in præcedentibus de DEO ſæpius eſt demonſtrata. Si autem DEUS ſimpliciſſimus eſt; ἀσώματος incorporeus ſit oportet. Ens enim corporeum per compoſitionem aliquam, atq; materiæ ſuæ informationem eſt, atq; propterea non à ſeipſo; ſed ab informante; neq; infinitum eſt Ens corporeum: Eſt enim quantum: omne autem quantum terminis includitur; & omne terminis incluſum, eſt determinatum: omne determinatum eſt finitum, & circumſcriptum. Neq; infinitum corpus naturale eſſe poteſt; cum tamen omne corpus debeat tale eſſe. Naturale non poteſt eſſe, quia eſſet incapax motus: quod pugnat cum naturâ. Natura enim eſt principium motus & quie-

tis, ut

tis, ut id moveatur atq; quiescat, in quo primò, per se, & non per accidens, inest. Arist. lib. 2. Phys. c. 1. *Corpus infinitum incapax motus esse probatur. Nam motus est vel rectus, vel circularis. Motum rectum non capit ejusmodi Corpus : quia omnia occupat. Non circularem : Omnis enim motus circularis finitus est : pars enim hæc locum ingreditur alterius : Locus verò finitus infiniti corporis non est capax, quòd omnis locus locato sit æqualis. Quinimo si corpus, circulariter motum, esset infinitum, omnes lineæ à centro ductæ nunquam circumferentiam attingerent; non enim daretur : sed distaret ratione circumferentiæ in infinitum. At infinitum non est penetrabile : Ergo in infinito corpore motus circularis esse, vel una pars per conversionem in locum alterius transire nequit. Adde quod corpus infinitum sit sine figurâ, mensurâ, & termino interno. Vnde ne cogitari quidem potest infinitum quantum.*

Quemadmodum porro immutabile est præstantius mutabili; ita spirituale est perfectius corporeo : Cùm itaq; DEO competat id, quod perfectißimum est; sequitur, DEVM non corpus, sed spiritum esse. Sic Aristoteles lib 8. Phys. *vult probare & ostendere, esse aliquem primum motorem, immobilem per se & non per accidens, eumq; unum, æternum, INCORPOREVM, & infinitæ virtutis. Damascenus* lib. 1. de fid. Orth. cap. 4. *Deum esse ἀσώματον probat quinq; rationibus; quarum aliquæ extant apud Nazianzenum totidem penè verbis* lib. 2. de Theologia. 1. *Nullum corpus est infinitum, interminatum, infiguratum, intangibile, invisibile, simplex, & incom-*

incompositum : Deus autem est talis : Ergo Deus non est corpus sive corporeum aliquid. 2. Deus est venerabilis : Corpus non est venerabile : Ergo Deus non est corpus. Minor probatur, quia corpus est περιγράπτον *& affectionibus obnoxium: Tale verò augustum & venerabile non est. 3. Deus est* ἀπαθὴς *impassibilis : Nullum corpus est* ἀπαθές *: Ergo. Minor est manifesta : quia ex elementis coalescit & in eadem resolvitur. 4. Quod omnia permeat & implet, non est compositum, vel corpus : Deus permeat & implet omnia : Ergo. &c. Majorem probat : Impossibile enim est corpus corpora permeare, nisi hoc quidem dividat, illud verò dividatur, cedat, recurrat &c. 5. Si Deus est corpus* ἄυλον *immateriale (ut nonnulli ajunt) veluti id est, quod apud Græcorum sapientes quintum corpus nominatur, erit ipse mobilis : At Deus non est mobilis sed potius* τὸ ἀκίνητον κινοῦν*. Ergo. Simplicissimam esse Dei naturam in qua nulla omninò sit* σύνθεσις, *prolixè quoq; probant :* Nazianz. ad Evagrium Monachum de divinit : Athanas. contra idola: Hilarius lib. 8. de Trin. Basilius homil. 1. contra Eunomium, Irenæus lib. 2. cap. 16. Cyrillus lib. 1. Thesaur. cap. 8. Iustinus quæst. 144.

Vltimò quæritur : an simplicitas DEI sit attributum DEI privativum sive negativum, an positivum. *De quæstione hâc certant* Scotus & Cajetanus. *Nam Scotus* in 1, dist. 8. q. 1. ad 1. & quodlib. 5. & Soncin. qui hunc sequitur lib. 4. Metaph. q. 14. *statuunt simplicitatem perfectio-*

Simplicitas DEI.

fectionem eſſe ſimpliciter. Cajet. contra in lib. de Ente & eſſ. *defendit ſimplicitatem nullam dicere perfectionem, eò quòd nihil dicat poſitivum, ſed negationem tantùm. Verum quidem eſt ſimplicitatem ſupra rem, quam denominat, non addere novam entitatem, vel modum quendam poſitivum, ſed negationem dicere tantùm compoſitionis. Deinde ſimplicitas aut plane idem eſt cum unitate perfectiſſimâ & indiviſibili, aut duntaxat ratione ſive habitudine proportionali ab eâ differt: quia unitas multitudini, ſimplicitas compoſitioni propriè opponitur. Quemadmodum igitur unitas non addit aliquid poſitivum rei uni, ſed tantùm negationem: ita etiam ſimplicitas rei ſimplici.* Obijcis: *Cur igitur hoc attributum dicitur poſitivum? Id non dicimus, ſed illud poſitivè efferri aſſeveramus. Aliud autem eſt poſitivè enunciari, & rem poſitivam ſuperaddere ei, de quo dicitur. Ita Vnum effertur quidem poſitivè, verum Enti rem poſitivam, ab ipſo diſtinctam, non affert. Interim tamen negari minimè poteſt, per negationem hanc indicari quandam perfectionem, adeoq; poſitionem; quia imperfectio compoſitionis excluditur. Diſſentire itaq; allegati autores videntur non tàm in re, quàm in verbis. Ex attributo hoc nempe ſimplicitate hæc fluunt conſectaria:*

1. Quicquid in DEI eſſentiâ eſt, vel dicitur eſſe, id aliud nihil eſt, quàm ipſamet tota, integra, & individua DEI eſſentia, non pars eſſentiæ, non paſſio, aut accidens.

2. Quicquid de DEO abſolute prædicatur, id eſſentialiter, minimè accidentaliter intelligitur.

3. De DEO licet multa dicantur, in ipso tamen multa non sunt, sive diversa, ut in nobis: sed propter captum & intellectum nostrum imbecillem, qui totam illam perfectionem, quòd infinita est, uno simplici actu apprehendere nequit, distinctis actibus ut multa concipiuntur.

Immutabilitas & Immortalitas. ‡ Nota. Attributa haec Immensitas infinitas, licet nomine sint Negativa, re tamen ipsa & actu primo declarant Positionem Entis cum Ente Positivo, Simplicissimo, non v. negato.

Theorema XVI.

DEUS est substantia vivens.

Alterum DEI attributum, quod positivè effertur, est vita.

Vita DEI est DEI essentiale attributum, quo essentia divina actuosè vivere, & se ipsâ & ex seipsâ, vi agendi, movendiq; prædita esse, adeoq; agere & operari, ac agendo alijs etiam vitam communicare intelligitur. *Recte igitur Aristoteles* lib. λ. Metaph. cap. 3. Vita, *inquit*, & duratio continua & æterna existit DEO: hoc enim est. *Et* lib. de caussis prop. 18. Res omnes, *inquit*, habent essentiam per Ens primum: & res vivæ omnes motæ sunt per essentiam suam propter vitam primam. *Et paulo post*: Similiter vita dat caussatis suis motum, quia vita est possessio procedens ex Ente primo quieto sempiterno. *Ab hoc idiomate DEUS appellatur Vivus sive Vivens. Probatur hoc attributum in DEO esse duobus modis: à priore, & à posteriore: A priore: Qui perfectissimus est, illi nullus perfectionis gradus deesse potest: At DEUS in præcedentibus est demonstratus perfectissimus:*

Ergo

Ergo nullus perfectionis gradus DEO deesse potest: Atqui vivere est aliquis perfectionis gradus: Ergo DEUS vivit; & est vivens substantia. Deinde *omnis spiritus incorporeus vivit: Est enim intelligens; & nullus intellectus datur sine vitâ: At DEUS est spiritus incorporeus, ut patet ex præcedentibus: Ergo &c.* A posteriore *monstratur hunc in modum: Quicquid est præter DEUM, illud est à DEO, & ab illo dependet: Atqui præter DEUM multa viva sunt: Ergo illa quoq; sunt à DEO & ab eo dependent: Ergo si illa, quæ à DEO sunt, sunt viva, multò magis DEUS vivens erit: licet longè diversus sit modus vivendi in DEO, atq; est in creaturis. Est enim in DEO vita secundùm modum altiorem & eminentiorem, qui omnem creaturarum imperfectionem excludat. Notanda hic sunt, quæ habet* Suarez disput. 30. sect. 14. dist. 7. *In modo vitæ, inquit, quem creaturæ habent, duo considerare licet:* Unum, *quod existentes in suo naturali statu sese actuant, vel aliquo modo se perficiendo, vel in seipsis alia repræsentando per cognitionem, vel in eâ tendendo per appetitum perfectum.* Aliud *est, quod hæc efficiunt per veram caussalitatem & motionem, quâ seipsa movent vel proprio motu, vel saltem mutatione perfectivâ.* Prius *horum imperfectionis est, & nullam includit vel supponit imperfectionem, nisi quatenus includit posterius, id est, quatenus illud actuare se, est per veram caussalitatem. Hæc ergo imperfectio tollenda est à vitâ DEI, & solum id, quod perfectionis est, illi est attribuendum, atque ita concipiendus est DEUS, ut actualissimè habens totam illam perfectionem, quam habet vivens,* tum

In vitæ modo duo notanda:

cùm sese actuat intelligendo vel cognoscendo, seclusâ illa imperfectione distinctionis inter actum & potentiam & caussalitatis. Et simili ratione, quòd in vitâ creata distinguatur in reipsa, vita in actu primo, à vita in actu secundo: & quòd illa sit principium hujus, hæc verò forma illius, non est perfectionis simpliciter, sed includendo imperfectionem. illud verò est in priori vitâ perfectionis simpliciter, quod nimirum est substantialis vita: in posteriori verò, quod est vita actualis: Vtrumq; ergo horum verissimè & simplicissimè conjungitur in vitâ Dei absq; ullâ imperfectione: Nam per suam net substantiam actualissimè vivit & in ejus vita non est actus primus vel secundus; sed purissimus actus, & ideo non est ibi vita accidentalis, sed per essentiam: quapropter non solùm est substantia vivens, sed ipsa substantialis vitâ.

Theorema XVII.

Vita DEI est sibi sufficiens.

Agit porrò Deus vitam sibi sufficientem. Cùm enim Deus sit summum bonum infinitè perfectum, felicissimam vivit vitam. Non enim aliquo externo objecto & bono, ut feliciter & beatè vivat, indiget; quia ipsemet sibi sufficit; cùm in ipso sint omnia. Vnde non finem habet extra se, imo ipse omnium aliorum finis existit. Sui verò ipsius propriè & positivè finis non est: sed negativè finis dicitur: quia finem alium non habet, sed in seipso, tanquam in suo summo bono, quiescit. Quocirca sicut per essentiam Deus dicitur Ens; ita etiam est felix, atq; beatus, ac sibi sufficiens per essentiam. Hoc docere vult Aristoteles lib. 1. de

cælo c. 9. *ubi generatim & in plurali numero ait: Ea, quæ supra cælum sunt, optimam in universâ sempiternitate vitam & sufficientissimam habere.* Item lib. 2. magnor. moral. c. 15. *Est, inquit, jactatus de Deo sermo, quòd sit sibi satis, neq; ullo indigeat: quoniam bona cuncta obtinet Deus:* Et lib. 7. Polit. c. 1. *ait, Deum esse felicem atq; beatum, non per aliquid externorum, sed per seipsum: quia talis est secundùm naturam. Ex quibus hæc fluunt consectaria:* Vivere Deum simplicissimè, perfectissimè, infinitè, immutabiliter, vitamq; ejus beatam esse & immortalem. Simplicissimè *vivit Deus, quia in eum nulla cadit compositio, ut sæpius demonstratum est, & quod compositum est, non sibi sufficit: quia ab alio dependet. Dei itaq; vita nihil aliud, quàm ipsamet simplicissima Dei essentia est.* Perfectissimè vivit; *quia omninò ei nihil deest ad vitæ integritatem, vivens ex seipso modo perfectissimo.* Infinitè *vivit; quia perfectissimè vivit, & à nullo vitam habet, semperq; vivit ab æterno, in æternum, sine ullo principio, sine ullo fine vitæ.* Immutabiliter *vivit: ob eandem rationem; quia perfectissimè, & infinitè vivit: & ut nec unquam cæpit vivere; ita nec desinet vivere unquam, neq; vita ejus augetur vel minuitur, nec alteratur, nec mutatur ullo modo: quia vita Dei est ipsa Dei essentia, quæ immutabilis & immobilis demonstrata est in præcedentibus:* Vita Dei beata finitur: *quia, ut patet, ab omnibus malis est libera, omnibusq; contra bonis affluit. Est enim beatitudo Dei, essentiale Dei attributum, quo divina essentia ab omnibus malis libera esse*

& omni-

& omnibus bonis affluere intelligitur. Est etiam Deus immortalis : *quia immobilis & immutabilis, imò perfectißimus demonstratus est. Quia igitur mortalitas ingens mutabilitas est & imperfectio (est enim corruptio essentiæ) : sequitur, quòd ea minimè Deo tribuatur; sed immortalitas illi exactißimè competat.* Immortalitas enim est Dei attributum, quo ipse per suam essentiam ab æterno & in æternum ab omni mortalitate immunis esse, atq; proinde mori non posse unquam, intelligitur.

Theorema XVIII.

Vita Dei est intellectualis.

Vita proinde Dei est & intellectualis, & libera voluntate prædita.

In Deo itaq; est Intellectus & Voluntas.

Intellectus Dei est essentiale attributum Dei, per quod omninò omnia & singula verè, sine ullo errore, & mutabilitate, proprieq; uno æterno & simplicissimo actu simul perfectissimè, certissimè, evidentissimè, & distinctissimè in suâ essentiâ introspicit, ac à priore exactissimè scit ac intelligit, nihil unquam ignorans, nihil more humano successivè addiscens vel cognoscens, nihilq; obliviscens. *Est autem vita Dei intelligens : quia & spiritualis, quæ sine intellectu esse nequit :* Thomas 1. p. q.14. a. 1. *Deindè quod perfectißimum est, competit Deo : Atqui vita intellectualis perfectior est vitâ irrationali & brutâ; Ergo Deus vivit vitam intellectualem.*

Deinde ab effecto hoc demonstratur: Deus est caussa ordinis hujus pulcherrimi: Ergo non caret judicio, sed sapientissimus est: Nam facere, dirigere, & ordinare omnia ad finem præstitutum, est naturæ intelligentis & sapientissimæ. Quia verò actus & potentiæ discrimen in Deo datur nullum, ita in illius intellectu nullum erit. Per suam itaq; & in suâ essentiâ DEUS *omnia scit & intelligit. Si enim aliquid intelligeret extra suam essentiam, compositus esset ex intellectu & intelligente, quod, ut absurdum, merito rejicitur ab* Averroë lib. 3. de anima comm. 3. in sol. 3. *Si etiam Deus reciperet intellectionem, & esset in potentia ad intelligendum: tum potentia ista in actum deduceretur ab alio: cùm idem seipsum non actuet. Illud aliud necessariò esset potentia activa: quæ tum esset aut in ipso Deo, aut in externo objecto. In Deo illam potentiam non admittit simplicissima essentia, quæ in duas potentias nequit dividi, & omne passivum abominatur. Externum quoq; objectum non sufficit. 1. Dependeret enim Deus ab alio; cumq; extra Deum nihil est præter creaturas, ab illis dependeret, atq; creaturæ hac in parte nobiliores essent Deo: intelligibile enim & agens nobilius est patiente, quatenus tale. 2. Neq; Deus aliquid ante mundum conditum cognovisset. Quæ quia absurdissima sunt, concludimus; quòd in Deo simpliciter idem sit intellectus intelligens, intellectum, intellectio, & species intelligibilis. Ita igitur scientiâ est præditus Deus, ut in ipso ab ejusmodi defectibus & imbecillitatibus humanis planè sit immunis & libera, quibus in nobis premitur, deprimitur, & penè opprimitur: nimirum ut sit qualitas, ut sit*

ut sit habitus ab actu distinctus, ut sic ratiocinando perficiatur; ut rem ipsam objectam, ceu suam caussam, agnoscat. Id nihilominus in Deo & hominibus habet commune, ut sit cognitio, & certa, & evidens. Ut porrò res creatæ in Deo sunt similitudine; sic earum perfectiones cognoscit: earundem verò imperfectiones, ut sunt in ejus efficiendi vi: Quandoquidem omnia continet Deus per eminentiam; quæ Ens, ut Ens, per prædicationem complectitur: Et omnibus, quibus Deus efficiendo dat esse reale, iisdem homo cognoscendo potest dare esse rationis. Scit itaq;, intelligit, & cognoscit Deus & se, & omnia alia etiam contingentia, & libera, adeoq; singularia perfectè, distinctè, scientiâq; invariabili, eaq; partim speculativâ, partim practicâ, speculativâ quidem, quatenus ea in essentiâ per se spectatur; practicâ verò, quatenus in eadem sub formalitate caussæ efficientis & finalis intenditur. Omnia etiam in sua tantùm essentia divinâ, & per illam, pervidet: sed non tantùm ut in ea sunt: verùm etiam ut in seipsis existunt. Contingentia verò futura certò cognoscit, non quatenus in suis sunt caussis (sic enim incerta sunt): sed quatenus in ipsius sunt æternitate. Sic enim certa sunt, & habent necessitatem quandam sensus, ut loquuntur, compositi; cui contingentia propriè non opponitur. Affertne igitur Dei hæc cognitio & scientia contingentibus quandam necessitatem? Nullam prorsus: sive spectes cognitionem simplicem: illâ enim tantùm & simpliciter res omnes intueri Deus dicitur: sive ipsam caussalitatem respicias: quippe per quam cum contingentibus secundùm illorum naturam concurrit, nempe ut contingenter e-

veniant : quemadmodum id in præcedentibus explicatum est. Videatur Averroës 12. Metaph. t. 51. Thom. 1. p. q. 14. a. 4. 1. contr. gent. cap. 45. 46. Scotus in Report. 1. d. 8. q. 2. Soncin. 12. Metaphys. q. 59. Iavel. q. 26. Suarez disp. 30. sect. 3. & 15.

Theorema XIX.

Vita Dei est libera voluntate prædita.

Vt intellectus in Deo est: ita etiam de eodem voluntas non est neganda.

Est autem voluntas Dei, essentiale Dei attributum, quo omnia, quæcunq; vult, ab omni æternitate, à seipso, uno, constantiq;, & libero actu vult.

Esse hanc voluntatem probatur primùm à priore: *Quod est intelligens perfectißimum; illud etiam habet vim appetendi vitaliter & spiritualiter: Atqui Deus est intelligens perfectißimum: Ergo quoq; habet vim appetendi vitaliter & spiritualiter: quæ vis appetitiva vitalis & spiritualis dicitur propriè ac formaliter* voluntas. *Major probatur:* Nam *omnem formam sequitur appetitus, ipsi proportionatus: sic ad formam naturalem, appetitus naturalis; ad formam apprehensam, appetitus vitalis; ad sensitivam, sensitivus; ad intellectivam, intellectualis & rationalis, qui voluntas propriè dicitur. Quia itaq; Deus est forma intellectualis; sequitur, quod in eo etiam sit voluntas.* A posteriori: *In perfectißimis creaturis invenitur hic appetitus & est nota maximæ perfectionis: Ergo in Deo*

in Deo quoq;, utpote perfectißimo, hic appetitus erit: & quidem naturalis, & necessarius.

Vt autem hoc rectè intelligatur, observa quid sit appetitus, & quomodo hoc loco sumatur. Appetitus naturalis nihil aliud est, quàm naturalis inclinatio & determinatio cujuslibet rei ad propriam electionem aut actionem. Appetitus hic non semper est per modum desiderij boni non possesi: sed etiam per modum amoris & quictis in perfectione habita: ut materia prima non duntaxat appetit quasi desiderando formam, quam non habet; sed quiete etiam & quasi delectabiliter poßidendo, quam habet. Neq; etiam est de essentia hujus appetitus, ut semper tendat in rem, distinctam ab appetente. Nam esse potest appetitus quasi reflexus ejusdem rei ad seipsam. Sic rectè dicitur, quòd unaquæq; res appetat suum esse, vel actualem suam entitatem, quæ aliud non est, quàm ipsa. Dicitur etiam quælibet appetere suam perfectionem non tantùm externam, quæ superaddi potest; sed internam quoq;, quam in sua Entitate intimè includit. Atq; per hunc appetitum nihil aliud significatur, quàm quòd unaquæq; res ita est quieta, & quasi contenta suo esse, & perfectione: quod maximè in Deum quadrat; qui cùm sit ens perfectißimum, in sua perfectione optimè & perfectißimè quiescet.

Appetitus quid.

Quæritur nunc porrò: An Deus etiam habeat appetitum innatum ad res extra suam essentiam constitutas? Affirmativè respondemus. Deus enim est summum & perfectißimum bonum, cujus proprium inseparabile est, quòd sit communicativum

Quæstio.

O. ens ē sui ipsius ē communicativum καθ' ἀλλῶ. 1 In quantū vult. 2 In quantū subjectū capax ē ad recipiendū rei communica tol

vum sui: Ergo habet Deus naturalem inclinationem & propensionem ad bonitatem suam communicandam. Non quia illa communicatio illi afferat quandam perfectionem vel commoditatem: sed quia est consentaneum propensioni & inclinationi bonitatis ejus. Quod tamen intelligi non potest de inclinatione vitali sive intellectuali: hæc enim Deo non necessariò, sed liberè competit: propensio verò boni ad se communicandum est naturalis & necessaria: quamvis ejus exsecutio & usus libero regatur arbitrio vitæ intellectualis. Deinde omnis potentia activa ad actionem suam naturaliter inclinatur: Atqui in Deo est potentia activa perfectissima. Ergo &c. Propensio etiam ad benefaciendum aliis in creaturis est bona & à Deo participata: In Deo igitur illa longè est perfectior. Sunt porrò in ipsis creaturis quædam, quæ ad Deum licet perfectionem nullam afferant, ad eum tamen modo quodam pertinere videntur, & sunt quasi externa ejus bona: nempe gloria, cultus, honor, notitia Dei, & id genus alia; quæ etiam naturaliter sunt appetibilia: atque hinc appetitus malus non est: Est igitur naturalis quoque appetitus in Deo ad hæc bona.
Vultnè igitur ista necessariò DEUS? *Minimè. Ista enim bona Deo non sunt necessaria, potestque habere rationes alias, ob quas illa absolutâ & efficaci voluntate nolit. Unde etiam sequitur semper necesse non esse, ut hæc voluntas & appetitus Dei semper expleatur, vel in opus prodeat. Cùm enim propensio hæc non sit ad perfectionem propriam directa; sed ad alia perficienda: major perfectio DEI*

arguitur, quòd ejus executio sit libera, & non necessaria.

Quæritur porrò: an voluntas hæc & appetitus in DEO habeat rationem actus primi & secundi. *Negativè respondetur. Caderet enim alias in DEUM potentia paßiva, & compositio: quod impoßibile esse, sæpius demonstratum est. Nam omnia, quæ in DEO sunt necessaria, tam actualia sunt, & tam pura, atq; ipsa essentia est. Non igitur in DEO est potentia volendi, sed volitio per essentiam: cùm velle DEI idem sit cum substantia, sive esse DEI.* Vide Thomam 1. part. q. 41. a. 1. ad tertium. ibid. quæst. 19. a. 1. ad quartum & 2. contr. gent. c. 10. Item August. 15. de Trinit. cap. 7.

Alia quæstio.

Objectum divinæ voluntatis est duplex: primarium, & secundarium. Primarium est ipse DEUS; secundarium sunt res creatæ: Quod probatur: Quousq; se extendit intellectus divinus, eo usq; etiam se extendit voluntas: Atqui intellectus divinus non tantùm circa DEUM; verùm etiam circa res creatas, prout rationem objecti intelligibilis induunt, occupata est: Ergo & voluntas DEI. Majoris ratio hæc est: nam voluntas æquè atq; intellectus universalis potentia est. Quod autem in specie ipse DEUS sit objectum suæ voluntatis, constat hac ratione: Nam voluntas divina est Ens simpliciter necessarium: est enim ipsum DEI esse: Ergo circa aliquod subjectum versatur necessariò: Ergo maximè circa semetipsum. 1. quia sibi est propinquior. 2. quia DEUS est primarium objectum talis actus. 3. quia DEUS in statu

Voluntatis divinæ objectum.

perfectißimo & felicißimo sine amore esse nequit. 4. quia ab illo amore cessare, DEO non potest esse voluntarium: nam nullam boni rationem in tali cessatione invenire potest, nec verò involuntariè cessabit: quis enim ei inferret vim? Est autem hæc necessitas amandi semetipsum non imperfectio in DEO, sed summa perfectio: quandoquidem non est violenta, vel irrationalis, sive inaminata; sed, ut ita loquamur, intrinseca, vitalis, summèque voluntaria cum perfectißima ratione. Nam circa subjectum summè & absolutè bonum summèque necessarium, summa perfectio est, summâ neceßitate illud amare, adeo ut libertas hîc sit maxima imperfectio, & peccatum. Creaturas etiam quoddam divinæ voluntatis objectum esse manifestum est hâc ratione: Effectus enim DEI sunt voluntatis ejus objecta: Agit namque DEVS per intellectum & voluntatem: Ergo & operatur quæ vult, & vult, quæ operatur; sed non operatur, nisi producat res extra se existentes. Ergo eas verè & propriè vult. Videatur Thomas 1. part. quæst. 19. a. 3. ad sextum & art. 6. ad 2. *Ita autem DEVS vult omnes res extra se, ut tamen velit omnia propter seipsum & propter bonitatem suam. Nam licet quidem velit bonitatem creatam, quam ipsis rebus largitur & communicat; illam tamen non vult, nisi quatenus bonitatis suæ participatio est, & quatenus bonitatem suam decet communicare. Atque hâc ratione rectè dicitur*, Deum omnia velle in semetipso, sive in suâ bonitate, tanquam in fine ultimo, propter quem vult omnia. *Velle itaque DEVM res extra se,*

illasque

illasque voluntatis suæ subjectum esse manifestum est.

Verùm sequitur nunc maxima difficultas: an nimirum DEUS res, extra se constitutas, velit liberè, an necessariò. *Aristotelem quod attinet, sibi hoc loco non constare videtur. Nam tribuisse Philosophum DEO necessitatem in agendo & volendo ex duobus ejus principiis liquet.* Primum *sumitur* ex lib. 2. Phys. c. 8. & 9. lib. 7. Eth. cap. 4. lib. α. major. Metaph. cap. 2. & lib. λ. cor. cap. 9. *DEUM nimirum agere intelligendo & volendo.* Secundum *DEUM agere ex necessitate naturæ. In hoc enim fundari videtur ejus assertio de mundi æternitate, ut constat ex* 8. Phys. text. 9. & 13. 52. & 53. & lib. 9. Metaph. text. 17. *ubi dicit, in æternis nihil esse in potentia, sed omnia in actu. Unde infert timendum non esse, quòd cœlum quiescat: quia neque ipsum, neque motor ejus sit in potentia ad non movendum, ut ibi explicat Aristotelem Thomas. Et* lib. λ. Metaph. c. 6. *concludit, non satis esse ponere motorem æternum & potentem: quia aliàs posset etiam non movere, sed oportere, ut sit actu movens ex necessitate, adeo ut motio ejus sit ejus substantia, & consequenter ita necessaria, ut substantia est.* Et lib. 2. de cœlo cap. 6. t. 35. *probat motum cœli invariabilem esse: quòd primus motor sit immutabilis. Ex eodem quoque principio: nempe quòd primus motor semper eodem modo agat: colligit necessitatem generationum.* Videatur ipse Philosophus lib. 8. Phys. text. 53. lib. 2. de cœlo t. 21. lib. 1. de gen. & int. t. 16. & lib. 2. de gen. text. 56. *Atque hanc fuisse Aristotelis sententiam*

Alia quæstio.

Aristotelis opinio de libertate DEI.

opinan-

opinantur pleriq; interpretes. Scotus in primum dist. 8 q. 5. & in quodlibetis q. 7. Gregor. in primum dist. 42. Gabr. & Ocham dist. 43. Herv. quodl. 2. q. 4. & in tract. de æternit. mundi. q. 4. Ferrar. lib. 1. cont. gent. cap. 23. Sonc. 12. Metaph. q. 30. & 41. Javel. 12. Metaph. q. 10. & multi alij. *In contrarium sunt alia loca Aristotelis.* lib. 4. Top. c. 5. *inquit:* potest DEUS & studiosus prava agere, non sunt autem pravi. Nam omnes pravi secundùm electionem dicuntur. *Hic licet quidem Philosophus in eo erret, quòd DEO potestatem tribuat eligendi prava: in eo tamen veritati astipulatur, quòd DEO tribuat potestatem eligendi.* lib. 2. magn. moral. cap. 8. *de* DEO *testatur, quòd bona & mala pro meritis distribuat. Quod sanè sine usu libertatis fieri vel intelligi nequit. Item* lib. 2. Phys. t. 49. *distinguit inter agentia propter finem. Quædam enim agunt ex necessitate naturæ & quædam agunt electione, id est, mente & ratione. Constat verò Philosophum in posteriori ordine collocasse DEUM, sive primam caussam, cùm doceat eod.* lib. 2. Phys. c. 8. *illam caussas naturales omnes ad suos fines dirigere. Item* in libro de mundo *ait: Ad summum quod in navi gubernator, in curru auriga, in choro præcentor, in civitate lex, in exercitu imperator; hoc idem in mundo est DEUS: nisi quod illis ipsis principatus laboriosus, perturbatus, & anxius est: DEUS autem expers omnis mæstitiæ, laboris, nullamq; corpori afferens imbecillitatem: nam cùm in re immobili collocetur, omnia* quæ vult, movet, *arbitratuq; suo in diversis rerum*

Aristoteles contrarius sibi videtur.

rum generibus & naturis versat. Imo Laërtius *testatur,* Aristotelem *in agone mortis misericordiam à prima caussa petiisse: quod certe inditium est, eum credidisse DEVM precibus moveri posse. Vnde* Alexander lib. de fato *ex sententia* Aristotelis *monet, à Deo beneficia petenda esse, quòd ea possit & non dare & concedere. Commentator verò* libro destructionum disp. 3. & 11. ad t. & 2. dubitationem *inquit: DEVM apud Aristotelem neque agere ex necessitate naturæ, neque ex electione, sed modo alio eminentiore, mortalibus incognito; quem ipse solus novit. Ex quibus manifestum est Aristotelis sententiam de libertate DEI ambiguam & obscuram esse.*

Quid autem de libertate DEI sit statuendum, commodè ex quadruplici necessitatis gradu explicatur à Metaphysicis. Primus *gradus est* necessitas naturæ simpliciter, *nempe si quis statuat, DEVM ex necessitate naturæ agere, mera actione transeunte, ab ipso naturaliter, ita ut nullo modo ad eam concurrant intellectus & voluntas, dimanante, sicut observamus illuminationem à sole naturaliter manare. Hoc modo neque Aristoteles, neque ullus Philosophus, qui DEVM esse cognovit, ipsum ex necessitate naturæ agere statuerunt, cùm omnes concedant DEVM spiritum intellectualem esse, & per intellectum & voluntatem operari. Vt autem constet hujus assertionis veritas, tenendum est, quòd perfectus agendi modus caussæ efficientis sit, quando ea juxta formam, mente conceptam, & finem præcognitum & intentum operatur. Hoc autem quia fieri sine intellectu & voluntate*

Quadruplex gradus necessitatis. 1.

tate nequit, sequitur, quòd ad omnem modum agendi perfectum necessariò requirantur intellectus & voluntas, non quidem concomitanter; sed etiam caussaliter: Ergo *statuendum omninò est*, DEVM *quoque agere per intellectum & voluntatem: tum quia in omnibus summam habet perfectionem; tum quia prima caussa est, quæ ab alia finem suæ actionis recipere nequit*: Neceßum *itaque est, ut illum concipiat: quia agens infinitum est* DEVS. *Ergo infinita habet objecta, ad quæ virtus ejus est indifferens; determinanda itaque: sed quomodo? certè nullâ aliâ ratione, quàm per exemplarem conceptum & adjunctam voluntatem sive intentionem finis. Superius enim agens* DEO *non datur, neque etiam materia opus habet ad primam suam actionem. Quare ab illis determinatio hæc fluere nequit.*

2. Secundus *gradus est* necessitas voluntatis, ad objecta necessariò determinatæ: *nempe si quis concedat* DEVM *agere per intellectum & voluntatem, ita tamen ut voluntas statuatur & dicatur per suam naturam determinata ad res efficiendas, hoc est, ut velit res ad extra, vel illarum effectionem. Hic gradus duplici sumi potest modo*: primùm *ut intelligatur*, DEVM *tantum agere velle, quantum absoluta & infinitâ suâ potentiâ potest, sine ullâ limitatione*. Secundò *ut intelligatur* DEVM *non quidem velle, in quantum potest infinita virtute agere; sed duntaxat velle & agere ex necessitate juxta finem apprehensum, vel juxta capacitatem subjecti sive materiæ, circa quam occupatur, naturalem,*

lem, atq; ita ad tale subjectum voluntatem DEI *necessariò esse determinatam.*

Priorem *modum reÿcit* Suarez *sequentibus rationibus: quia impoßibile est infinitam* DEI *virtutem agere secundùm totam suam virtutem, & secundùm ultimum potentiæ suæ.* 1. *si enim secundùm totam virtutem ageret, moveret in non tempore.* 2. *nulla quoque esset ratio, quòd angelos in tantâ & non minore aut majore multitudine, item in speciebus talis perfectionis & non majoris vel minoris, item quòd hunc mundum & non alium, in hâc quantitate & non majore, item nunc & non antea creaverit. Aut enim quia non potuit, aut quia noluit. Prius pugnat cum infiniâ virtute & omnipotentiâ; posterius itaque asserendum. Vnde sequitur, quòd Deus non necessariò velit agere quantum simpliciter potest: sed quòd potentia illa* DEI *limitata sit quoad effectus sibi poßibiles, tam in multitudine, quàm in magnitudine, aliisque circumstantiis.* 3. *Nulla etiam daretur contingentia, si illo modo ex neceßitate naturæ ageret quantum posset prima caussa: nulla enim secunda ei posset resistere: tanta itaque neceßitate moveretur, quanta prima: Atque ita unum ex altero sequeretur potestate absolutâ. Hæc autem quia absurdißima sunt, certum est, quòd* DEVS *ex neceßitate naturæ agat aut velit non absolutè & simpliciter, respectu potentiæ suæ, hoc est, necessariò volendo agere quantum potest, vel infinitè applicando infinitam virtutem suam ad agendum.*

Alterum modum *quoq; non admittimus : Voluntas enim divina natura sua non potest esse determinata ad volendum certum effectum : quia divina potentia non est limitata ad effectum definitum, verbi gratia, ad hanc motus velocitatem.* Non enim *potest dari ratio, cur & unde illam limitationem habeat voluntas divina.* Dicis *quòd habeat ex fine. Petitio principij est : nam & hoc quæstioni involuitur : cur voluntas divina sit ad hoc universum, ejusq; bonum limitata; cum potentia ad id non sit determinata; sed possit adhuc aliud universum, vel simile, vel perfectius facere. Et quis negare vellet,* DEVM *excogitare & invenire posse modos alios componendi motus cœlestes cum majore vel minore velocitate, unde idem effectus & eadem universi ratio & conservatio sequeretur? Repugnat etiam hæc necessitas divinæ perfectioni. Nam licet quidem non necessariò determinetur* DEVS, *ut velit creare omnes homines, vel angelos, quos potest, ex naturali nihilominus necessitate determinatur, ut necessariò judicet hos esse creandos; & non alios, item ut necessariò velit hos, & non alios creare.* Ultimò *nullum bonum extra* DEVM *ab eo cognoscitur, ut necessarium, vel ad suum esse, vel ad suam felicitatem, vel ad suam perfectionem consummatam.* DEVS *enim est bonum sibi sufficiens, & nulla perfectio ipsi accedit, quòd velit creaturas. Ergo ejus voluntas nullo modo determinatur necessariò ad volendum aliud ex his bonis. Constat igitur falsum quoq; esse,* DEVM *agere ex necessitate juxta capacitatem naturalem subjecti.*

3. Ultima *necessitas dicitur* immutabilitatis, *quæ*

quæ non absoluta necessitas est; sed secundum quid: nempe ex suppositione: quæ necessario admitti debet in voluntate divina. Non enim divinæ libertati repugnat, sed intrinsecus includit, ejusq; usum supponit. Nam eo ipso, quod Deus semel libere decrevit, immutabilis manet. Verum videtur libertas cum mutabilitate pugnare: Ubi enim perpetua est immutabilitas, ibi libertas esse nequit. Respondet Suarez *usum libertatis unicum sive semel tantum esse, nempe in ipsâ æternitate, in quâ simul de omnibus extra se deliberat, & in eo quod semel libere decrevit, perpetuo permanet. Si itaq; voluntas Dei est libera, quæritur:* an effectus ab illa procedentes sint dicendi contingentes. *Affirmativam defendimus supra in disputatione de necessitate & contingentia* lib. 1. Exerc. 5. theor. 11. *Aliter vero & quidem contrarium statuunt* Thom. in 1. dist. 43. q. 2. art. 1. ad quartum. *Non est dicendum, inquit, voluntatem Dei esse contingentem aut operationem ipsius, quia contingentia in Deo nulla est. Hunc sequitur Cajetan.* 1. part. quæst. 19. art. 8. *Ferrar.* 1. cont. gent. 67. & 70. *Facilis est responsio: Est enim ambiguitas duntaxat in vocabulo contingentiæ, quod significat.* 1. *Indifferentiam tantum, quam habet effectus in ordine ad suam caussam, in quantum ex vi ejus potest esse & non esse.* 2. *significat non tantum indifferentiam, sed includit quoq; imperfectionem, nempe mutabilitatem & accidens. Hoc modo posteriore contingentiam non esse de ratione caussæ liberæ manifestum est: ideoq; minime sequi Deum caussam contingentem esse, etiamsi libera sit. Priore contra modo dubium non est,*

effectus illos contingentes rectè dici posse, cùm nihil aliud eo dicatur, quàm effectus illos non esse necessarios. Nam licet quidem voluntas divina, quoad suum esse, sit necessaria; in ratione tamen caussæ talis dici nequit. Non enim habet habitudinem necessariam ad objecta secundaria. Thom.1.part.q.19.a.3.ad 4.5. & 6. *Atq; hoc modo etiam nos diximus in actionibus externis divinis contingentiam intrinsecam esse. De determinatione hujus voluntatis breviter notetur, quòd non alio indigeat determinante præter semetipsam, quæ ex vi suæ libertatis se quasi inflectat & determinet ad hoc potius objectum, quàm ad illud:* Thom.1.part.q.19.art.3.ad quintum.lib.contra gentes c.82.

Hactenus itaq; fuerunt attributa DEI *συστατικὰ; sequitur ἐνεργειτικόν.*

Theorema XX.

Deus est omnipotens.

Ἐνεργειτικὸν Dei attributum est Omnipotentia, *quæ græcis dicitur promiscuè πᾶσα ἐξουσία, καὶ πᾶσα δύναμις. Quod contra quosdam, qui hic discrimen in disputationibus potissimùm sacris fingunt, accuratè est observandum. Dicunt enim ἐξουσίαν quandam licentiam sive authoritatem esse absq; potentiâ, quemadmodum aliàs homini est potestas sive jus in quosdam: quos tamen non potest sibi subjicere potentia domante, vel aliâ ratione efficaci. Rejicienda omnino est hæc opinio: quandoquidem ἐξουσία est potestas sive potentia essentialis communis to-*

Ἐξουσία & δύναμις non differunt in Deo.

nis toti Trinitati: *Quod manifestum est ex* Epist. Pauli ad Eph. 1. *ubi omnem potestatem extollit* ὑπεράνω πάσης ἐξουσίας καὶ δυνάμεως, *super omnem potestatem & potentiam, quam homines possunt capere: &* Basilius Epistola 80. ἐξουσίαν *nominat* ὑγιαστικὴν, *ex qua probat Spiritum sanctum esse Deum.* Et Luc. 9. v. 1. *hæc duo vocabula conjunguntur:* ἔδωκεν αὐτοῖς δύναμιν, καὶ ἐξουσίαν ἐπὶ πάντα τὰ δαιμόνια, καὶ νόσους θεραπεύειν.

Est autem omnipotentia Dei attributum Dei, quo omnia, quæ simpliciter possibilia sunt, Deus posse efficere, intelligitur. **Omnipotentia Dei quid.**

Esse autem Deum omnipotentem constat. *Nam potentiam activam illi inesse manifestum est ex superioribus. Omnis enim perfectio simpliciter ponenda est in Deo: At potentia est perfectio simpliciter: Ergo. Quod etiam ex* Aristotele *manifestum est, qui DEO tribuit, quòd sit primus motor. Notetur quòd de hac potentia habet* Suarez disp. Metaph. 30. sect. 17. d. 2. In quo, *inquit*, est notanda differentia inter veram potentiam ad efficiendum ad extra & ad intelligendum & volendum, quòd illa ita est ad agendum, ut nullo modo sit ad recipiendum, quia quicquid per illam efficitur, extra illam est: at verò potentia propria ad intelligendum & volendum non potest esse verè activa, quia sit etiam passiva: & ideo hæ potentiæ non sunt in Deo propriè, illa verò proprijssimè ac perfectis-

fectissimè. E contrario tamen actus intelligendi & volendi est in Deo, utpote dicent perfectionem simpliciter; attamen actio illius potentiæ activæ, ut propriè est actio ad extra, non convenit Deo necessariò, quia, ut sic, non dicit nudam perfectionem simpliciter, imò fortasse non est in Deo ipso, sed in effectis ejus, vel si est in Deo, connotat respectum liberum ad creaturas, ratione cujus non pertinet ad necessariam perfectionem Dei. *Porrò hanc potentiam esse omnipotentiam liquet. Nam potentia sequitur entitatem sive essentiam, ut ipsemet Averroës testatur* 2. cæl. t. 38. *Idq; in Deo multo magis verum est; cujus nempe potentia est ipsa essentia: Atqui essentia est infinita: Ergo & potentia. Potentia autem infinita est omnipotentia. Tali modo à priore (prout nos Dei attributa solemus concipere) potentia Dei demonstratur. Nam certum est, illam à posteriori indagari non posse: Rationem reddunt* Ocham 1. d. 42. Gab. q. unica Petr. Aliac. q. 13. a. 1. Greg. 1. d. 42. *quia nullus datur effectus, qui sufficiens sit ejus testimonium. Herveus* 1. d. 43. q. 1. *excipit: Licet infinitus effectus non detur, dari tamen modum infinitum, scilicet creationem. Cui respondetur, creationem creaturæ esse ignotam. Unde Averroës* 2. de cælo t. 38. 39. 63. 71. item de substant. orb. cap. 3. item 8. Phys. t. 79. & 12. Met. t. 41. *apertè dicit potestatem Dei finitam esse: idemq; statuisse Aristotelem præter* Ocham. *Gregor. Gabr. & reliquos nominales, testantur.* Niph. in lib. de infin. æterni motoris. Iandun. in

Met-

Metaph. quæst. 15. Marsil. 1. d. 42. q. 24. a. 2. *Atq; sententia hæc Aristotelis facile demonstrari potest* ex lib. 3. Phys. t. 32. lib. 8. eor. t. 78. lib. 2. cæl. c. 6. t. 70. 71. lib. 9. Metaph. text. 17. Videatur & Vicom. & Zabarella ad 8. Phys. *Non quidem desunt, qui Aristotelem hic defendunt, illiq; cognitam fuisse infinitam Dei potentiam disputant ex* t. 77. lib. 8. Phys. *Videatur* Simpl. & Themist. supra allegatum textum 77. lib. 8. Phys. item Albert. M. 8. Phys. tr. 4. cap. 1. Thom. 1. p q. 25. a. 2. lib. 8. Phys. ad t. 79. Scot. 1. d. 2. q. 2. Quodl. 7. in tr. de primo princ. Sonc. 12. Metaphys. q. 41. Iavell. q. 20. Ægid. 1. d. 43. q. 1. Toletus & Tatar. supra 8. Phys. Cajetan. de inf. pr. motoris. Ant. And. q. 2. Herv. 1. d. 43. q. 1. Objectum omnipotentiæ *exprimitur in definitione, quòd sit* omne possibile simpliciter, *hoc est, quicquid non involvit contradictionem id possibile est per omnipotentiam Dei. Et notandum hic est impossibile dupliciter dici. 1. Positivè. 2. Negativè.* Positivè *quando accipitur, denominatur à potentiâ, de quâ hoc loco non loquimur.* Negative *sumitur pro non-repugnantiâ, quo modo hôc loco intelligitur. Quodcunq; igitur repugnantiam non involvit, id possibile est respectu omnipotentiæ Dei. Id autem maximè repugnare manifestum est, quod contradictionem involvit. Nihil enim magis repugnat enti, quam non Ens: ideoq; quod involvit contradictionem extra latitudinem entis est: Ergo simpliciter impossibile est. Nam quicquid possibile est, in latitudine Entis sit oportet. Videatur* Thomas 2. cont. gent. cap. 25.

Impossibile dupliciter dicitur.

&c 1. p. q. 25. a. 3. Alex. Alen. 1. p. q. 20. Albert. art. 4. & 6. Capreol. Dur. Gregor. q. 1. Richar. q. 3. & 4. Scotus d. 44.

Circa objecti hujus considerationem duæ quæstiones sunt resolvendæ. 1. An totum illud, quod potest Deus, sub omnipotentia divina contineatur, *hoc est, an totum illius objectum simul in actum possit produci?* 2. An possit producere infinitum? *Priorem quæstionem quod attinet, facilis ad illam est responsio. Deus, quia liberum agens est, potest facere & non facere: hæc autem simul effici nequeunt: implicant enim contradictionem: Ergo totum objectum divinæ potentiæ simul in actum duci nequit, propter repugnantiam terminorum.* Posterior *quæstio quandam habet difficultatem, & inter se dissentiunt Philosophi.* Thomas 1. p. q. 7. a. 3. & 4. Quodl. 9. a. 1. Scot. 2. d. 1. q. 3. Durand. 1. d. 43. q. 2. Per. lib. 10. c. 11. & multi alij, *negant infinitum posse produci: quòd omnipotentiam divinam exhauriet. In contraria sunt sententia* Greg. 1. d. 13. q. 4. Och. quodl. 2. q. 5. Petrus de Aliaco d. 42. q. 13. a. 3. c. 2. *& alij, qui affirmant infinitum posse produci. In genere Entis nullum aliud infinitum esse præter Deum, neq; produci posse statuimus. Potentia porrò divina dividitur à Scholasticis in absolutam, & ordinatam. De quâ divisione ita Scaliger* Exerc. 365. Distinxerunt, mortales, *inquit*, duplicem in Deo potentiam, absolutam, & ordinatam: Vna tamen in ipso est. Namq; ordinaria est absolutæ pars. *Quomodo autem utraq; definiatur, & quæ alia hic afferri possunt, quia supra libro primo,*

1. Quæstio.

2. Quæstio.

mo, in disputatione de actu & potentiâ, fusius sunt explicata, non est cur hic actum agamus.

EXERCITATIO QUINTA
DE CREATIONE ET OMNIUM RERUM CONSERVATIONE, sive Providentia divinâ.

Typus hujus Exercitationis.

(T.) Ad Creaturas relat9 Deus consideratur vel in (th. 1.)
- Operibus. Opera Dei sunt Omnium rerum tum
  - Creatio th. 1. 2. 3.
  - Conservatio: quæ est Providentia th. 4.
    - Ubi de causâ mali: th. 5.
- Cultu Exercit. 6.

Theorema I.

Deus potuit mundum ex nihilo creare.

Absolutam Dei naturam contemplati sumus hactenus, sequitur, ut eandem porrò videamus ad creaturas relatam.

Essentia divina, sive Deus, ad creaturas relatus, consideratur vel in operib9, vel in cultu.

Opera Dei sunt omnium rerum tum creatio, tum conservatio.

Quid creatio.

Creatio est mundi hujus & omnium, quæ in eo sunt ex nihilo productio. *Mundus enim, quia compositus, informatus, finitus est; non à se est, sed ab alio, & quidem ab eo, qui à se est, qui primus est, qui primus motor est, qui omnipotens est. Unde mundus à Deo esse, Deusq; mundi creator arguitur. Nam* quemadmodum (*ut utamur verbis Nazianzeni* Orat. 2. de Theolog.) ille, qui cytharam affabrè constructam & elaboratam conspicit, ejusq; concentum audit, ipsum cytharæ artificem & cytharedum mente reputat; licet sibi de facie ignotum: ita etiam qui mundi harmoniam percipit, mundum à divino conditore & architecto, quamvis ab eo non videatur, creatum intelligit. *Idem luculentâ oratione ostendit August.* lib. 11. de civit. Dei cap. 4. Exceptis, *inquit*, propheticis vocibus, mundus ipse ordinatissimâ suâ mutabilitate & mobilitate & visibilium omnium pulcherrimâ specie quodammodo tacitus, & factum se esse, & non nisi à Deo fieri potuisse, proclamat.

Ex nihilo negativo potuisse creari mundum.

Posse autem ex nihilo negativo *Deum de novo producere mundum probatur. 1. Liberâ ejus voluntate. 2. Infinitâ, quâ præditus, potentiâ. Cùm itaq; Deus caussa libera, nec ullâ teneatur necessitate, potuit ab externâ operatione æternâ abstinere; atq; tum mundus ab æterno existere non potuit. Non autem est agens necessarium Deus, quia est virtutis infinitæ, quæ nulla necessitate limitari possit: siquidem agens necessarium agit secundùm ultimum suæ potentiæ.*

Quid

Quid autem ultimum infinitæ potentiæ, quàm infinitas? Faceret igitur mundum perfectiorem, quàm fecit, imò infinitum faceret. Ab agente etiam necessario non nisi unum proficiscitur: sed unum hic non habes. Vnum tamen habemus mundum inquis? Ita est: sed unius illius mundi partes, sive species plures, diversasq; naturas, quæ non nisi per accidens unum faciunt. Forsan hoc ex diversitate materiæ, & non ex dispositione agentis? Frustra hoc infertur: siquidem ipsa materia & omnia à DEO sunt. Experientia insuper docet, in mundo novam speciem arte & industriâ produci posse: mulum, plantas, & alia hujusmodi, quæ arte & vi naturæ producuntur. Vel itaq; DEVS ista potuit facere ab æterno, vel non potuit. Si non potuit, non est infinitæ potentiæ: quòd falsum: Si potuit, & non fecit, aut recurrendum erit ad liberam voluntatem, quòd ita voluit; vel iterum contradictoriè inferendum, quod non potuit. Et ut hoc quoq; addamus: Estnè divinæ voluntatis effectum voluntas humana? Ast hæc est libera. Necessarium verò quomodo faciet liberum? Et si melior est DEVS homine, cur non erit liber? Satis profectò constat circa mundi productionem DEVM fuisse liberum.

De potentiâ dubitabit nemo. Nullum enim est dubium, ubi demonstratio certa. Divinum esse, in quo potentiæ ratio fundatur, infinitum est monstratum: quippe quod non ad aliud aliquod Entis genus est limitatum; sed totius esse rationem completam in se cohibet. Ergo DEI potentia infinita est, atq; adeo ad nullum quoq; Entis genus limitata. Ast hæc non potest exeri in infinito. Infinitum enim non est factibile:

In modo itaq;, quo tamẽ infinitè procedit, quod aliud nihil est, quàm ex nihilo producere aliquid. Quo etiam caussa est excellentior, eò etiã excellentiorẽ habet operationem: Tres sunt caussæ primariò agentes: DEUS, Natura, ARS: *Nobilior est natura arte, DEUS naturâ. DEUS enim facit materiam naturæ, natura arti. Ergo quia ars aliquid producit ex composito, illud, in quo operatur à naturâ factum ex materiâ simplici & arti subjectum est: Materia itaq; simplex à DEO facta est ex nihilo & naturæ subjecta. Quia itaq; subjectum operationis artis est compositum, subjectum naturæ simplex materia, constat DEUM horum neutrum requirere: atque adeo ex nihilo aliquid producere posse. Si igitur DEUS ex nihilo aliquid producere potest, absque ullo etiam dubio mundum in tempore facere potest. Quis porrò negabit? Quantò aliquis effectus est universalior; tantò altiorem habeat caussam propriam, necesse est: Cùm itaq; esse sit universalius quam moveri, (dantur enim quæ non moventur, consentientibus Philosophis); concedenda erit supra caussam, quæ non agit nisi movendo & transmutando, alia adhuc, quæ sit principium essendi primum. Illud autem primum demonstravimus esse DEUM: Ergo DEUS non tantummodò agit movendo & transmutando. Omnis verò caussa, quæ producere nequit res in esse, nisi ex materiâ præjacente, agit solùm movendo & transmutando. Quandoquidem productio alicujus ex materiâ fit per motum. Non igitur possibile virtuti finitæ, producere eam posse res in esse sine materiâ præjacente. Cùm igitur constet ex præmissis DEUM esse universale*

essendi

essendi principium: Ergo adhuc nullo modo censendum, eum saltem per motum aut mutationem agere: quandoquidem per motum mutationemq; agere non competit universali caussæ ejus quod est esse, quando per motum & mutationem non producitur Ens ex non Ente simpliciter: sed ens hoc ex non-ente hoc. Quod tamen HOC NON ENS semper præsupponit potentiam, potentia materiam, quæ etiam entitatem habent: Atq; adeo sui esse requirunt principium. Adde & hoc: Quorumcunq; in rerum naturâ quædam est proportio & aliquis ordo, oportet alterum illorum esse ab altero; aut ambo ab aliquo tertio: Siquidem necesse est ordinem in uno ad aliud constitui, respondendo; aliàs ordo & proportio esset à caußa, cui in numero principiorum locus dari nequit. Quandoquidem omnia magis alia atque alia essent casu, quod negant Philosophi, & verè. Quocirca si aliqua materia divinæ actioni proportionata est concedenda; concedendum utique, vel quod hic quoque alterum sit ex altero, vel utrumque à tertio. Atqui DEUS est primum Ens & prima caussa, ut demonstravimus: Ergo non potest effectus materiæ esse, nec potest esse ab aliqua tertia caußa: Tunc enim non esset prima. Relinquitur itaque, si invenitur & datur aliqua materia divinæ actioni proportionata; quod illius ipse sit caussa DEUS. Nam quod in ordine & proportione Entium est simpliciter primum, illud est caussa illorum, quæ sunt (si enim non esset caussa, non esset ab eo ordinata, uti modo vidimus): Inter actum & potentiam talis est ordo, ut licet

quidem

quidem in uno & eodem, quod aliquando est potentiâ aliquando est actu, potentia sit prior tempore, quàm actus: tamen actus simpliciter & in se consideratus, prior sit potentia, ut caussa effectu, cùm potentia in actum non nisi actu reducatur, & tanquam animetur, veluti cum semen vi solis in herbam, aut nucleus in arborem adolescit, hoc est, potentia non educitur in actum, nisi per Ens actu existens: Atqui materia est ens in potentia: Ergo oportet DEVS, qui est actus purus & primus, sit simpliciter eâ prior, ejusq; caussa. Illius itaq; actioni materia ex necessitate non subjicienda, quod etiam inde conspicuum: Vt ens est, ita operatur; cum itaq; DEVS ita sit, ut non ab alio dependeat, nec ad suum esse aliquid præexigat, similiter in agendo nec præjacentem materiam requiret aut supponet: Imo absurdissimum: DEO aliquid coæternum affingere. Vnde Scalig. Exerc. 7. sect. 20. *Imò, inquit, acerrimo judicio perpendenti multò absurdius videbitur, aliquid DEO esse coæternum, quàm aliquando esse cœpisse mundum, tum quod patet in partibus, judicare debet naturam totius. Nam sicuti singulis momentis gaudet summus opifex tot tantisq; mutationibus, ita mundum voluit aliquando non fuisse, postea fuisse. Huc pertinet* propositio 18. libri de caussis, *quem nonnulli Aristoteli, alij Avempace, alij Alpharabio, alij Proclo adscribunt*: Res omnes habent essentiam per Ens primum. Et res vivæ omnes sunt motæ per essentiam suam propter vitam primam. Et res intelligibiles omnes habent scientiam propter intelligentiam primam. Quod est, quia si omais

mnis caussa dat caussato suo aliquid, tunc procul dubio Ens primum dat caussatis suis omnibus esse. Similiter vita dat caussatis suum motum, quia vita est processio procedens ex Ente primo quieto sempiterno, & motus similiter primus. Et similiter intelligentia dat caussatis suis scientiam, quod est; quia omnis vera scientia non est nisi intelligentia; & intelligentia est primum sciens, quod est primum influens scientiam super reliqua Entia. Redeamus ergo & dicamus, quod Ens primum quietum est caussa caussarum, & si primum ipsum dat esse omnibus, tum ipsum dat eis per MODUM CREATIONIS.

Theorema II.

Mundus à DEO est factus in tempore & cum tempore; adeoque DEUS est verus mundi creator.

Atque ita demonstratum est hactenus posse DEUM per potentiam infinitam, & posse etiam velle per voluntatem liberam, mundum ex nihilo in tempore & cum tempore producere: restat nunc inquirendum, an DEUS voluerit actu per infinitam potentiam suam mundum ex nihilo in tempore facere, & an in tempore an verò ab æterno fecerit. *Difficilima sanè quæstio, cujus in utramq;*

partem

partem fortissima adduci possunt argumenta: unde etiam Philosophis tantùm facessit negotij, ut in varia, eaq; gravissima absurda, inciderint. Tentabimus nihilominus veritatem ratiocinando indagare.

Mundus non est ab æterno. *Statuimus itaque mundum ab æterno non esse. Nam si mundus ab æterno esset, daretur infinitum in quantitate discreta, quod est contra naturam, teste Philosopho. Si enim mundus ab æterno; utique fuere homines ab æterno. Non itaq; datur primus: sunt enim transacti infiniti. Omnis homo moritur. Ergo infiniti homines ab æterno sunt mortui: ergo infinitæ animæ sunt separatæ à corporibus: cùm mors nihil aliud sit, quàm solutio animæ à corpore: Ergo infinitæ animæ existunt ab æterno. Animæ rationales enim immortales sunt:* lib. 3. de anim. cap. 5. *Ergo non datur prima anima. Ergo animarum numerus infinitus: quod ἀδύνατον, atq; propterea à Philosophis negatur.*

Alias Philosophi hoc potissimùm insistunt argumento: si mundus est vel per emanationem, vel quovis alio modo ab æterno: tum sol aut factus est in oriente, aut in occidente, aut in meridie, aut in septentrione, aut in omnibus illis positionibus simul, aut in nulla illarum. Non in omnibus simul: contra ordinem enim naturæ est, corpus naturale naturaliter in pluribus esse locis simul, & in uno loco tantùm. Non in nullâ, quia implicaret solem esse, & nullibi esse. Ergo in aliqua positione factus est; sive sit oriens, sive occidens, sive meridies, sive septentrio, sive aliqua intermedia. Forsitan concedis, quòd fuerit in oriente

(perinde

perinde autem est, sive hunc, sive alium eligas situm): quid inde? aut mansit in oriente tempore æterno & infinito immotus, aut cœpit statim moveri ab æterno. Prius non conceditur: quia esset contra naturam, & infinito tempore violenta actio. Neque posterius concedi potest. Si enim cœpit statim moveri ab æterno, tum tempus illius motus est aut finitum, aut infinitum: Non infinitum: aut enim erit concedendum, infinito isto tempore solis motum unum tantùm semicirculum absoluisse, quod ridiculum & contra omnem experientiam: aut infinito tempore infiniti isti gyri & circulares motus sunt transacti, nec una media pars. Pervenit igitur sol ab oriente in occidens tempore finito, spacio nimirum duodecim horarum. Ergo supputando à fine illius semicirculationis usq; ad initium, quo factus fuit sol in oriente, reperitur tempus tantùm finitum, nempe horæ duodecim: Non itaq; ab æterno factus. Nam à centro dato & determinato, in instanti ascendendo superius non procedimus postea à termino in infinitum, quod quidem necessarium esset, si ab æterno antea fuisset factus in oriente. Ab omni enim instanti, ubicunq; & quandocunq; post æternum accepto, necessariò distantia infinita ad æternum usq; concedenda est. Iterum si instituas supputationem ab eo tempore, quo fuit in occidente usq; ad nos, tum iterum illud tempus, aut finitum, aut infinitum. Si finitum, pro nobis colligitur: quandoquidem totum illud tempus elapsum à condito sole ad nos usque reperitur finitum. Nam à positione solis occi-

occidentis ad nos esset tempus finitum: ab illa itaque rursum ad positionem solis in oriente etiam finitum: verbi gratiâ, duodecim horarum: Ergo universum illud tempus esset compositum ex tempore finito: Ergo finitum. Finitum enim finito additum, non facit infinitum, sed finitum. Urges: infinitum tempus esse protractum à tempore isto, quo sol fuit in occidente ad nos usq;. Majus inde sequitur absurdum: Nempe infinito posse aliquid addi in illâ parte, quâ infinitum est. Absurdum, inquam, hoc & plane ἀδύνατον. Adderetur autem adhuc aliquid parti infinitæ, nempe illæ duodecim horæ, usq; dum sol prius factus fuit in oriente, imo implicaret contradictionem ubiq;. Fuisset enim ab æterno in oriente & occidente, & tamen alterum prius fuisset altero: Contradictio. Nam quæ æterna, illorum alterum non est prius altero. Ergo sol non factus ab æterno, neq; mundus. Imò si mundus fuit ab æterno productus, tot præcesserunt instantia, quot horæ; tot horæ, quot dies; tot dies, quot menses; tot menses, quot anni; tot anni, quot secula. Et profecto si DEVS aliquid ab æterno produxisset, necessariò id condidisset: sed hoc falsum: Operationes enim DEI sunt liberæ, ut demonstravimus: Ergo impoßibile fuit mundum creari ab æterno. Major hujus argumenti hoc nititur fundamine: Si enim mundum DEVS potuisset non creare, vel potuisset ante, vel post, vel dum crearet. Non ante: quia ante creationem æternam nulla potest esse duratio. Non post: quia ad præteritum revocandum nulla datur potentia: Neq; dum crearet, quia tum res creata jam erat: res autem quando est, necessariò est, ut docet Philo-

sophus

sophus lib. de interpret. Ergo non liberè. Deinde probatur eadem major: Vel ea duratio, in quâ Deus potuisset non creare, esset æternitas ipsa; vel ut nostræ respondet durationi divisibili, vel ut respondet durationi indivisibili. Non respondet indivisibili: jam enim daretur æternitatis initium: non divisibili, quia ea esset vel finita, vel infinita. Non finita: haberet enim tum principium, atq; daretur initium æternitatis: tum etiam, quia in parte dimidia, quæ est versus nos, non potuisset non creare, cùm in priore parte jam creasset & ad præteritum, uti diximus, non detur potentia: nec item esset infinita, quia in quâlibet posterioris ejus durationis parte, non potuisset non creare, siquidem in aliâ priore jam creasset. Si igitur Deus ab æterno aliquid produxisset, non liberè, sed necessariò produxisset. Si tandem nihil præter Deum habet esse omnibus numeris absolutum & perfectum: nulla creatura à se esse potest, quod est: Unde necessariò suũ esse à caußa superiore habet, hoc est, à primo & perfectißimo Ente, in quo ipsum esse, ut in primæva origine absolutè & essentialiter inest, mutuatur. Deus itaq; fons & caußâ omnibus τοῖς οὖσι τῆς οὐσίας; τοῖς ζῶσι τῆς ζωῆς: τοῖς λόγου μετέχουσι καὶ ἐννοίαις τοῦ λόγου, & caussa omnis boni in naturâ. Quid multis? Tota natura clamitat se aliquando factam & creatam esse. Quod ipsemet Spiritus sanctus testatur. Iob. cap. 12. v. 7. 8. & 9. Interroga Iumenta, & docebunt te: & volatilia cæli, & indicabunt tibi. Loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris. Quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit? In

eandem ferè sententiam Augustinus lib. 15. de Trin. cap. 4. Omnis, *inquit*, quæ nos circumstat, ad quam nos etiam pertinemus, universa ipsa rerum natura proclamat, habere se præstantissimum conditorem, qui nobis mentem rationemq; naturalem dedit, quà viventia non viventibus: sensu prædita non sentientibus: intelligentia non intelligentibus: immortalia mortalibus: impotentibus potentia: injustis justa: speciosa deformibus: bona malis: incorruptibilia corruptibilibus: immutabilia mutabilibus: invisibilia visibilibus: incorporalia corporalibus: beata miseris, præferenda videamus. Ac per hoc quoniam rebus creatis creatorem sine dubitatione præponimus, oportet, ut eum & summè vivere & cuncta sentire atq; intelligere, & mori, corrumpi, mutariq; non posse, nec corpus esse, sed spiritum omnium potentissimum, justissimum, speciosissimum, optimum, beatissimumq; fateamur. *Hinc omnes propemodum antiquitatis Philosophi universo exordium dederunt.*

An Aristoteli creatio mundi fuerit ignota.

Ab Aristotele *ut initium sumam, licet quidem multi sint, qui creationem ignotam ei omninò fuisse contendant; simulq; statuant, nihil à Peripatetica Philosophia magis esse alienum, quàm arbitrari à Deo aliquid ex nihilo posse produci. In hac opinione fuerunt* Eudemus, Alexander, *ut meminit* Simplicius, Pletho, *in libro de ijs, quibus* Aristoteles *à* Platone *dissidet*: c. 1. Averroës, Simplicius *& alij. Alij tamen judicant* Aristotelem *creationem agno-*

gnovisse.Nam 2.Rhet.c.23. *docet, Dæmones opus Dei esse* lib.2.de gen.c,10.t.58. *ait: Deum universum omnibus suis numeris concinnè & eleganter perfecisse, veram æternitatem ijs, quæ habere illam poterant, impertiendo. Et alibi in Metaphysica asserit: primam caussam esse cæteris caussam, ut sint. Vbi probè advertit* Thomas Aquinas, *Aristotelem Deum non solùm motus, sed ipsarum quoq; rerum, quæ motu cientur, caussam fecisse.* Et lib.λ.Metaph.c.8. t.43. *Deum absolutè principium & primam caussam vocat. Hisce & similibus moti nonnulli, statuunt, Aristoteli rerum creationem, Deumq; effectricem mundi caussam esse non latuisse.* Avicenna lib.9.Metaphys. cap.4. Thom. Aquin. lib. 8. Phys. ad text. 4. Scot. quodl.7.&in 2.sent.d.1.Albertus de quatuor Coævis q.1.art.1.& alij.

Porrò omnes penè Philosophi, qui ante Aristotelis tempora floruêre, in hâc fuere sententiâ, mundum eâ facie, quam nunc habet, non ab æterno, sed initio temporis extitisse. ita sensit Trismegistus, *ex cujus fontibus universa bibisse Græcia fertur: ita* Musæus, *ita* Linus, *ita* Epicharmus, Orpheus, Hesiodus, Homerus, Anaxagoras, Melissus, Empedocles, Pherecides, Philolaus, Democritus, Zarera Chaldeus *præceptor Pythagoræ, atq; ante hos omnes* Zoroaster, *quemadmodum ex ijs sive oraculis, quæ vocant, sive Logijs intelligitur, quæ apud veteres disseminata, à Francisco Patritio post alios quosdam diligenti sanè studio collecta sunt. Ipse quoq;* Plato *in Sophistâ circa finem fatetur, per Deũ omnia gigni.* Mundum aliquando cœpisse.

gigni. Videatur etiã Plato in Timæo. De quo Plutarchus de dogmatibus Philosophorum & Psychogonia inquit: Quidam Platonis alioqui studiosi, torquent omnibus modis ejus verba, ut creationem mundi & animæ negare, temporisq; æternitatem asseverare videatur. At videant, ne egregiam illam Deorum adversus impios orationem ei hâc ratione tollant, quâ nil Platone est dignius aut Platonicum magis. Quid autem uno & altero loco prolato opus est, cum Timæus creationem mundi disertè & de industriâ exponat. *Cicero quoq; in lib. de nat. deor. Epicureorum & Democriti insaniam castigans ait:* Miror, esse quenquam, qui sibi persuadeat, corpora quædam solida atq; individua, vi & gravitate ferri, mundumq; effici ornatissimum. Imò universa mundi natura istos proxenetas casus & fortunæ vaniloquos manifestâ veritatis luce reverberat. Quippe Systema, quod est omnium pulcherrimum, ornatissimum, artificiossimũ, ordinatissimum, non casu aut fortunâ, sed ingeniosissimi & sapientissimi alicujus opificis operâ & industriâ, existere potuit. Tale autem systema est mundus: cujus magnitudo amplissima, pulchritudo ornatissima, figura & conformatio aptissima, quem in sui admirationem non rapiunt? Ea certè admiratio Physiologiam nobis peperit. Admiratione enim afficiebantur & ducebantur, qui ad investigationem caussarum naturalium animos suos appulerunt.
Non

Non igitur mundus casu aut fortuitò, sed opificis ingeniosissimi & sapientissimi opera atq; industria existere potuit. *Sic Seneca paßim pronunciat, Deum mundum & hominem creasse, & ab origine mundi alternis diebus agi omnia &c. Seneca* lib.1.de vit.beat.cap.31.32.Item in Epist. & in quæst.natur. *Sic Epictetus*: Hominem Deus ipse in mundum induxit, corpus ei & membra, hæreditates & cohæredes dedit. Visum porrò & colores fecit. Visus verò & colores frustra absq; luce. Ergo & lucem ipsam creavit. *Et Plutarchus iterum in Psychogonia edisserit*: Si Deus omnia non fecit, à quibusdam rebus cogitur & omnium Dominus non est. Deum autem omnium Dominum arbitrari oportet: Ergo & singularum creatorem. *Theophrastus* in lib. de sapor. *statuit expreßè, Mundum à Deo creatum, & ex nihilo creatum esse. Et Algazel Arabs contra Averroëm magno ingenij conatu contendit, Deum ad mundi creationem neq; materiâ neq; novo consilio opus habuisse. Et Porphyrius* in Timæum Platonis *scribit: Cum materia per se sufficiens non sit ad bene esse, sed ad id Dei auxilio prorsus indigeat; Deus autem sibi ipse sufficiat & ad esse & ad bene esse; quis nõ videat, Deum materiâ esse superiorem, materiam verò sibi solam non sufficere ad ipsum esse, quæ procul dubio alioqui ad ipsum bonum esse sufficeret. Negandum itaq; nõ est, quin materiam is ipse fecerit, per quem perfectam fuisse, omnes fatemur. Atq; ita pene omnes Philosophi uno ore fatentur ortum mundi. Quod argumentum, ut Arist.* lib. de divin. per

ſom. & lib. 7. Eth. teſtis eſt, permagnum in Phi-
loſophiâ ſolet habere momentum, quippe quod, tum
ſumptum ſit à tam gravi & unanimi ſapientum au-
thoritate, tanquam ab ipsâ naturæ voce, ſenſuq; ve-
ritatis ductum, videatur. Vt etiam hoc addamus:
nonne conſtat, qui, quâ ætate, floruerint artium in-
ventores? Nonne hoc legimus apud Divum Athana-
ſium Orat. Contra Idola; apud Clementem Ale-
xandrinum 1. Stromat. apud Ioſephum l. anti-
quit. cap. 2. Heliodorum lib. 2. Strabonem ulti-
mo Geographiæ. Plinium lib. 7. natur. hiſt.
cap. 56. Polydorum lib. de invent. rerum. Dio-
dorum lib. 2. antiquit. cap. 2. & alios? Quis au-
tem tam amens, qui aſſeverare audeat, infinita ante-
cedentium annorum ſecula humanum genus artibus,
ſcientijs, diſciplinis caruiſſe, quod alias apud Philoſo-
phum lib. ά. μείζ. Metaphyſ. cap. 1. arte vi-
vit & ratione? Evolvas omnes omnium Ethnicorum
hiſtorias; Noano diluvio invenies recentiores. Nam
quis ignorat Beroſi Chaldæi hiſtoriam antiquiſſi-
mam haberi? qui nihilominus eam exorſus eſt à dilu-
vio, ut rectè obſervavit Ioſephus lib. 1. contra A-
pionem. M. Varro quoq;, qui diligentiſſimus ori-
ginum fuit ſcrutator, Cataclyſmo Ogygis, quem
σύγχρονον Patriarchæ Iacobi fuiſſe conſtat, nihil
habet antiquius. Trojus Pompejus initium hiſto-
Ninus. riæ ſuæ ſumit à Nino, qui poſt mundum creatum an-
nis mille nongentis, Monarchiæ Aſſyriorum, quæ o-
mnium prima fuit, fundamenta jecit. Cum igitur hi-
ſtoriarum habeantur initia, mundum quoq; initium
aliquan-

aliquando sumpsisse, probabile est. Hoc argumento utitur Lucretius lib. 4.

Præterea si nulla fuit genitalis origo
Terrarum & cæli, semperq; æterna fuere:
Cur supra bellum Thebanum, & funera Trojæ
Non alias alij quoq; res cecinêre Poëtæ?
Quo tot facta viris toties, cecidêre, nec unquam
Æternis famæ monumentis inclyta florent?

Testatur quoq; Augustinus 15. de civit. Dei cap. 9. D. Cyprianus adversus Demetrianum. Plinius lib. 7. nat. hist. c. 16. Aulus Gellius lib. 3. Noct. Attic. c. 10. & alij, *quo magis ætatum decursus præterit, eo minora corpora ferre naturam. Quod etiam* Homerus *jam olim* Iliad. 6. *conquestus est. Et Iuvenalis* Satyr. 15. *inquit:*

Terra malos homines nunc educat, atq; pusillos,
Ergo DEUS quicunq; aspexit, ridet & odit.

Si igitur homines ab æterno extitissent, decrescente paulatim eorum magnitudine, dudum ad minimam quantitatem pervenissent. Vide Schroderum in Opusc. Theol. cap. 2. *Adde, quod non tantùm hisce & similibus rationibus moti, crediderunt Ethnici mundum cæpisse: verùm altius & longius progressi, tempus creationis ex naturæ cursu indagari posse arbitrati sunt. Mundum enim creatum esse verno tempore affirmarunt. Vnde antiquissimi Astrologi & Poëtæ solarem* Tempus creationis mundi.

rem motum à principio Arietis auspicati sunt: sic enim Poëta Latinus:

Non alios prima nascentis origine mundi
Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem,
Crediderim: ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis & hybernis parcebant flatibus Euri.

Imò videntur & vidisse interitum hujus seculi Ethnici. Sic enim Lucanus:

Communis superest mundo rogus, ossibus astra
Mixturus.

Et Lucretius lib. 5. mundum aliquando periturum scribit:

Vna dies dabit exitio, multosq; per annos
Sustentata ruet moles & machina mundi,
Exitium, quoq; terrarum cæliq; futurum.

Et iterum:

Haud igitur lethi præclusa est janua cælo,
Nec soli terræq;, nec altis ætheris undis,
Sed patet immani & vasto respectat hiatu:
Nam statuit genitor rerum irrevocabile tempus,
Quo cunctum torrens rumpat flamma ultima mundum.

Eusebius lib. 13. de præp. Evang. *hos Sophoclis versus qui flammæ incendium eversurum orbem docent, recitat:*

ἔςαι

Ἔσται γὰρ, ἔσται κεῖνος αἰώνων χρόνος,
Ὅταν πυρὸς γέμοντα θησαυρὸν χάσῃ
Χρυσωπὸς αἰθὴρ, ἡ δὲ βοσκηθεῖσα φλὸξ
Ἅπαντα τἀπίγεια καὶ μετάρσια.
Φλέξει μανεῖσ'. ὅταν δὲ ἐκλίπῃ τὸ πᾶν,
Φροῦδος μὲν ἔσται κυμάτων ἄπαν βυθὸς,
Γῆ δ' ἑδράνων ἔρημος, οὐδὲ ἄρ ἔτι
Πτερωτὰ φῦλα βαστάσει πυρουμένη.
Καὶ γὰρ καθ' ἅδην δύο τρίβους νομίζομεν,
Μίαν δικαίων, χ' ἀτέραν τῶν ἀδίκων.
Erit enim, erit illud ſeculorum tempus,
Cum plenum ignis theſaurum laxabit
Ignæus æther, paſtaq; flamma
Omnia & terreſtria & ſublimia
Comburet inſaniens. Ubi deniq; deſierint omnia,
Nusquam erit fluctuum omnis gurges,
Eritq; terra ſedibus deſerta, nec amplius
Uolucrum genus portabit, dum ardebit.
Nam ad inferos duas ſemitas exiſtimamus
Unam juſtorum, alteram injuſtorum.

Cum hiſce conſentiunt, quæ habet Cicero lib. 2. de nat. Deor. *& Seneca* lib. de conſolatione ad Martiam : *cum tempus, inquiunt, advenerit, quo ſe mundus renovaturus extinguet, ſidera ſideribus occurrent, & omni flagrante materiâ uno igne quicquid nunc ex diſpoſito lucet, ardebit. Refert quoq; & celebrat* Plato *in Philebo cum Plutarcho Orphei verſiculum:*

Ἕκτῃ ἐν γενεῇ κόσμος καταπαύσει ἀοιδῆς.

id est, in sexto millenario mundus destruetur.

Et licet quidem Plato tantùm de specialibus regionum mutationibus in Philebo, quando versum hunc allegat, loquatur: tamen verisimile est ex dicto cujusdam Eliæ, *quod extat in libris Thalmudis:* Duo millia inane: duo millia lex: duo millia Messias: *versiculum hunc depromptum esse. Plura hâc de re citant testimonia* Clemens Alexandrinus lib. 5. Strom. Iustinus Martyr & Philosophus lib. de monarchia DEI. Et Eusebius lib. 13. de præparat. Evang. *Ovidius quoq;* lib. 1. amor. Eleg. 15. *idem asserit:*

Et ventura dies mundi, quæ subruat arces
Exitio.

Et iterum lib. 9. Metamorph. ——— tempus
Quo mare, quo tellus, correptaq; regia cœli
Ardeat, & quando moles operosa laboret.

Constat igitur mundum à DEO *in tempore, non ab æterno, creatum esse. Cùm enim finitus sit, quomodo æternitatis erit capax? Esse autem finitum mundum, manifestum est ex illis, quæ de corpore infinito disputavimus.* Fuitne igitur ab æterno otiosus DEUS? *Minimè hoc statuendum est: quomodo enim virtus infinita & absolutè perfecta æterno otio potuisset torpere? Neq; jam post creationem otiosus est. Idem enim post creationem manet, ut ante eandem, ens perfectißimum, omnia sapientißimo consilio producens in pulcherrimo & optimo statu, mensurâ, & pondere.*

DEUS non fuit ociosus ab æterno.

lere. Alias otium DEI est quies DEI; quies DEI status DEI; status DEI, est perfectio DEI, quam, diximus, post creationem non deposuit. Non autem ius creavit DEVS, quàm creavit, quia noluit, & idem rectè. Etenim voluntas DEI est omnium re-itudo, optimaq; justitiæ mensura & regula. Quan-o itaq; animadvertit DEVS esse utile mundo, ut n tempore crearetur, eum in tempore creavit. Nec propterea invidiæ impiè insimulandus est; cùm omnia ex sese fecerit, quare & Plato *DEVM τὸ ὄν, cætera verò τὰ μὴ ὄντων dixit, quandoquidem totum universum & quæcunq; in eo sunt, cum DEO collata, Non-Entis rationem habent.*

Theorema III.

DEUS omnia liberrimâ voluntate produxit, non permotus ab alio.

Vt autem DEVS omnia immutabili voluntate produxit, ita etiam propriâ & liberâ, (uti in præcedentibus quoq; vidimus) voluntate, & non alienâ permotus, creavit. Alias enim ab alio, vel infinito, vel finito ductus vel coactus: Non ab alio infinito, *ne actio & passio in infinitum cadens, ens infinitum esse neget: neq; ens aliud infinitum datur.* Non à finito, *quia finitum non erat: quod aũt non est, ejus non sunt caussæ: ergo nec operatio: quinimò potentia finiti impeditur per potentiã infiniti, imò absumitur. Vnde neq; naturæ suæ necessitate mundũ creavit* Deus, *uti vidimus. Vt n. primo mobili primus & perfectissimus motus:*

Quæ caussa creationis mundi impulsiva?

motus: ita primo agenti debetur prima perfectissimaq; operatio: cùm igitur operatio ab intellectu & volũtate proficiscens longe præstat actioni naturæ, ea in primum agens, proindeq; in D E V M *competit.* Deinde *testatur Philosophus* lib. ἀ· μεῖζ. Metaph. c. 2. *ordinare esse officium sapientis: cùm ordo exhiberi non possit, nisi ab eo, qui rerum inter se proportionem & habitudinem intelligit & amat. Quia itaq; in universi hujus structurâ tanta ordinis elegantia & pulchritudo elucescit: mundus ex præscripto sapientiæ divinæ & divini amoris operatione, adeoq; intellectu & voluntate fuisse creatus, arguitur.* Factum autem *hoc esse non necessariò, sed liberè, adhuc demonstratur, quòd extra se nihil nisi sponte suâ & liberè agat* D E V S. *Nam cùm summè bonus & infinitè perfectus sit, omnem boni appetitusq; rationem in se invenit, quod & Aristoteli non fuit incognitum* lib. 2. Magnor. Moral. c. 15. & 7. Polit. c. 1. *ubi docet, quòd* D E V S *non aliquâ re indiget externâ, sed suâ naturâ felix est atq; beatus. Quare voluntas divina extra se nihil necessariò appetet, pro indeq; nullam craturam necessariò producet. Vt hac de re in præcedentibus fusius fuit disputatum.* Cæterum *argumenta pro creatione mundi hactenus proposita* ἀπόδεικτα *&* ἀναγκαῖα *nõ sunt, sed tãtũ* ἔνδοξα *& probabilia. Nam licet quidem recta ratio per illa videat & intelligat, mundum à se ipso non esse, sed ab alio, & quidem à* Deo *liberrimè agente dependere: apodictiçè tamen, certissimè & immutabiliter concludere nequit illum in tempore cœpisse & à* Deo *creatum esse. Quandoquidem & contra ejus creationem proba-*

Deus omnia agit liberè.

probabilia argumenta non omnino negligenda adferri possent, quæ tamen brevitatis caussa omittimus. Nos vero qui in Ecclesia Christi instituti, & à spiritu sancto edocti certò scimus & credimus, in principio creasse Deum cœlum & terram, & omnia, quæ illorum ambitu continentur, unicumq; & solum Deum, & præter illum, nihil omnino æternum esse.

Theorema IV.

Providentiâ DEI omnia gubernantur & conservantur.

Porrò ut omnia à DEO, liberrimè agente, sunt producta: sic ab eo omnia conservantur: quod fit per Providentiam, quam definit Damascenus libro 2. de fid. Orth. cap. 29. *duplici modo:* 1. προνοιά ἐστιν, ἡ ἐκ θεοῦ εἰς τὰ ὄντα γινομένη ἐπιμέλεια. Providentia est, quæ ex Deo est, in ea, quæ sunt, cura. 2. προνοιά ἐστι βούλησις θεοῦ, δι' ἣν πάντα τὰ ὄντα τὴν πρόσφορον διεξαγωγὴν λαμβάνει. Providentia est voluntas DEI, per quam omnia, quæ sunt, convenientem gubernationem suscipiunt. *A Deo itaq; omnia reguntur & conservantur. Cum enim Deus bonus, bonitatemq; suam immutabilem nunquam deponat, maximè erit providus, curamq; administrandi universi non abjiciet, ne temerè res ferantur, quod omninò contingeret, cessante providentiæ gubernatione; nisi forsan concedendum, rationem & naturam omnibus rectè præesse posse. Quod negandum omninò. Rationi etenim non omnia subjacent, & natura semper eodem* — Dei providentia.

eodem agit modo. Quare qui DEVM *negat providum, eum vel ignorantiæ accusat, aut non velle dicat, aut non posse statuat. Absurdum ubiq;. Quomodo enim illum, qui omniscius est, potest aliquid latere? quomodoq; ille, qui omnia creavit, ut essent, possit non conservare velle? De potentia deniq; quis dubitabit? Quæ enim si negaretur, tum vel ratione sui, vel ratione rerum singularum imbecillis æstimaretur. Non ratione sui; quia omnipotens: non ratione rerum; quia à divina potentia & sapientiâ omnia dependent.* Videatur Alexander in libro de providentia. *Imo totum hoc universum, & omnes ejus partes clamitant, esse aliquod Numen, cujus providentiâ omnia conserventur, omnia regantur. Audiamus de re tota Augustinum* lib. 8. de Genes. ad literam cap. 9. *sic loquentem*: In ipsum mundum, velut in quandam magnam arborem rerum, oculus cogitationis attollitur, atque in ipso quoque gemina operatio providentiæ reperitur, partim naturalis, partim voluntaria. Naturalis quidem per occultam Dei administrationem, quæ etiam lignis & herbis dat incrementum, voluntaria verò per angelorum opera & hominum. Secundùm illam primam cœlestia superius ordinari, inferiusq; terrestria, luminaria, sideraq; fulgere, diei noctisq; vices agitari, aquis terram fundatam, interlui atque circumlui, aërem altius superfundi, arbusta & animalia concipi & nasci, crescere & senescere, occidere, & quicquid aliud in rebus interiore natu-

naturaliq; motu geritur. In hac autem altera signa dari, doceri, disci, agros coli, societates administrari, artes exerceri, & quæque alia, sive in superna societate aguntur, sive in hac terrena atque mortali: ita & bonis consulatur & per nescientes malos: inq; ipso homine eandem geminam providentiæ vigere potentiã. *Et Chrysost.*homil.19.ad Eph. *hunc in modũ argumentatur;* Si navis, quantũvis firma & instructa, tamen in fluctibus consistere non potest sine gubernatore: quanto minus orbis universus constare potest sine cura & gubernatione DEI. *Et Theoph. Antioch.* lib. 1. *in eandem penè sententiam ait:* Quemadmodũ si quis cernat navem suis armamentis instructam, mare sulcare, & in portum appellere, certò credit, aliquem à quo gubernetur, in eo esse gubernatorem: Sic certè nemo adeò abjecti animi, quin credat, Deum esse gubernatorem omnium.

Attolle oculos: En mirificos cœlorum & cœlestium corporum, solis, lunæ ac aliarum stellarum circuitus, quibus illi circulos orbesq; suos certis temporum spaciis, celeritate stupenda, perpetuitate nunquã interrupta, jugiter conficiunt! Quomodo hæc sine providentia? Quandoquidem nihil est, (*ut utar verbis Lactantij lib 3. c. 20.*) quod possit sine ullo moderatore cõsistere. Sic domus ab habitatore deserta dilabitur. Malus sine gubernatore abit pessum. Et corpus relictum ab animo defluit: Quomodo ergo tanta illa moles aut construi

construi sine artifice, aut stare sine rectore tamdiu poterit? *Sic itaq; juxta Psalm. 19. v.2. 6. 7.* Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum. Soli posuit tabernaculum in eis: Et ipse, tanquam sponsus, procedens de thalamo suo; exultavit, ut Gigas ad currendum viam suam: à summo cœlo egressio ejus & occursus ejus, usq; ad summum ejus.

Aspice nubes, quomodo suspensæ hæreant in sublimi. Caussas quidem naturales dant Physici: sed unde hæ? Vt universum non à se est, ut illud per se non existit, sed virtute summi Dei, ita neq; illæ caussæ naturales. Quod itaq; caussæ naturales tantam aquarum vim in sublimi conservant, suspendant, confirment, detineant, providentiæ & regimini summi moderatoris acceptum ferunt. Hinc dicitur Psalm. 147. Dominus cœlum operit nubibus, easq; (*Iob. 36. v. 29.*) quasi tentorium suum extendit, ligans in illis aquas, ut non erumpant pariter deorsum: sed cuncta lustrent per circuitum, quocunq; eas voluntas gubernatoris duxerit, quod præceperit illis super faciem orbis terrarum. *Iob. 26. v. 8. & 37. v. 12. Quid de meteoris, fulguribus, fulminibus, tonitruis, ventorum procellis & similibus dicamus? Quicquid hic disputant, quicquid scrutantur, quascunq; etiam caussas adferunt Physici, semper aliquid relinquitur, quod admirantur, quod conquerunt ur se satis indagare, intelligere, scire non posse. Tandem verò testari coguntur numine deorum hic omnia fingi, moveri atq; mutari*

Cic.

Cic. lib. 5. de nat. deor. *Deflecte oculos in terram ipsam. Ea in medio universi, nullo nixa fulcimine, immota existit.* *Rationem dat Simplicius* in lib. 2. de cæl. tex. 95. *inquiens: Terra circa centrum subsistens manet, quia secundùm naturam ille est ipsi locus.* Et *Averroës* in lib. 3. de cæl. cap. 7. *ait:* Terra figuram sphæricam habere necessarium est, unaquæq; enim pars gravitatem habet ad medium usq; „ & minor à majore pulsa non potest intumescere, sed comprimi magis, & cedere altera alteri donec veniat ad mediũ. Et ipse *Aristoteles* lib. 3. Phys. cap. 5. *inquit Grave, qualis terra, suapte naturâ in medio quiescere solet.* Et lib. 8. Phys. cap. 1. t. 24. *Terra ex necessitate manet in proprio loco & ex eo violenter movetur. Unde autem, Aristoteles, hæc necessitas? Unde Simplici ista natura? Unde ista gravitas ejusq; vis & ordo, Averroës? A providentiâ respondebitis: Deus enim est, qui posuit fundamentum terræ, & ut posuit, ita quoq; providentiâ suâ confirmat & conservat. Terra stirpibus, animalibusq; scatet* (sunt verba Philosophi lib. de mundo c. 3): *fontibus etiam & fluminibus partim per ipsam lapsus suos implicantibus, partim aquas suas in mare eructantibus. Insuper ipsa distincta innumerarum herbarum ibidem enascentium varietate, fructificantiumq; simul montium verticibus, nemorum opacitatibus, urbiumq; frequentiâ, quas tamen animãtes sapientiæ participes, homines scilicet, condiderunt, & maritimis insulis & continentibus. Terra hæc* (Arist. ibid. cap. 4.) *in se continet aquæ, sic & spiritus & ignis scaturigines,*

quarum quædam sub terrâ latent, quædam oculis humanis subductæ sunt, ut Lipara, Aerna, & Aeoliæ Insulæ, aliæ juxta fontes, ut aquas effervefactas emittunt: quædam modicè temperatas: alijs in locis fœdos emittũt odores, in alijs prorsus enecant, ut in Phrygia. Terra hæc (ut iterum Philosophus docet lib. 3. Phys.) *in aqua est, aqua in aëre, aër in æthere, æther in cælo, cælũ non amplius in alio est. Terræ itaque superficies* (ut habet Aver. in lib. 2. de cæl. t. 31.) *veluti locus naturalis est aquæ, in quo ipsa quiescit, & non movetur illuc nisi violenter. Cur igitur non operit terram? Aristoteles* in lib. de mirabil. *ex eo providentiam colligit, quod cùm mare altius sit terra, eique impendeat & diluvium minetur, nec usquam erumpit: cùm regionem immensam circumdare velle videatur, interim tamen brevi Isthmo retinetur: & per angustas fauces in intima terræ sese insinuat. Mare tot piscium examina alit, totque urbes ditat, quòd & itinera breviora, & commertia commodiora reddit, quòd vaporibus suis aërem nutrit, qui subinde agros irrorat. Finge uno momento arescere universum mare, quot videas urbes desertas, quot populos ad summam egestatem redactos, quot denique homines, non secus ac refluente pelago pisces, in arido derelictos. Revertamur ad terram, & quidem ad animalium, quæ inibi generantur & propagantur, naturas. Quis submovit aviculas, ut, antequam parerent ova, & excluderent pullos, suas sibi domunculas sive nidos, pararent? Quonam monitore Gallus utitur, ut excubitoris instar quatrifidæ noctis vigilias cantu suo annun-*

annunciet, & in suo sterquilinio insolentius contra adversarium se jactet? Quis docuit Bombycem facere sericum filosum de ore suo, in quo sepeliat se ad hoc, ut renascatur completus. Vincent. lib. 20. hist. nat: cap. 119. *Vnde Elephas ingenium istud adeptus est, quo homini similia præstat.* Vide Aelian. hist. animal. lib. 3. cap. 44. lib. 4. cap. 9. & 23. lib. 6. cap. 51. lib. 7. cap. 39. lib. 8. cap. 16. lib. 11. cap. 15. lib. 13. cap. 22. Aristot. hist. animal. lib. 1. cap. 11. lib. 2. cap. 1. & 6. lib. 3. cap. 9. lib. 9. cap. 46. Plin. lib. 8. cap. 1. 3. 4. & 5, Basil. Exem: homil. 9. Ioh. Chrysostom. in Epist. ad Corinth. hom. 17. Tom. 4. Strab. lib. 15. Solin. cap. 54. Albert. Magn. de animal. lib. 8. tract. 5. cap. 2. lib. 22. Cæl: Rodigin: Antiq. lib. 3. cap. 3. Ludovic. Barth. Rer. Ind. lib. 3. *Nonne hæc evidentissima providentiæ divinæ argumenta? Verùm de homine ipso quid dicemus, ejusq; generatione? Certè latissimus hic ad demonstrandam providentiæ divinæ magnificentiam sese aperit campus. Obvia fit illico mariti & uxoris conjunctio, quam Deus non solùm instituit, verùm etiam firmavit mutuis amoris flammis, iisq; castis, nempe ut inter eos esset castus & non impurus amor, sed certa lege genus humanum propagaretur, & conservaretur legitimo conjugio, non vago, ut cætera animantia & bruta, concubitu. Vnde vagarum libidinum pœnæ passim leguntur: Troja propter raptam Helenam deleta est. Thebæ propter raptum Chrysippi, & incestum Oedipi punitæ sunt; propter stupratam Lucretiam Romæ Reges ejecti sunt. Inter voluptates periit Alexander. Philippus*

Macedo propter libidines interfectus est, interierunt etiam alij multi tragicis casibus: Clytemnestra, Aegistus, Macedonum Reges fere omnes, Archelaus, Demetrius, Ptolomæi, Cæsares plurimi. Athenis Pisistrati filij ejecti sunt propter contumeliam factam puellæ. Lacedemonij (ut testis est Lactantius lib. 1.) *deleti sunt propterea quòd duo Spartani, Scedasi bospitis filias stuprassent, & postea in puteum abjecissent. Imo sæpe numero libidines* προκαταρκτικαὶ *fuerunt caussæ ad delendas totas gentes, ut Paridis adulterium, scelus V I. Tarquinij. Imperator Valentinianus I I I. propter adulterium interfectus est, ac postea attractus est Gasericus in Italiam. Vrbs Trevirorum delata est, quia Lucius præses conjugem Senatoris rapuerat. En quàm severißime Deus in illos, qui hunc ordinem, à se semel institutum & sancitum, contemnunt & contaminant, animadvertat. Ne verò quispiam ignorantiam prætenderet, illum in ipsam hominis naturam implantavit. Nam etiam inter prophanas gentes solenne & legitimum matrimonium duobus modis perficiebatur: Sponsalibus & Nuptijs. tot. Tit. ff. & C. de sponsal. ut vel illud Terentianum declarat :* Placuit, despondi, nuptijs dictus est dies. *Occurrit porrò hic naturalis ille parentum amor erga sobolem; qui revera providentiæ divinæ opus est : quo enim major sobolis infirmitas, neceßitas, & egestas, tanto ardentior, tanto ad auxiliandum promptior hic amor existit. Hinc infantes ab uberibus adhuc pendentes magis amare solemus parentes, quàm adolescentiores, qui ligonem & rastrum portare valent. Referam modo nihil de admiranda Corporis hu-*

ris humani structura. Taceam nunc stupendam ejus generationem, dispositionem, vires multiplices, operas, functiones: quæ omnia de sapientiâ, potentiâ & providentiâ sui factoris abunde testificantur, adeo quidem ut ipse Galenus, alias parum pius, tanta hic conspexerit divinæ sapientiæ specimina, ut suam hebetudinem & tarditatem, conditoris verò virtutem & magnificentiam profiteri, Deumq; laudare coactus fuerit: Compono hic profectò (*inquit lib.3. de usu part:*) canticum in creatoris laudem. Opinor enim, hunc maximè cultum à nobis exigi, non ut Hecatombas taurorum Deo sacrificemus, aut Cassiæ cumulos adoleamus, sed ut omnibus notum faciamus, quanta ejus sapientia, potentia, bonitas. Quod enim ultro res ornari voluit melius, quamq; ullâ arte possint, & nulli rei tanta bona invidit, puto singularis & perfectæ bonitatis demonstrationem esse. Et hactenus bonitas ejus celebratur. At quod rationem invenit, quâ eædem illæ res tam opiparè decorarentur, singularis sapientiæ fuit: Vt quod omnia, quæ ante constituerat, compleverit & perfecerit, insuperabilis virtutis & potentiæ. *Et in lib. de format: Fœtus:* At certè, *inquit*, tantam hic sapientiam, tantam potentiam video, ut in animum inducere non possim, quod anima ipsa, quæ in fœtu est, cùm gignitur, formam ejus perficiat, cum ea tum ratione omninò careat, sed ab ea procul-dubio formatur, quam Naturam vulgo vocamus. *Et iterum libero 15. de u-*

de usu part. ait: Fateor, me animam, quid sit, ignorare, etsi ejus naturam accuratè indagavi. Nihilo magis possim ego de fœtus formatione rationem reddere. Hoc scio, in illa caussa, artis & sapientiæ plurimum esse, ideoque hortor, ne quis eam investigare conetur: sed satis sit cuiq;, quod Conditor illa illo modo esse voluit. Quod enim absq; Anatome factum nesciremus, qua ratione, quomodo factum sit, investigare audeamus? *Item lib. 11. & 17. de usu part. dicit*: Qui structuram & compositionem uniuscujusq; animalis attentè considerarit, Sapientiæ conditricis vestigia præ se ferre, depræhendet: Cumq; in media hac humorum colluvie, anima in singulis sedeat, quæ tanta virtute pollet, multò magis Mentis illius magnitudinem & præstantiam mirabitur, quæ cœlum incolit.

Est igitur divina providentia necessariò concedenda; quâ ut omnia sapienter providentur: ita etiam rectè reguntur. Unde omnia providentiæ effecta infinitè, absolutè & summè bona arguuntur.

Providentiam hanc agnovit Manilius lib. 1. Astronomicῶν:

Hoc opus immensi constructum corpore mundi,
Vis animæ divina regit, sacroq; meatu
Conservat Deus, & tali ratione gubernat.

Iterum lib. 2. Astronomiκῶν: —— omni toto

Dispen-

Dispensata manent, mundi dominumq; sequuntur.

Et Aristoteles licet creationem negaret, in mundo tamen providentiam agnovit, hoc usus apophthegmate: Ei, qui providentiam inficiari vellet, non verbis sed verberibus respondendum esse.

Et Porphyrius *adversus eos, qui mundi gubernationem calumniantur, disputat his verbis, quæ recitantur apud* Cyrillum lib. 2. & 5. adversus Iulianum: Profecto, *inquit*, nullus iniquior sermo, quàm qui Deum justiciam docere audet; nullus sanctior, quàm qui veritati congruit. Aliter verò sentire morbus mentis est, & grave crimen. Non enim dirigit Deus tantùm omnia, quoquo tempore ad plenam & absolutam universi harmoniam: Verùm etiam singularum curator, conservator, medicus est. Amabo an non medicis, qui tantùm quiq; providentiâ valent, quantùm scientiæ a Deo acceperunt, demonstravit ipse, quæ humano corpori evenire possunt? Et membrorum alia sectione, alia ustione curari; esse etiam, quæ ad totius corporis salutem putrefieri debeant? Nutrices verò, matresve, quæ chirurgum ferro, igneq; accinctum vident, etsi ad ægri incolumitatem pertinere illa sciunt, an non ejulant miserè, & collachrymantur? At quid illis sapientior pater? certè ægrum solatur & Cataplasma recenti vulneri applicandum paratum habet, & chirurgo lina-

Porphyrius.

linamenta fasciasq; ministrat. Eâdem ratione Deus ad universi curationem statuit, ut omnes moriantur, ac ita alij ab alijs divellamur, ut digitus sæpe à pede. Quòd si in consilium Dei daretur ingredi, intelligeremus profectò, cur & cui bono quædam ab initio existere noluit, & alia noxia fore prævidit, & nonnullis mortem pietatis præmium dedit.

Hierocles. *Ita* Hierocles: Ne inquam, *inquit*, mentem hæc cogitatio titillet, quòd Deus curam nostri non gerit, aut quòd mali ille autor sit, quibus blasphemijs nihil intollerabilius est.

Pythagoras. Pythagoras *citatus à Cicerone ait*: Deus est unus, non, ut plurimi censent, extra administrationem mundi: sed totus in toto. Ipse est temperamentum omnium seculorum, lux omnium potestatum, principium omnium rerum, ipse fax cæli, pater, & mens; animatio & motus universi.

Cleanthes. *Sic etiam* Cleanthes *providentiam Dei agnoscit, quando apud* Simplicium *inquit*: O Deus, rege me per eam caussam, quâ omnia moderaris & temperas.

Epictetus. Epictetus *quoq; qui gravißimis Philosophis mera oracula loqui visus est, apud Arianum inquit*: discendum, ante omnia, unum esse Deum, omnia regere, omnibus providere, quicquid verò faciamus, dicamus, cogitemus, nihil eum latere posse.

Aristoteles. *Et* Aristoteles *videatur* in Ethicis ad Nicomachum & Eudem. Et lib. de mundo *dicit*: Mundus hic & hic omnium ordo à Deo conservatur. Quod autem in mundo

summum, Dei sedes: nihil porrò in rerum natura sibi ad salutem sufficit, ejusq; ope carere potest. Ipse est pater Deorum & hominum, genitor & servator eorum omnium, è quibus mundus conflatur. Nec tamen penetrat illa aut ingreditur. Verùm vis & providentia illa, quæ in cœlis sedet, ad omnia pertingit, cœlum & solem & lunam movet, terrestria hæc librat & sustinet. Deniq; ut omnia singulaq;, quod sua natura est, faciant, curat & providet. *Et Boëtius, referente M. Ficino in Cratylum Platonis, probat ex mente Platonis, Deum ad seipsum omnia potentißimè simul & suavißimè rapere, sui videlicet amore boni quasi escam trahentem. Quod etiam Platonicus confirmat* Philo: Deus à principio ad finem omnia potenter attingit suaviterq; disponit. *Hinc iterum* Plato lib. 4. de leg. Sic itaq; ad eos dicamus: Deus, ô viri, sicut antiquus quoq; sermo testatur, principium, finem, & media rerum omnium continens, rectà peragit secundùm naturam circuens. *Et Deus humanarum rerum curam habere demonstrat idem* Plato lib. 10. de legibus, *& ibidem ostendit, Deos omnia ad virtutem salutemq; totius ordinare; item scire, videre, audireq; omnia, & nihil ipsos fugere posse. Dignum quoq; est memoriâ dictum* Nemesii: παντὶ μορίῳ τοῦ σώματος ἐμφαίνεται τῆς προνοίας ἡ προμήθεια: in omni corporis parte apparet providentiæ cura. Cicero lib. 2. de Nat. Deor. *Pro-*

Boëtius. Plato. Nemesius.

videntiam tali probat argumento : Non est, *inquit*, natura Deorum præpotens neq; excellens, siquidem ea subjecta est, ei vel necessitati, vel naturæ, qua cœlum, maria, terraq; reguntur. Nihil autem est præstantius Deo. Ab eo igitur necesse est mundum regi. Nulli igitur est naturæ obediens & subjectus Deus. *Nihil etiam fuit rerum conditarum, cui antiquitas non numen aliquod præfecerit, quo Dei præsentiam in mundo ac rerum gubernationem & conservationem indicare voluit, qui Deus sedens.*

Χρυσέῳ ἐν θώκῳ, γαίης ἔπι ποσσὶ βεβήκει,
Χεῖρά τε δεξιτερὴν ἐπὶ τέρματος ὠκεανοῖο
Παντόθεν ἐκτέτακεν, περὶ γὰρ τρέμει οὔρεα μακρὰ,
Καὶ ποταμοί, πολιῆς τὲ βάθος χαροποῖο θαλάσσης.

Quemadmodum non malè scripsit Orpheus *in libro, quem testamenta inscripsit, referente id* Iosepho lib. de monarchia. *Si placet Ecclesiasticos doctores videre, lege* Irenæum lib. 2. cap. 45. Origin: hom. 3. in Genes. Dionysium lib. de divin. nomin. cap. 12. Damascenum lib. 2. de fide Orth. cap. 29. Eusebium lib. 6. de præparatione Evang cap. 5. 6. Chrysost. homil: 9. & 10. ad populum Antiochenum. Hieronym. in 32. Ieremiæ. August. 5. in Gen. ad lit. cap. 21. ibid. lib. 8.

lib.8.c.9. Hilarium in Psal.146. Gregor. 4. moral. cap.16. *Quid autem de rebus fortuitis statuendum? Et hæ non sine providentia hác sunt vel contingunt. Eruditè enim Thomas Aquinas monstrat, quomodo aliquid provisum simul ac fortuitum dici queat, nempe, quatenus effectus aliquis effugit ordinem caussæ particularis, verè dicitur casuale vel fortuitũ. Interim respectu caussæ universalis rectè dicitur provisum, nempe à cujus ordine subtrahi non potest. Confirmat hoc Augustinus* lib. 1. contra Academicos cap.1. Quæ vulgo nominatur fortuna, occulto quodam ordine regitur, nihilq; aliud casum vocamus in rebus, nisi cujus ratio & caussa secreta est. *Et iterum*: Per fortunam non velim intelligi Deam aliquam, sed fortuitum rerum eventum, vel in corporis nostri, vel in externis bonis aut malis. Vnde & illa verba sunt, quæ nulla religio dicere prohibet: forte, forsitan, fortasse, fortuito: quod tamen totum ad divinam revocandum est providentiam. Lib.1. retract. cap.1. vide eundem lib.5. de civit. Dei cap.9. item in Psal.31. lib. de ord. cap.1. *Est etiam Providentia hæc Dei immutabilis.* Videatur iterum August. Epist.2. ad Marcell. *Huc, etiam pertinet permißio. De qua videatur* Damascen. lib.2. de fid. Christ. cap.29. August. in Ench: cap.94.

Theorema V.

DEUS quidem omnium rerum caus-

caussa est; caussa tamen mali non est.

An Deus sit caussa mali?

In praecedentibus disputatum & conclusum est, DEVM cum omni actione, ut caussam, concurrere: Indene caussa mali arguitur? Minimè: siquidem diximus DEVM agere cum caussis secundis non idem simpliciter, more artificis, dirigendo simpliciter ad hoc vel illud, quod forsan de novo mente conceptum, atq; ita sibi assimilando: sed potius speciem respicere. Quare quando illa libera est, eam, ut liberè agat, conservat: atq; proinde quae de modis agendi disputata sunt, actum tantùm substantiae, motus, & reliqua accidentia positiva; minimè verò privativa & peccata concernunt. Quomodo enim Deus, qui immutabiliter bonus est, unaq; & sola omnis boni caussa existit, simul erit, vel aliquando fuerit, caussa positiva & effectrix mali contrarij, quod boni est privatio, ordinis divini eversio, operisq; corruptio, & deformatio in ijs, quae Dei opera? In creatione, quas Deus singulis creaturis indidit vires certas, certosq; agendi modos, certis usibus accommodatos, instituto q; à se tenore procedentes, conservat, adjuvat quoque, vim conferendo, & rursus cum vult, vel intendendo, vel remittendo, vel inhibendo. Quare ordine agentem voluntatem & sustentat, & adjuvat DEVS: ruentem contra ordinem non adi- etsi sustentet: & licet quidem conatum non i. it in actionibus ordini contrarijs: tamen vel ne perficiat, quod conatur, prohibet; vel quousq;, quod illa conatur, permissurus sit, constituit. Providentia itaq;

Dei

*Dei cum vi suâ motus in hominis naturâ naturales
naturaliter, ut monstravimus, servet, peccatum verò
in motibus illis sit, & ab ijs perpetretur, providentiæ* 1. Object.
*vi servantis ad agendum; actio quidem Dei hic quæ-
dam concurrit in peccati perpetratione cum actu
peccati in motu peccante: ἀνομίας tamen minime
caussa. Accuratè enim distinguendum est inter mo-* Sol:
*tum ipsum habitualem, ejusq; naturalem rectitudi-
nem, formamq; essentialem, seu positivam entitatem;
& inter ejusdem motus, naturaliter agentis quidem
rectè, sed tamen ἀνομία exorbitantis, & ad priva-
tionem, rectitudini oppositam, inclinantis pravita-
tem. Motus ille positivus ne pereat, & intercidat,
providentia Dei secundùm beneplacitum facit, ut a-
gat secundùm justiciæ & veritatis normam (non e-
nim ad quietem & otia res creatæ sunt positæ: sed
ad actionem aliquam & motum): Vt verò motus ille
& actio sive agitatio malis defædetur, & privatione
Iusticiæ & rectitudinis deformetur, illud aliunde,
non à vi providentiæ divinæ est profectum. Sic vo-
luntas sustentatur quidem ad volendum à providentiâ:
Vult itaq; etiã providentiæ vi suo modo efficaciter a-
gente: sed quãdo illa vult ἀνομίαν, discedit ipsa à fine
suo ad exorbitationes & defectus, privationemq; recti-
tudinis sanctißimæ, ingeneratâ abutens libertate, non
jubente providentiâ, nec impellente, multo verò mi-
nus privationem illam vi suâ & efficaciâ procurante;
licet tum quoque voluntatem ad volendum conser-
vet, quando malè illa vult. Neq; hic quod caussa* 2. Ob-
est caussæ, caussati caussa & efficiens dicetur: cum ject.
naturalis actio hic bruta non sit; sed rationalis à Solut.

volun-

voluntate ſecundùm conſilij arbitrium & electionem profecta & dependens. Vnde ἄνθρωποι αὐθαίρετα πήματα ἔχοντες *dicuntur à* Pythagorâ, *quorum Deus non eſt autor. ipſe enim* κακῶν ἀναίτιος, ἀγαθῶν αἴτιος, αἴτιός τε εὐπραγίας, *ut à* Platone *piè dicitur. Atq; ideo quoq;* Pythagoras, Iamblicho *Philoſopho Platonico autore, affirmabat,* ὅτι αὐτοὶ ἐσμὲν αὐτοῖς ἐν τύχης καὶ δαίμονος τάξει, καὶ ἡμεῖς τὸν δαίμονα αἱρούμεθα, καὶ εὐδαίμονας αὐτοὶ ἑαυτοὺς παρασκευάζομεν, *hoc eſt,* Quòd nobiſmet ipſis fortunæ & genij loco ſimus, quòd nos eligamus genium, nos faciamus & ſimus fortunati. *Quemadmodum idem quoq; indicatur in ſententia* Menandri, *quæ eſt apud* Plutarchum: ὁ νοῦς γὰρ ἡμῶν θεός *Et* Heracliti *apud eundem* ἦθος ἀνθρώπου δαίμων. *Et* Aleman. Lyricus, *eodem authore, fortunam ſcripſit eſſe ſororem* εὐνομίας, πειθοῦς, καὶ προμηθείας. *Et alias fortuna ſui cuiq; moribus fingitur, ut ex Poëtâ quopiam refert* Cicero. *Quod pluribus exponitur* lib. 10. de perenn. Philoſophia Auguſtini Steuchi c. 17. Omni itaq; contentione, *ut habet Plato,* 2. de Republ. pugnandum eſt, nec concedendum, ut Deus dicatur cauſſa mali, cum ſit bonus: nec quiſquam hoc dicat, neq; juvenis, neq; in civitate, quæ debet rectè ſecundùm leges gubernari, neq; etiam quiſquam audiat, neq; in verſu, neq; in proſa oratione: quia neque

sanctum id judicatur, neq; utile nobis, neq; cum veritate consentit. *Verum enim est illud*, Euripidis, *quod à* Plutarcho *citatur* : si Dij aliquid faciunt turpe, non sunt Dij.

EXERCITATIO SEXTA

DE CULTU DIVINO.

Theorema I.

DEUM colendum esse recta ratio certissimè statuit, & nunquam ab Ethnicis in dubium vocatum.

De operibus DEI hactenus; sequitur cultus.

Omnia à Numine hoc esse, providentiáq; divinâ conservari, regiq;, atq; id non frustra, sed singula ob singularem finem, monstravimus. At finis hic in peculiari propriáq; cujuslibet rei actione consistit. Quodcunq; enim actu est, per formam est, vel forma simpliciter est: Unde & materia prima naturaliter sine formâ nunquam existit; quandoquidem effectum formaliter sine formâ non datur, neq; ullum agens naturale excludit unã formam, quin aliam (ut vacuum & ocium in natura vitetur) introducat. Quod itaq; per formam est, ex formâ potest agere id, ad quod agendum à Deo *est formatum & conservatum. Quare & actio hominis, propter quam à Domino suo est factus, ejus finis est. Quem finem si rectè præstiterit homo, &* Materia prima.

mo, & ad nutum voluntatemq; Domini & autoris sui se gesserit, rectè Numen coli, certißimè colligit. Si enim res facta finis sui munera rectè exhauriat; consilium voluntatemq; expleri efficientis manifestum est. Vt finem hunc consequerentur, solliciti admodum fuerunt Ethnici. Nullius enim gentis (ut testis est Cicero lib. 2. de natura Deorum) tanta feritas, cujus mentem non imbuerit aliqua regio, licet alibi aliter colerentur Dij;

Mactatio hominum.

hominum etiam mactationibus, ut videre est apud Strabonem lib. 4. Geographiæ. Apud Pausaniam lib. 6. 7. 9. ubi mactato Baccho, puero formoso, pestis tollitur. Promittitur etiam ibi victoria Thebanis contra Orchomenios, si sibi inferat manum, qui dignitate generis inter cives sit nobilißimus. Apud Homerum quoq; & Calabrum mactati & sacrificati leguntur homines, apud Euripidem etiam in Hecubâ, & Sophoclem in Oedypo Tyranno. Alij etiam Ethnici multis sumptibus suos celebrabant Deos. Trojani in publicâ lætitia & solenni festivitate, quam peragebant introducto equo, quasi jam libertate recuperatâ, belloq; profligato, Hecatombas immolabant, hoc est, centum boum sacrificia; quæ vox sæpe extat apud Homerum, quòd usitatum fuerat gentibus tam magnificè Dijs suis sacrificare, ut & apud Plutarchum, Suidam, & latinos etiam Romanæ historiæ scriptores tam sumptuosorum sacrificiorum multa extant exempla. Testantur etiam eo, quòd fuit id veteribus usitatißimum, ut Regum & Heroum liberi, in omni Cyclopædiâ instituti

Sacerdotalis dignitas.

(ut Plato testatur cum Herodoto & Pindaro) vates & sacerdotes essent: quemadmo-

admodum sacerdotalis dignitas regiæ par habebatur. Veluti etiam id aliquoties Plutarchus meminit in Vitis & Moralibus. Aristoteles quoq; in Politicis annotat, quòd in hæroïcâ hominum ætate pleriq; reges simul & sacerdotes fuerint: Ideò etiam Plato in suo Politico scriptum reliquit, cautum fuisse apud Ægyptios legibus, ut Rex vel ipse sacerdotio fungeretur; vel verò si id præstare nollet, nec posset etiam, sacerdotes sibi semper additos haberet. Atq; non adeo ignotus est Virgilij versus, quo Anium prædicat Deli insulæ Regem, ut & Ovidius 13. Metamorphos.

Rex Anius, rex idem hominum, Phœbiq; sacerdos.

Theorema II.

Cultus DEI consistit in vero Dei amore.

Cultum verum porrò in vero Dei amore, ex verâ Dei cognitione, de quâ hactenus egimus, derivato, consistere, arguit recta ratio. Quandoquidem ad eum ratiocinando perducta, ejus summam bonitatem videt, eamq; omni ex parte absolutam colligit, & omnis boni fontem & scaturiginem inexhaustam concludit, omnia etiam, quæ bona possideat, ab eo se habere animadvertit: unde summa ejus beneficia, amoremq; erga se agnoscit. Quare se Numini gratiam debere videt, amoremq; mutuum, qui certè certo affectu demonstrandus, gratiaq; certo cultu agenda. Omne quoq; bonum cum amore cupiditatisq; affectu appetendum, & in summo quiescendum naturæ suæ vi natura-

turaliter censere rectam rationem demonstratu haud erit difficile. Omnis actio humana proficiscens ex voluntate & ratione præcognoscente, aut arte, aut doctrinâ, aut electione, aut actu, quo exequitur factam electionem, operatur: Atqui hæc omnia bonum quoddam appetunt, ut finem, cui quiescant: Ergo in humanis actionibus datur aliquod bonum & aliquis finis, ubi homo agere desinat. Sin verò hoc ἄτοπον dixeris, concedas oportet progressum petendi aliud atq; aliud in infinitum: Atque hoc ἄτοπον est. Perit enim omnis actio humana à voluntate & intellectu proficiscens; quippe finis non datur, qui movet agentem. Probantur deinde singulæ propositiones hunc in modum: Primùm major: mens humana dividitur in intellectum & voluntatem, ex quibus, ut principijs, omnes operationes humanæ progerminant. Intellectus porrò bifariam sumitur, aut speculativus aut activus: voluntas autem electiva aut executiva. Quare quando homo actiones producit, ut homo, non ut animal vel Ens, sequitur eũ operari 1. aut ex arte, quæ est habitus recta cum ratione effectivus: Aristoteles 6. Eth. cap. 4. 2. aut ex doctrina, quæ dicitur modus, quo aut artem, aut scientiam, percipere possumus: 3. aut ex electione, quæ est principium, quo homo duobus sibi propositis, eligit alterum potius quàm alterum : 4. aut ex actu, qui est operatio secundùm electionem hominis. Minor quoq; manifesta est ex definitione boni, quæ omnibus antiquis Philosophis probata colligitur ex Philosopho 1. Ethicor. quâ nempe definitur id, quod omnia appetunt:

Arist. lib. 1. Eth. c. 1.

Boni definitio.

Ratio

Ratio hujus: quia quicquid agit, semper agit propter finem: Bonum autem & finis subjecto idem sunt, differunt ratione. Bonum enim dicitur, per comparationem ad appetitum: Finis verò per comparationem ad motum & operationem, quam finit & terminat. Mala autem sæpiuscule appetuntur, eruntnè propterea bona? Mala non appetuntur, ut mala; sed quatenus bona apparent ex imaginatione, vel interdum summis doloribus & cruciatibus; ut qui magnâ impulsi tristicia violentas manus sibi inferunt. Tenendum igitur, tales incontinentes habitu rationis meliora quidem videre; sed impetu affectus deteriora sequi. Quare quasi per transennam bonum intuentes voluptatisq; & cupidinis facibus inflammati, malum pro bono arripiunt. Et licet quidem definitio hæc Boni adeò exacta non sit, ut liquet ex illis, quæ supra lib. 1. de bono disputavimus; tamen facile quisq; colliget, esse aliquod Bonum & finem, quem omnia expetant.

Bonum & finis quid differunt.

Probabimus itaq; ulterius, dari adhuc melius; atq; tandem primum & ultimum, in quo sit quiescendum. Quando voluntarium Ens operationem suam disponit & ordinat ad quoddam effectum edendum, ut ad finem; finis iste operationis operatione præstantior est. Non enim instituit dispositionem & ordinem operationis propter operationem ipsam; sed propter id, quod operationem sequitur; nempe propter effectum & finem. Hoc enim acquisito, actionem abrumpit. Quare colligimus, non tantùm bonum dari finem in actionibus humanis, quod modò demonstravimus; sed etiam meliorem. Apparet quoq; hoc in ijs artibus, quæ plurium subsidio ad finem suum obtinendum commodè u-

Melius dari & optimũ.

dè utuntur, ut puta imperatoria, quæ χαλινοποιητικῆ, equestri, militari, & pluribus aliis ad victoriam indiget. Vt autem res & artes sunt subordinatæ, (χαλινοποιητικὴ ordinatur ad equestrem: equestris ad militarem; militaris ad victoriam; victoria ad pacem &c.) ita etiam fines illarum sunt subordinati, alterq; altero nobilior & melior est, magisq; appetitur. Nam ut se habet res, sic quoq; se habent rerum fines. Fines autem isti omnes tandem in uno summo necesse est ut conveniant: alias enim, ut patet ex præcedentibus, omnes omnium hominum conatus essent irriti & inanes, cùm ita in infinitum actiones, finesq; actionum, progrediantur. Omnium autem absurdissimum foret actiones hominum ob finium ordinem, ut omnibus manifestum (ita enim omnes artes, res, finesq; cohærent, ut alij aliorum caußâ videantur ordinati & constituti alijsq; alij inservire) vanas definire. Neq; unquam fieri potest, ut ubi illa subordinatio datur, atq; unum alio melius, nobilius & præstantius, ibi certo quodam termino & fine, ultra quem progredi nequeat, gradatio illa non aliquando claudatur.

Finis ultimus. Rectè itaq; concludimus cum Philosopho lib. 1. Eth. Nicom. in hâc finium ordinatione, qui omnium ultimò expetitur, & ob quem obtinendum reliqui omnes inferiores expetuntur, finem præstantissimum esse, exoptatissimum, ultimum, & summum, in quo omnes fines subordinati tandem consistant, & terminentur, qui non propter alium superadditum, sed se ipso sit bonus & ad quem omnes alij referantur, ipse verò ad nullum, ut Plotini verbis utar Enn: prim. lib

lib. de primo bono cap. 1. *Atqui hic finis propriè loquendo est Deus Optimus Max. à cujus summo, perfectißimo, absolutißimoq; numine, ut à causâ effectrice & conservatrice omnia Entia finita pendent, atq; ad quod omnia ordinantur, ut nobiscum demonstrat Philosophus* lib. λ. Metaph. *Hác itaq; felicitate, quæ in Deo quiescit, qui fruitur, is summe vereq; beatus est.*

Theorema III.

Amor, quo DEus colendus, debet esse summus & perfectissimus.

Ad felicitatem illam pervenimus, quando amore Deum nostrum, uti diximus, prosequimur. Verùm cum objectum hujus amoris nostri sit summum perfectißimum & absolutißimum bonum, à quo omnis bonitas ad nos derivatur, requiritur amor summus, perfectusq; & perpetuus. Qualis autem est hic amor? Certè is, qui ex omnibus animæ viribus, totaq; mente & corde integro, summus proficiscitur. Summus, *inquam: quia enim Numen, in quod super omnia dirigi debet, super omne bonum extra se existens, absolutè (uti dictum) bonum est, is amor augeri non debet. Amor enim ille summus haud existit, qui ob amatæ rei bonitatem majorem potest augeri. Tantus itaq; hic amor requiritur esse, ut omnes omnino mentis voluntatisq; & totius hominis vires universas eo rapiat, quo ad summi illius boni bonitatem voluntatemq; sese integras comparent, omniaq; gratiâ ejus suscipiant, agant, perficiant, atq; id tantùm ob summi* Amor DEI, qualis sit.

hujus boni bonitatem. Si enim aliud hic amor respiceret, propter quod amaret, Idolum sibi fingeret, & pessimè erraret. Cumq; amor perfectus ita sit comparatus, ut se totum rei amatæ communicet, resq; amata in omnibus sufficiat, ac tale amatum hic detur: sequitur quòd tantùm in Deum hunc nostrum gloriosum amor hic sit dirigendus. Hujus amoris exemplum nobis videtur suppeditare Seneca, *quando* Demetrium *Philosophum cum Deo loquentem inducit.* Hoc enim, *inquit*, Dij immortales, de vobis queri possum, quod non antè mihi voluntatem vestram notam fecistis. Prior enim ad ista venissem, ad quæ nunc vocatus sum. Vultis libros sumere? illos nobis sustuli. Vultis aliquam partem corporis sumere? sumite. Non magnam rem promitto, citò totum relinquam. Vultis spiritum? quid ni: nullam moram faciam, quo minus recipiatis, quod dedistis. A voluntate feretis, quicquid petieritis. Quid ergo est? Maluissem offerre, quam tradere. Quid opus fuit auferre? accipere potuissetis: sed ne nunc quidem auferetis, quia nihil eripitur, nisi retinenti. Nihil cogor, nihil patior invitus. Nec servio Deo, sed assentio. *Quis quæso, ô Christiane, tantam hanc Philosophiam in Ethnico homine non miretur? qui neq; Christum noverat, neq; Evangelium audierat, neq; de cœlestibus gaudijs & gehennæ supplicijs, aut futura vita quicquam noverat? Et tamen solo rationis lumine eruditus, hanc tantam di-*

vinam

vino Numini reverentiam & obedientiam vel exhibebat, vel exhibendam esse intelligebat.

Cum porrò videat recta ratio, omne malum summo & absolutè perfecto bono esse oppositum, inimicum, & contrarium: bonum contra ipsi consentaneũ, cognatum, amicum: amor hic ab omni omninò malo nos avocat, & ad id amandum, quod summo bono bonum & acceptum, invitat. Quæ igitur summo illi bono sunt amica, sunt grata & accepta; nobis quoq; debent esse talia. Cùm igitur Deus sua bona communicat cum aliis, vel etiam cum inimicis nostris: illos Deo placere arguimus: Ergo & nobis placeant: Ergo cùm illos Deus amet, & nos illos amemus. Quando enim non amare bonum, malum est: amare, cui Deus bona communicat, bonum erit. Ergo quod bonum est in aliis, ob bonum illud summum & absolutum, est amandum, fovendum, colendum. Ergo quia Deus ter Opt. Max. & cum malis & cum bonis bona communicat, propter bonitatis illius communicationem, utriq; licet diverso amoris gradu, amandi: & quia omnibus benefacit, etiam inimicis nostris omnibus benefaciamus, omnes amemus, sive sint amici, sive inimici; cùm in utrisq; bonitatis divinæ effecta maximè sint conspicua. Notetur hic elegantissimus Epicteti *locus lib. 3. dissert. cap. 32. de Cyn. Diog.* Non habeo satellites, gladios, pompam, sive terriculamenta externa. Eorum loco BONA CONSCIENTIA dat fiduciam mihi & potestatem. Honesti amore, illud sine lege & pœna colo. Cæteri parietibus, janüis, velis teguntur. Ego sub dio, in propatulo ago, omnium ocu-

lis & inquisitioni expositus, Deo Me Probo. Atq; hæc cum facio, evenit, ut malè audiam, imo vapulem: quid mirum à pueris & fatuis, & qui tangi ulcera sua nolunt? Ego verò affectum aut curam non muto, aut mitto: Eos ipsos, qui verberant diligo, tanquam pater omnium, tanquam frater. *Ex hoc igitur fundamento Ethnicis scriptoribus tot præcepta de pietate, virtute, & honestate, vitæ deniq; ac morum honestâ gubernatione nata sunt, quæ brevibus quibusdam sententijs, tanquam axiomatis & oraculis quibusdam, inclusa complectebantur, id quod tum aliæ ostendunt veterum narrationes; tùm id maximè confirmant ejus generis libelli, qui in Græcâ atq; latinâ linguâ sapienter & eruditè à sapientibus viris conscripti adhuc extant. Hujus generis sunt* Isocratis *ad Demonicum* παραινέσεις: Epicteti *sapientißimi Philosophi enchiridion*: Theophrasti *etiam Philosophi eloquentißimi & eruditißimi characterum libellus*: Aristotelis *similiter Philosophorum principis, aureiq; fluminis, ut cum Cicerone loquar, ac Gemisti* Plethonis; Platonis *quoq; divini de virtutibus libelli. Tum etiam Xysti Philosophi &* Theoctisti *Gnomæ: Senariorum quoq; libellus, ex Comicorum & Tragicorum scriptis confectus, eo referatur. Quo pertinent etiam ea, quæ de animæ immortalitate & corporum resurrectione* Æneas Platonicus *Philosophus &* Athenagoras, *(qui tamen Christiani fuerunt) scripserunt: &* Xenocratis *de morte, de vitâ æternâ, de reproborum supplicijs, de vitæ miseriâ, libellus, quem tamen alij* Platoni a-

Ethnicorum religionis libelli.

tis ascribere maluerunt. Ex Poëtis sententias elegantissimas conscripsit Poëtarum antiquissimus Hesiodus, quas, ut & Æsopi fabulas apud veteres pueri ediscebant, ut de omnibus, quæ in vitâ honestè, quæ inhonestè fierent, admonerentur: ut & ob eandem caussam, tum etiam ut ad virtutis studium inflammarentur homines certo statoq; tempore, maximè verò in publicis congressibus & solennibus, ut in Olympijs Homeri & Tyrtæi Atheniensis scripta recitabantur, & ediscebantur, ut ex Lycurgo in oratione contra Leocratem, Athenæo lib. 14. & Xenophonte in Symposio, manifestum est. Theognis quoq; Megarensis Poëta præter elegiam, quæ adhuc extat, & γνῶμαι inscribitur, Paræneses etiam versibus scripsisse proditur, quibus omnis de moribus doctrina fuit comprehensa; unde hujus Theognidis honestè probèq; fit mentio à Platone, Basilio, Isocrate, & Aphthonio in progymnasmatis. Et quot scripta temporis injuriâ sunt deperdita? ut Draconis Legislatoris, cujus meminêre Aristoteles, Plutarchus, Pausanias, & Gellius, qui tribus versuum millibus præcepta de vitæ institutione conscripsisse dicitur. Sic Plato Elegias composuit ut & Aristoteles librum Elegiarum scripsisse fertur ad Eudemum: & ante hos Solon Salaminius cujus vitam Plutarchus & Laërtius luculenter scripserunt, multa de moribus post se reliquit, quæ tanti fecit Plato, ut ea publicè recitari à pueris in Deorum celebritatibus præciperet. Thaletis quoq; Milesij laudantur versus: & Chilonis Lacedæmonis celebratur elegia ducentorum versuum: ita Pit-

taci Mitylenæi *sexcenti elegi, quibus civium suorum leges complexus est, sunt sapientibus præ aliis suis carminibus probati.* *Ad eundem modum* Anacharsis *Scytha, præter leges suis Scythis versibus descriptas, alia permulta scripsit, quæ ad humanæ vitæ cultum pertinebant:* & Periander *Corinthius consimiliter Hypothecas duobus versuum millibus scripsit. Sapientes quoq; & doctrinarum plenas conscripsisse Elegias* Mimnermum *Smyrnæum indicant versus, qui à Plutarcho & aliis citantur: quiq; ob carminis suavitatem Ligyastrades nominatus est, fuitq; celeberrimus: ejus enim mentionem faciunt,* Laërtius, Pausanias *in Bœoticis: & latini Poëtæ,* Horatius *in Epistolis, ac* Propertius *lib. 1.* Xenophanes *quoq; multa, præter alia Philosophica, de moribus scripsit, ut hujus carmina & fragmenta leguntur tum apud* Athenæum, Suidam, Eusebium, *& alios: tum verò maximè apud* Simplicium, *Aristotelis interpretem. Sic castissimi carminis de puellarum institutione* Naumachii *fragmenta quædam habentur apud* Stobæum *&* Arsenium *Monempasiæ Archiepiscopum. Et quis potest brevi synopsi veterum Philosophos, Oratores, Poëtas omnes complecti, qui id obnixè studuerunt, ut optimis præceptis, monitis, atq; exemplis suam juventutem, suos liberos, suos cives ad amorem istum (de quo loquimur,) boni, hoc est* numinis & proximi, *quem in studio virtutis consistere putabant; à primis mox annis assuefactos, ad actiones honestas & laudandas excitarent.* Seneca *eruditè, imo piè & religiosè monens.* Quantum potes, *inquit*, teipsum coargue,

gue, inquire in te: Accusatoris primum partis fungere, deinde Iudicis, novissimè deprecatoris. Aliquando etiam te offende: Libenter enim errat, qui se errare nescit: nimisq; se amat ipsum, qui alios vult errare, ut error suus lateat. *Et iterum ait idem* Seneca: Triumphus innocentiæ est, non peccare: ubi licet. Sic videndum est, tanquam in conspectu DEI vivamus: Sic cogitandum tanquam aliquis pectus intimum perspicere posset. Hoc unum discas, vitam hanc contemnere. Nemo illam bene duxerit, nisi qui contempserit. Cogita semper qualis vita tua, non quanta sit. Non enim tam vivere bonum est, quam benè vivere.

Theorema IV.

Ex amore oritur fiducia, spes, & fides, item reverentia tanquam ex fonte, origine, & normâ omnis religiosi cultus.

Amor porrò, amore Dei in nobis excitatus, in Deum directus, atq; à Deo in proximum reflexus, & reciprocatione quadam iterum in Deum derivatus, Fiduciam gignit. Si enim amor hic perfectus se cum re amatá (quæ absoluta & in omnibus sufficiens) communicat totus; fiducia perfecta ex amore amato, qui perfectus probatusq; est, non potest non oriri. Quandoquidem fiducia perfecta nihil aliud est, quàm extrema in perfecto omniq; affectu amato quiescen- Amor Dei & proximi. Fiducia.

quiescentia. Iubet igitur hic amor, fidendum esse semper & ubiq; perfectè summo & absoluto nostro amato, quòd ubiq; & semper succurrere & juvare possit & velit; hoc, quod ejus bonitas nunquam deficiat, & semper nos amet: illud, quod ejus virtus sit infinita & indeterminata.

Spes.

Fiducia hæc includit Spem. *Vt enim amor non est sine fiducia, sic neq; fiducia est sine spe. Vt itaq; amor, ita fiducia; ut fiducia, ita spes. Si ergo amor perfectus, perfecta fiducia, perfecta spes. Vt igitur amor hic perfectus suum amare summam ducit felicitatem; ita fiducia fidere; spes sperare. Ergo ut amor perfectè amat Numen: ita fiducia ei perfectè fidit; ita spes omnia à summâ illa bonitate bona sperat, eaq; non tantùm temporalia, sed etiam æterna. Colligit enim spes, hæc, esse suum, suiq; subjecti nempe animæ rationalis esse, existentia bona, à Numine summè bono, non quidem ut periret, sperãs & bonis exueretur: sed ut illis suaviter ad felicitatem nunquam interituram frueretur.*

Mortis contemptus in Ethnicis.

Hinc Ethnici fuerunt, qui propterea, quòd animæ rationalis immortalitatem credebant, bonaq; à summo bono æterna sperabant, mortem contempserunt. Sic enim Plutarchus *cum* Livio *de Cicerone prodiderunt, quòd in omni vita nullam rem adversam æquiore animo tulerit, quàm mortem. Atq; propterea* lib. de senectute *ex Platone exultat Cicero dum inquit:* O præclarum diem, cùm in illud animorum concilium cœlumq; proficiscar, & cùm ex hâc turbâ & colluvione discedam. *Ac in Phædone Platonis Socrates lætari dicitur,*

tur, cicutam de manu carnificis bibiturus, quòd ex hâc vitâ discedat ad Musæum, Hesiodum, Homerum, Palamedem *& alios, qui in hâc vita virtutis ac sapientiæ laude claruerunt, quorum animæ supersunt in campo Elysio, in Thyrside Pindaricâ, in Fortunatis insulis, ubi degant sine tristitiâ omni, ubi omnes justi sint, neq; sententiæ ibi dicantur iniquæ & injustæ contra aliud meritos, quemadmodum ipse iniquorum judicum sententiâ iniquè nunc condemnetur. Atq; iterum Cicero* lib. de amicitia: neq; assentior ijs, qui hæc nuper disserere cæperunt, cum corporibus simul animos interire atq; omnia morte deleri, plus apud me antiquorum authoritas valet, vel nostrorum majorũ, qui mortuis tam religiosa jura tribuerunt, quod non fecissent profectò, si nihil ad eos pertinere arbitrarentur. Vel ejus etiam me movet authoritas, qui Apollinis oraculo sapientissimus est judicatus, qui non tum hoc, tum illud, ut in plerisq;, sed idem dicebat semper, animos hominum esse divinos, ijs, cùm ex corpore excessissent, reditum ad cœlum patere, optimoq; & justissimo cuiq; expeditissimum. *Et Epaminondas Thebanis apud Valerium lib. 3. jam moriturus:* Non finis, commilitones meæ vitæ, *inquit*; sed melius & altius initium advenit. Nunc enim vester Epaminondas nascitur, quia moritur.

Animæ immortalitas.

Porrò cum Fides nihil aliud sit, quam fiduciæ & spei firmitas immobilis, & certitudo constantißima;

Fide origo est ex amore.

sequi-

sequitur, & hanc ex amore hoc, omnia credente, originem trahere. Quomodo enim sperari aliquid certò potest, sine fide certâ, quæ credat firmiter, certò eventura ea, quæ sperantur? Unde conspicuum est, has virtutes, amorem (qui Dei cognitionem includit,) fiduciam, spem & fidem, primas esse, quibus Deus noster religiosè colitur, quæq; actiones reliquas omnes Deo faciant acceptas & gratas, reddantq; cultorem gratum.

Reverentia erga Deum.

Ex amore etiam hoc colligitur Reverentia, *eaq; sine omni hypocrisi & simulatione: ab hac enim amor perfectus omninò abhorret. Quia namq; bonus hic amor, filiali metu Deum colit, & ne quid mali contra severam ejus justiciam accidat, piè & verè extimescit.* Qui enim, uti eleganter *Aristoteles* lib. 1. magnor. Moral. cap. 6. *loquitur,* DEOS non metuit, fortis non est, sed demens. *Metus autem & cultus ille non sit hypocriticus & simulatus.*

Hypocrisis.

Omnis hypocrisis à rectâ ratione alienissima est, quippe vitiorum pessimum. Est enim hypocrisis pietatis quædam sine re & veritate simulatio. Et Hypocritæ omnia sua opera huc, velut ad præfixum scopum, dirigunt, ut sanctimoniæ laudem & commendationem sibi concilient: & benevolentiam, studium, & amorem suum ore prædicant, & verbis mellitis tegunt felleos & venenatos aculeos, pessimorum, imo crudelissimorum consiliorum, clam insidias struunt, detrahunt, & dolum plando risu prætexunt. Solent etiam percolare culicem & deglutire Camelos, nempe solent peccata fingere, ubi nulla sunt: è contrario verò gravissima peccata pro nihilo ducere.

Quales

Quales sapientes cane & angue pejus vitandos monent, unde proverbium κύων λαίθαργος *apud Suidam.*

Σαίνεις δάκνουσα, καὶ κύων λαίθαργος εἶ.

Palpando mordes, clam canis dentem imprimens.

Et apud Laërtium *cujusdam Poëtæ, insidias hypocritæ cavendas esse admonentis, verba leguntur:* Cautè observans quemlibet virum, vide ne occultum corde gerens mucronem, nitidâ te fronte compellet, atq; os bilingue ex atris præcordijs sonet. *Et* Cicero lib. 3. Offic. *omnem simulationem & dissimulationem ex omni vitâ tollendam censet. Et iterum, inquit, ibidem: omnes aliud agentes, aliud sentientes, perfidi, improbi, malitiosi sunt. Nullum igitur illorum factum potest utile esse, cùm sit tot vitijs (nempe perfidiâ, improbitate, malitiâ) inquinatum. Omnis itaq; hypocrisis, qualiscunq; etiam ea sit, mala, ex malo, imò pessimo, proficiscitur animo. Quare cùm Numini nihil sit gratum, quod à malo & vitijs inquinato præstatur animo, reverentiam postulat puram, ab hypocrisi omni liberam; ex mente prorsus purâ profectam. Vult itaq; reverentiam Deus, ut sanctissimè colatur, & omnia sua religiosè tractentur. Sanctimonia verò & religio hujus cultus consistit in ijs, quando magno in timore de numine hoc cogitamus, loquimur, agimus, nec eam licentiam assumimus, ut ijs, quæ Dei sunt, temerè & impiè abutamur. Abutimur autem,* Religio in quo consistat.

simen-

si mendacia Numinis ejus invocatione veritatisq; attestatione & virtutis obsecratione vel perpetremus vel perpetrata contegamus, vel tantum perpetrare, contegereq; cupiamus & optemus. Quandoquidem ita veritatem non vindicare, sed potius mendaciis delectari, & sua nobis dona dedisse, ut per ea nocea-mus, damnaq; aliis inferamus, Deus arguitur. Quibus sane non modo ignominia afficitur; sed etiam dum malis delectari statuitur, verum & summum bonum negatur: non aliter ac si è contrario veritatis testis invocatur, veritatis defensor arguitur, & ita honore conveniente colitur.

Iuramẽtum quid. *Hinc quid de Iuramento censendum, facile colligitur: quod finitur Invocatio Dei, quâ petimus, ut sit testis nostri sermonis, & puniat fallentes. Hæc enim in Atheniensium juramento formula fuit* ἴςορες θεοὶ τούτων: Horum mihi Dij testes & con-
„ scij sunto. *Omne itaq; etiam hostibus datum vel*
„ *metu extortum servandum esse jubet Reverentia hæc*
„ *erga Deum, siquidem non redimenda est salus corpo-*
„ *ris cum contumelia nominis divini, quod indicat* Pythagoras *in aureo carmine* σέβου ὅρκον venerare juramentum. *Quod mandatum sanctè observantes Ethnici sapientiores, ut eo major esset jurisjurandi religio, jurantes tenebant vel contingebant manu aras, & significantes jusjurandum sanctissimum, dicebant*: Nec si aram tenens juraveris credam tibi, *ut videre est apud* M. Tull. *in Orat. pro L. Flacio. Quæ juramenti reverentia postea genuit proverbium*: Vsq; ad aras: *quod* Peri-

Amicus usq; ad aram. cles

des referente Gellio, *ita exprimit:* δεῖ μὲ ἔφη συμπράττειν τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μέχρι βωμῶν: oportet me commodare amicis, sed usq; ad aras. *Melius adhuc* Plutarchus *in lib.* περὶ δυσωπίας: μέχρι τοῦ βωμοῦ φίλος εἰμί: Usq; ad aram sum amicus. *Hoc proverbium, ut habet Erasmus in adag.* Chil. 3. cent. 2. pag. 524. *admonet, nonunquam, quo consulamus amicorum commodis, eorumq; voluntati morem geramus, fas videri, paululùm à recto deflectere: verùm eatenus, ne propter hominem amicum Numinis reverentiam violemus. Vnde* Isocrates *ad Demonicum, quando & quomodo & nobis & amicis juramento succurrere debeamus, quodq; id non temerè præstandum sit rectè & eruditè monet:* ὅρκον ἐπακτὸν πρόσδεχου διὰ δύω προφάσεις: ἢ σεαυτὸν αἰτίας αἰσχρᾶς ἀπολύων: ἢ φίλους ἐκ κινδύνων διασώζων. ἕνεκα δὲ χρημάτων μηδένα θεὸν ὀμόσῃς, μηδ' ἂν εὐορκεῖν μέλλῃς: Iusjurandum si postulatur, duabus de caussis dabis: vel ut temetipsum turpi crimine liberes, vel ut amicos è periculis eripias. Pecuniæ verò caussâ per nullum Deum jurabis, etiamsi liquidò id facere possis. *Omne porrò juramentum datum servandum esse colligitur ex partibus juramenti, quarum quatuor recensentur. 1. Veritas. 2. Invocatio, quâ Deus conferendæ veritatis caussa citatur. 3. Confeßio, quòd Deus sit vindex perjurij & ultor. 4. Imprecatio, quâ nos fallentes, Deo teste, ad pœnam nos obligamus. Quare violatione juramenti & per-*

Iuramẽtum quare præstandum.

Omne juramẽtum servãdum.

Perjuria vitanda.

& perjuriis nomen divinum maximâ contumeliâ afficitur, quòd ad stabilienda mendacia transferatur. Perjuria igitur quàm severissimè punit; & quanquam aliquandiu differt pœnas; tamen tarditatem supplicii tandem gravitate pœnæ compensat, ut habent versus Tibulli *ex Homeri Iliad. δ. desumpti:*

Ah miser, etsi quis primo perjuria celat,
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

Εἴπερ γάρ τε καὶ αὐτίκ' ὀλύμπιος οὐκ ἐτέλεσσεν,
Ἔκ τε καὶ ὀψὲ τελεῖ: σύν τε μεγάλῳ ἀπέτισαν
Σὺν σφῇσι κεφαλῇσι γυναιξί τε καὶ τεκέεσσι.

Quod si continuò DEus haud perjuria plectit,
Attamen id tandem faciet, quo maxima pœna
In caput autoris, sociam, natosq; redundet.

Et Pausanias *in Arcadicis refert, Philippi regis Macedoniæ liberos ideo in tantas calamitates incidisse, quia pater omnia promissa, pacta, & juramenta conculcaverit. Cautè itaq; hic agendum, ne perjuriis Reverentiam divinam violemus aut lædamus.*

Theorema V.

Deum esse invocandum celebran-

brandumq; intelligit recta ratio.

Amor porrò hic perfectus certißimam gignens fiduciam, spem, & fidem, quod intelligat omnia Numinis sui providentia conservari, regi & gubernari non modo illud sanctißimum, optimum, omnisq; boni fontem perpetuò prædicat, laudat, celebrat: sed etiam confidenter reverenterq; auxilium & omnis generis bona ab eodem petit, eaq; confidenter, reverenter & constanter petenda censet. Vnde cultus adorationis & invocationis menti & rectæ rationi fit cognitus. Quia enim felicitatem suam ex summo bono provenire sentit in illud solùm se debere convertere, eaq;, quæ optat, petere optatisq; se fruituram filiali fiducia & amoris igne ardente certo statuendum & pro beneficijs Deo gratias agendas esse animadvertit. Hinc Epictetus. 1. Differt. 16. Si sani simus, *inquit,* quid aliud nobis agendum, & publicè & privatim, quàm Numen celebrandum, & laudandum & gratias persolvendum est: Nonne & inter fodiendum; & arandum, & edendum, hymnus hic cantandus est DEO? Magnus est DEUS, qui nobis instrumenta hæc, quibus terram colimus, dedit. Magnus DEUS, qui manus dedit, qui vim deglutiendi, qui stomachum efficit, ut latenter adolescamus, ut dormientes respiremus. Hæc singulis in rebus cantanda sunt, & hymnus divinissimus cantandus, quod intellectum rerum dederit, quod vim rationemq; utendi. Et

di. *Et mox, velut ex instinctu, proclamat:* Si luscinia essem, lusciniæ munus fungerer; si olor, oloris. Nunc cum rationale animal sim, Deus mihi laudandus. Hoc meum munus est, hoc facio. Neq; stationem hanc deseram, quoad licuerit, vosq; ad eandem cantilenam hanc exhortor. *Quæ certè verba, si non excellentiora, certè æqualia videntur esse illis Augustini, lib. supportat. parte. 3. cap. 1.* Iustum est, ut creatura laudet Deum creatorem, ipse enim nos ad laudandum se creavit, qui nostris non indiget laudibus. Est autem virtus incomprehensibilis, nullius indigens, ipsa sibi sufficiens: Magnus enim Dominus noster, & laudibilis valde. Hunc itaq; mens diligat, lingua canat, scribat manus, atq; in his sanctis studijs animus se exerceat. *Et lib. 7. confession:* O æterna veritas, & vera charitas & chara æternitas! tu es Deus meus, ubi suspiro die ac nocte &c.

Theorema VI.

Summam igitur veræ religionis esse concludit recta ratio, ut Numen illud summum unicum & solum ex totâ animâ, totis viribus, totâq; mente amemus, diligamus, colamus eiq; soli semper

per in omni motu atq; actionibus serviamus, & propter Numen alios homines verâ benevolentiâ complectamur & eorum detrimenta arceamus, eisq; benefaciamus.

In eo consistere veram religionem amor quoq; ille perfectus & absolutus arguit: præcipit enim omne studium in summo Numine rectè cognoscendo, colendo, celebrandoq; ponendum esse, ejusq; verbum si aliquod prolatum sit, diligenter audiendum, observandum, tenendum. Atq; hoc est quod Cato *præcipit:*

Si DEUS est animus, nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi perpetuo sit purâ mente colendus.

Item quod Virgilius *inculcat 6.* Aeneidos:

Discite justitiam moniti, & non temnere divos.

Hic enim versus totum continet decalogum: Primam tabulam: Non temnere divos: *Secundam;* discite justitiam.

Hæc itaq; illa est sanctitas, quam Cicero lib. 1. de nat. Deorum *scientiam colendorum Deorum vocat. Hæc est illa pietas, quam idem* in Orat. pro domo sua *honestam de numine Deorum & mente opinionem definit. In* primo de nat. Deor. *Institiam erga Deos celebrat &* pro Plancio *fundamentum*

mentum omnium virtutum nominat. Sanctitas enim & pietas juxta eundem Ciceronem lib. 2. Off. *efficit Deos placatos. Pertinet etiam huc illud Platonis:* τίμα θεὸν ἀληθείᾳ *hoc est, Deus colendus est non externis gestibus, sed veritate. Item illud Tibul.* lib. 1. Epist. 2.

Casta placent superis, purâ cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Et quod Dido apud Ovid. ait:

Non bene cœlestes impia dextra colit.

Symbola Pythagorica.

Notanda quoq; de hac re sunt Symbola Pythagorica: quorum primum ita habet: Εἰς ἱερὸν ἀπιὼν προσκυνῆσαι, μηδὲν ἄλλο μεταξὺ βιωτικὸν, μήτε λέγε, μήτε πράττε. In templum prodiens adoratum nihil interea, quod ad vitam facit, nec dicito nec facito. *Secundum:* Ὁδοῦ πάρεργον οὐδὲ εἰσιτητέον εἰς ἱερὸν, οὐδὲ προσκυνητέον τὸ παράπαν, οὐδ' εἰ πρὸς ταῖς θύραις αὐταῖς παριὼν γένοιο: *Perfunctoriè templum ne ingreditor, neq; adorato omnino, neq; si ipsissimas fores prætergrediaris. Et in explicatione primi Symboli dicitur:* Nihil tale ad divinam scientiam adferendum est, cujus generis est humana commentatio, vel vitalis vitæ curis implicatum teneri. *Tertium Symbolum est:* Discalceatus, nudisq; pedibus sacrificato, adoratoq;. *Quartum.* De Dijs & de divinis oraculis nihil eorum, quæ sunt admirabilia, fidem

fidem derogato. *Item in explicatione sexti Symboli dicitur*: Cœleste iter amplectendum, & Dijs intelligentibus adhærescendum, secedendumq; ab naturâ materiali, ac dirigẽdum iter ad vitam materiâ carentem, puramq; & Deorum cultu optimo utendum &c. *Videatur Iamblichus in Protrept. Probe quoq; hoc loco notanda sunt illa, quæ* Zaleucus Locrensium *legislator oratione gravissimâ ac luculentissimâ ponit in Legum suarum proœmio*: Omnibus, *inquit*, qui urbem atq; agrum incolunt, hoc persuasum sit oportet, ut statuant, Deos esse: id quod tantùm non in oculos non incurrit, si quis cœlum, atq; hunc mundum intueatur, rerumq; in ijs ordinem atq; ornatum consideret. Neq; enim tantum opus aut casu extitisse, aut hominum solertiâ provenisse putandum est. Itaq; colendi & honorandi Dij sunt, ut bonorum omnium, quæ cum ratione fiunt, parentes atq; autores. Oportet igitur unumquemq; mentem suam ita comparare, atq; instituere, ut ab omni improbitate pura sit. Nam ab improbo homine Deus non honoratur, neq; sumptibus sacrificiorum colitur, neq; ludorum muneribus delinitur: sed virtute, & justarum atq; honestarum instituto. Quocirca par est unumquemq; pro virili dare operam, ut vir bonus sit; neq; tam vitâ externâ, quàm animi proposito ac destinatione, si modo Deo charus

Zaleucus Locrensium Legislator.

esse velit: atq; ut opum omnium jacturam facere malit, quàm latum unguem deficere à laude, ab honestate, à justitia. Cæterùm qui animum ad hæc inducere non possunt, eumq; potius ad injustitiam incitant: ijs omnibus, sive mares, sive fæminæ sint, & sive in civitate nati, sive in eã ascripti sint: ijs, inquam, hoc inculcatum, & penitus impressum sit, & esse Deos, & pœnas ab improbis repetere: tum præterea, venturum esse summum illum & fatalem diem, quo mors cum vita commutanda sit: quo quidem tempore in mentem ipsis veniet eorum, quæ improbè & injustè egerunt, & ita veniet, ut infecta esse cupiat, quæ facta sunt. Quòd cùm ita sit, oportet unumquemq; in omnibus, quæ agit, tempus illud ob oculos perpetuò habere, tantumq; non præsens esse statuere: ita enim fiet, ut honestatis & justitiæ majorem curam habeat. Accedat etiam ad viros probitatis & honestatis laude celebres, quorum disputationibus tum de vitæ beatitate, tum de improborum supplicijs, ab injustis facinoribus revocetur. *Proh Deum immortalem (non enim possum facere, quin cum Adamo Theod. Sibero Collega meo honorando* Orat. 7. *exclamem) hoccine tam pia, tam sancta, tam sacra & religiosa venire potuisse in pectus atq; os hominis non-Christiani? Quid enim aliud dixisset, si unum atq; alterum verbum excipias, in medio Ecclesiæ sinu natus atq; educatus. Primùm (ut hos* porri

A. Theod. Siberi explicatio.

porrò explicat Siberus) utriusq; sexus homines, & tum cives, tum municipes ad Deum cognoscendum atq; colendum, illum videlicet omnium rerum autorem & parentem, & deducit & instituit: quem quidem cognosci docet ex hac pulcherrimâ mundi constitutione: coli autem jubet non victimarum mactatione, non ludorum celebratione, sed virtutum operatione, sed honestatis & justitiæ actione. Postremò eos, qui nequā Dæmonis instinctu ea, quæ virtuti, quæ honestati, quæ justitiæ, quæ legibus deniq; cōtraria sunt, committunt, tanquam in ædem bonæ mentis deducit, utq; à furia illa imponente liberari posint, instituit. Id quod futurū ostendit, si & opem atq; auxilium divinum implorent, & bonorum ac religiosorum virorum opera atq; consilio ad eam rem utantur. Galenus quoq;, medicorum ille princeps, etsi homo prophanus & impius, qui omnem fermè religionem susq; deq; habuisse fertur: Attamen ubi Anatomicum tractat studium, ita in laudem Dei provehitur & scribit lib. 3. de usu partium: Compono hic profectò canticum in creatoris nostri laudem. Opinor enim hunc maximè cultum à nobis exigi, non ut Hecatombas taurorum Deo sacrificemus, aut Caßiæ cumulos adoleamus, sed ut omnibus notum faciamus, quanta ejus sapientia, potentia, bonitas. Quod enim ultro res ornare voluit melius, quàm ulla arte poßint, & nulli rei tanta bona invidit, puto singularis & perfectæ bonitatis demonstrationem esse. Et hactenus bonitas ejus celebratur. At quod rationem invenit, quâ eædem illæ res tam opiparè decorarentur, singularis sapientia fuit: ut quod omnia, quæ ante constituerat, Galenus.

compleverit & perfecerit, insuperabilis virtutis & potentiæ.

Lex cordibus inscripta quæ?

Hæc itaq; illa lex est, de qua Apostolus Paulus testatur, quod Ethnicorum cordibus sit inscripta Rom. 2. v. 14. *Hæc illa scientia est, propter quam erunt aliquando inexcusabiles* ibid. & Rom. 1. v. 20. *Atq; religione hac numen illud summè bonum delectari patet ex illis, quæ supra disputavimus, & quia delectatur, redamat eum, à quo per cultum & religionem illam perfectè amatur, colitur, celebratur. Quomodo enim perfectè bonum posset non redamare amantem amore perfecto: cùm Bonum hoc summum suam naturam nunquam deponat? Amor autem amato bene vult & favet: Ergo, quia amantem amat summum Bonum, ei quoque bene vult & favet. Atqui hujus velle est facere: Ergo illi semper benefacit. Vt autem summum bonum, hoc est, perfectißimum, justißimum, constantißimum, immutabile; ita & ejus velle, favereq; est perfectißimum, justißimum, constantißimum, immutabile: Ergo sine intermißione cultori suo & amanti semper bene vult, semper favet: Ergo æternùm, quia bonum illud æternum est: Ergo vita æterna illi futura est; cùm æternum bonum extra vitam æternam non detur. Forsan quoad animam tantum? non sed corporis quoq; ratione æterno isto bono fruetur: cùm numen omnibus tam corporis, quàm animæ coluerit viribus, quando corpus animæ decreta semper exequi gavisum fuit. Ergo totus homo anima & corpore constans hac religione colens* DEVM *æternum vivet. Atque hæc summa illa felicitas est, quæ*

Amor amato bene cupit.

nos

nos arctißimè DEO conjunget, quâque DEUM perfectè cognoscemus & coram penitißimè intuebimur. Quæ cognitio, quia plenißima erit, amor plenißimè exardescet, tantumque virium assumet, quantum mens cognitionis. Amando itaq; arctius vehementiusq; DEUM magis magisq; superare seipsum conabitur hic amor. Unde tanta vitæ illius æternæ æstimatur jucunditas, tanta voluptas cum suavißimo desiderio jucundißimaque amati & amatoris unione, admirabili quoque mutui reciprocatione, quantam mens in conditione hac terrestri neque concipere, neque lingua eloqui unquam potest.

Theorema VII.

Qui à summo Bono semel deficiunt, omni bono & felicitate privati in æternas miserias & cruciatus, quibus nihil felicitatis est admixtum, præcipites dantur.

Quemadmodum autem vita æterna admirabilis hæc & immutabilis felicitas eos manet, qui in amore isto perfecto & religione hactenus definitâ constanter & immutabiliter perseverant: ita contra qui ab eo semel deficiunt, omni bono & felicitate privati, in æternas miserias & cruciatus, quibus

nihil

nihil est admixtum felicitatis, præcipites dantur, & quia ab omni omninò bono sunt expulsi, justiciæ infinitæ justißimam & æternam experientur severitatem. Vt enim illi æternâ vitâ & felicitate gaudent: ita hi æternis cruciatibus premuntur & opprimuntur: Æternis inquam, cruciatibus. Vbi enim pœnitentiæ non datur locus, pœnarum quoq; finis datur nullus: Atqui pœnitentiæ locus ibi nullus est: Iusticia enim inter Numen infinitum offensum, & pœnam, requirit proportionem. Quæ cùm non detur in lapsis & peccantibus, semper etiam reperiet, quæ tristißima sententia condemnet, puniatq; severißimè. Vnde in nihilum nunquam possunt redigi, cùm illis semper pœnam justicia inferat, vindictaq; ejus nunquam expleatur. Possuntnè, inquis, ad bonum reduci? Videtur hoc negare humana mens. Immutabilem enim justiciam & immotam veritatem omnem omninò aditum præcludere colligit. Quærat intercessorem, mediatorem & satisfactorem? Quærat, sed ubi inveniet? Non angelus, neq; ullus homo hoc in se recipiet munus. Non homo. *Nam nullus homo est, quin justiciæ divinæ sit obligatus: quocirca ipse intercessore opus habet.* Non angelus: *quia hic finita creatura est: Quomodo autem finitum infinito satisfaciet: cùm satisfactio æqualitatem & proportionem requirat, quæ hic negatur? Forsan ipse* DEVS *sibi suæq; justiciæ satisfaceret? Quomodo hoc?* DEVS *enim est ipsamet sua justicia, & justicia* DEI *offensa est ille ipse* DEVS *offensus: Ergo & hic frustra se laborare ratio hominis arguit.*

Æterna pœna deficientis à DEO.

Quæstio.

Mediator est neque angelus, neque homo.

Theo-

Theorema VIII.

Mens peccata agnoſcit, & ſe aliquando in ſtatu integritatis fuiſſe ſibi perſuadere poſſe videtur.

Quoties itaq; mens hæc intuetur, ſuasq; actiones cum Iuſticiæ regulâ confert, non poteſt non ſummâ triſtitiâ affici, peccata agnoſcere, æternasq; pœnas metuere: ſimulq; quia intelligit cultum religionemq; hanc ſibi eſſe propoſitam, ut propter felicitatem, in illâ contentam, conſequendam, ad eam omnes ſuas actiones inſtituat, dirigat examinet; intelligit utiq; ſe aliquando fuiſſe talem, qualis hoc cultu requiritur, inſtructamq; aliquando viribus mediisq; ad obtinendam, adquam aſpirat, felicitatem ſufficientibus. Quia enim, uti ſupra demonſtratum, juſtiſsimus ſapientiſſimusq; DEVS omnia in finem creavit; omnibus quoq; omnia illa attribuit, quæ ad finem ſibi propoſitum acquirendum ſunt neceſſaria, alias ille fruſtra eſſet propoſitus. His autem mediis & facultatibus, cum in hoc, in quo nunc vivit, ſtatu deſtituatur, facile videt ſe à fine, in quem factus homo ſit, aberraſſe, ſejunctumq; à DEO excidiſſe ſimilitudine, amicitiâ, neceſsitudine DEI, neq; felicitatem iterum aſſequi poſſe.

Theorema IX.

Lapſus Hominis non DEO,

non

non cœlo, sed liberæ hominis voluntati est adscribendus.

Atque hoc non DEO, non cœlo; sed hominis propriæ voluntati est ascribendum. Non DEO: *quia DEVS est infinitè bonus*: non cœlo: *quod enim cœlo non erat futurum, id cœlum, ut esset, urgere non poterat.* Homo *igitur quia erat liberâ agendi voluntate instructus & rationis compos, appetere poterat opposita, ut vel vitium appeteret, vel virtutem. Quæ tamen lubendi potentia in homine non erat necessaria, neq; necessariò vitium inferebat. Erat enim libera, in liberâ voluntate. Et sane potentia voluntatis in eum finem erat creata libera, ut creator liberrimus liberrimo & spontaneo cultu coleretur. Vnde potentiam hanc voluntatis liberam, ejusque usum divinâ suâ providentiâ conservabat DEVS, dum creatura rationalis adhuc innocens esset, ejus privationem nondum promerita. Permittebat autem secundùm suam providentiam justè sine culpâ, ut voluntas hæc libera à bono liberè deficeret, & ad malum inclinaret: hominem enim talem condiderat, qui liberè sine peccato, sine defectu, sine culpâ creatorem coleret. Et sanè si absolutè vetuisset, nullâque ratione hanc libertatem permisisset, eam creaturam, quæ ad cultum liberum spontaneumque „ erat condita, in servitutem traxisset, cultusq; di- „ vini naturam, ex liberrimo rationis motu proma- „ nantis, immutasset, libertatiq; proprium ademisset, „ atque sic providentiam suam, ea, quæ facta sunt ad „ usum proprium & naturalem, conservantem sustulisset.*

Quomodo homo labi potuit?

Cur Deus lapsum hominis permisit?

fuisset. Libertate itaq; propriâ propriæ voluntatis abusus homo, DEO inobediens factus est, & prævaricator legem violavit, atq; ita justiciam, sanctitatem, veritatem, & agnitionem DEI amisit, viresq; sanctè agendi perdidit: indeq; conscientiæ stimulis agitatus, pudore suffusus est, & sic suo ipsius judicio malo adjudicatus.

Hinc in cordibus terribilis metus, miserabilis timor, crudelis angor, nulla consolatio, nulla spes, nulla expectatio, nulla liberatio. Unde ad extremam & omnium oculis deplorandam adigitur homo desperationem, quando tam miserabilis vita omni omnino bono felicitateq; orbata, imò à bonitate ipsâ severissimâ maledictione deperdita depingitur futura. Quare summis cruciatibus infernalibusq; doloribus fracta mens in miserrimam hanc vocem cum Virgilio exclamare cogitur:

Vita hæc cum gemitu fugit indignata
sub umbras.

"DEUM *igitur misericordem, ô homuncio, in suo verbo revelatum audi, scrutare, alloquere.*"

EXERCITATIO SEPTIMA.

DE ACCIDENTE IN GENERE.

Typus

Typus hujus Exercitationis.

Accidens (th. 1.) (V) est vel (th. 2.) { Primarium (X) Secundarium.

Theorema I.

Accidens est, quod substantiæ sine subjecto inhæret.

Libri hujus secundi Exerc. 1. theor. 1.
Accidētis appellatio. Ens in substantiam & Accidens fuit divisum. De substantia hactenus: sequitur Accidens, *quod græcis* συμβεβηκὸς *est à* συμβαίνειν *à cohærentiâ sive congressu. Est enim accidens*
Accidens est modus Entis. *tantùm modus entis, essentialiter includens non tantùm aptitudinem, sed etiam actualem affectionem sive conjunctionem cum re, cujus est modus. Antequam verò ad specialiora progrediamur, ambiguitas vocis*
Accidentis significata. *Accidentis annotanda est.* Dicitur *enim primùm accidens non-Ens sive nuda Entis apparentia, ut quando*
1. *Aristoteles & Plato Sophistas circa Non-Ens versari*
2. *docent* 1. post. 2. §. 1. lib. ε. Metaph. c. 2. Deinde *accidens sumitur pro eo, quod contra distinguitur illi, quod per se est, & Ens-per-accidens dicitur. Hoc modo caussa dicitur per accidens effectum*
3. *producere; & sic accipitur*, 1. post. c. 4. Tertiò *dicitur illud accidens, quod ordinariis caussis destituitur & rarissimè contingit. Ita accidens est hyeme florere arbores, quia ordinarium non est. Hanc significationem etiam habet inter alias Philosophus* lib. δ.
4. Metaph. c. 2. Quartò *accidens sumitur Logicè*

prout

prout contradistinguitur reliquis quatuor prædicabilibus; indeq; à Porphyrio describitur, quod sit neq; Genus, neq; species, neq; differentia, neq; proprium Isagog. cap. 6. §. 4. Item quod abest vel adest sine subjecti interitu. Ibid. §. 1. Arist. 1 Topic. c. 5. §. 8. lib. 1. Phys. c. 3. p. 199. A. Atq; hoc modo Accidens opponitur essentiæ rei, ut rectè docet Pacius in glossâ marginali ad 6. caput Isag. Porphyr. & sumitur pro omni eo, quod est extra substantiam alterius. Tolet. in idem cap. Porph. pag. 67.

Quinto & ultimo Accidens sumitur pro alterâ Entis specie, substantiæ contradistinctâ: ut quando omne Ens dicitur vel substantia vel accidens esse. 5.

Quomodo accidens hoc loco accipiatur.

In quâ significatione illud hoc loco accipimus, & quidem formali. Quia enim accidentia cum suis subjectis concrescunt, dupliciter exprimuntur; abstractè & concretè: & quidem concreta nomina, & subjectum & accidens connotantia, quia constituunt unum Ens per accidens, non in Categorijs ponuntur, nisi formalis significatio tantùm, subjecti connotatione exclusâ, præscindatur. Ita enim album referimus ad qualitatem: nam albedo per album formaliter insinuata sub tertiâ qualitatis specie habetur.

Accidens tripliciter consideratur.

Vel etiam Accidens tripliciter considerari potest, ut annotat Toletus loco alleg. p. 68. A. 1. Vno modo, secundùm quod in rebus est, & secundùm suam essentiam atq; naturam, & sic ad hanc scientiam Metaphysicam pertinet: 2. Altero modo secundùm quod est in intellectu; & hoc respectu eorum, quæ sua sunt, hoc est, respectu inferiorum, vel superiorum, vel differentiarum: Atq; ita dividitur in species & genera &

3. *constituit prædicamentum. Tertio modo prout ad subjectum comparatur, de quo prædicatur, atq; tum Accidens proprium constituit quartum, & accidens commune quintum prædicabile.*

Ens quale sit genus respectu substantiæ & accidentis. *Si accidens per genus esset definiendum, definiretur per Ens, quod quidem nonulli Genus univocum substantiæ & accidentis esse probare conantur ex Scoto* 1.sent.dist.3.q.1.& 3. *nempe* Occam Gabriel 1. sent.dist.2. Bonetus 1.Metaph.6. Ant. Andr.
1. Opin. 4.Metaph.q.1. *Nonulli verò id omninò æquivocum*
2. *esse dicunt*. Rabbi Moses apud D.Thomam q. 7.de pot.Dei art.8: Aureolus apud Capreol.
3. 1.dist.q.2. *Mediâ nos cum Aristotele incedimus viâ,* Exerc.1.theor.1.& 2.hujus libri. *Ubi ex Aristotele Ens genus analogum concludimus, quòd primariò de substantiâ, secundariò de accidente, quod illius beneficio subsistit, dicatur. Atq; hanc nostram sententiam probant præcipui quiq; interpretes.* Averr. 4. Metaph. Comm.2. Thomas 1.cont.gent.c.33. Boëtius Dialogo 1.in Porphyr.p.26. & lib.3. in Porphyr.p.74. *ubi vocabulo,* æquivocum, *utitur in laxâ significatione.* Iandun.4. Metaphys. Capreol.dist.1.q.1.conc.9. Cajetan. de Ente & essentia. Iavell.4.Metaph.q.1. Soncinas 4. Met.q.4. Tolet.in cap.4.antepræd.q.1. Scaynus in Isag.Porphyr.q 45.& in lib. Categor. pag.141. Fons.4.Metaph.c.2. q.1. sect.3. Suarez disp.Metaph.32.sect.2.dist.1.12.& 14. *Quomodo Scoti sententia sit accipienda, explicat & ostendit* Iavell.4.Metaph.q.1. *Dicitur itaq; accidens Ens, sed non simpliciter, verùm potius quasi Entis*

Ens,

Ens,uti loquitur Averroës lib.7.Metaphys. cap.1. cont.2.p.187.F.

Quia porrò Accidentia à substantiâ sunt distincta, habere debẽt unam quandam communem naturam, per quam substantiæ opponuntur. Alias enim adæquata divisio non esset Entis in substantiam & accidens. Accidentium una communis natura. *Infers hoc fieri non posse, cùm obstet analogia accidentis, quæ sibi inest respectu subjectorum membrorum.* Obj. *Analogia ista nihil obstat, quia & analoga sub unum conceptum formalem cogi, imò etiam in objectivo commodè convenire possunt, ut patet ex ijs, quæ supra de Ente disputavimus,* Exercit.3.theor. 2.Aristoteles lib.1.Phys.t.39.& 7.Metaphys. t.3.*accidens, ait, à substantiâ esse inseparabile. Aut itaq; in inseparabili inhærẽtiâ collocat accidentis essentiam, aut sanè non longè ab eâ removet. Vbi ex* Soncin.7.Met.q.1.Fland.q.1.a.2. Ant. Andr. 7.Met.q.1.& Iavell.ibid. *notetur, duplicem esse inhærentiam, actualem & aptitudinalem: quas* Ant. Andr.*hunc in modum describit.* Sol. Aptitudinalis *est ipsa dependentĩa, sive essentiãlis ordo accidentis: secundùm suam quidditatem ad subjectum.* Inhærentia duplex. Aptitudinalis. Actualis *est unio accidentis existentis in ipso subjecto existente quasi quidam actus & perfectio cum potentiali perfectibili.* Actualis. *Et licet quidem Averroës* lib.7.Met.t.1.2. & 3.*in naturâ accidentis expressè non ponat dependentiam: nihilominus tamen ex Aristotele accidentis naturam exponit, ut non obscurè inhærentiam involvat, dum inquit: Accidens non tam Ens esse, quã Entis ens* t.2.*Item in altero Commentario inquit: Ens principaliter & simpliciter significare prædicamentum*

substantiæ,& secundariò seu relativè ad aliorum accidentium prædicamenta referri. *Id si de aptitudinali inhærentiâ accipiatur, sicut accipiunt* Iand. 7. Metaph. q. 9. Ægid. 7. Metaph. q. 2. Capreol. 1. d. 42. q. 1. a. 5. ad 1. cont. 5. Concil. Hervæ. quodl. 4. q. 9. Cajet. opusc. de Ente & essentiâ c. 7. q. 15. Iavell. 7. Metaph. q. 1. ex Thomâ 3. part. q. 77. art. 1. ad secundum & in 4. dist. 12. q. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad secundum, *sine omni dubio & veritati consonat & Aristoteli. Atq; hoc etiam modo Accidens in Theoremate definitur per inhæsionem in subjecto, nempe quod subjecto accidat & inhæreat:* ἀδύνατον *enim est, sine substantiæ fulcro vel esse vel subsistere posse Accidentia, quippe quæ omnium horum fundamentum & basis est: ut loquitur* Thomas 5. Metaph. lect. 9. & 11. Metaph. lib. 9. in fine. Alexand. Alens. 5. Metaph. text. 14. *Imò non modo sunt, sed etiam intelliguntur* ἐκ προσθέσεως οὐσίαι. *Solius enim substantiæ proprium est, ut sit* χωριστόν: *quod quatenus substantiæ, eatenus res secretissimæ inter se &* τόδε τι *existant, & sint in tertio modo per se. Unde & Aristoteles* οὐσίαν, *quæ* ὑποκείμενον *est, vocat* ἁπλῶς χωριστόν: *Accidentiâ verò* τό δε ἐν τῷδε *significant, & per se sunt* ἀχώριστα, *quamvis* πρὸς ἡμᾶς, *& intelligentiæ caussa* χωριστὰ *dici possint. Et ut hanc nostram sententiam sufficienter confirmemus, liceat nobis hic uti argumēto Alexandr. de Alex. quod* Anton. Arch. in pr. 7. Metaphys. *habet: inter esse in alio & non esse in alio, non datur tertium*

Accidentia ἀχώριστα.

tertium sive medium. Aliàs enim inter duo contradictoria aliquid mediaret, quod repugnat primo principio: At substantiæ primæ ratio est, non esse in alio, quam consequitur altera: esse per se: Ergo ut accidens rectè distinctum sit, oportet ejus essentiam substantiæ opponi & consistere in hâc notione, scilicet: esse in alio, sicut substantiæ est: non esse in alio: inter quæ duo nihil potest mediare.

Objici hic potest ex Scoto 4.d.2. q.1. & 7. Metaph.q.1.& Anton. Andr.16. absoluti essentiam non constituit relatio sive respectus: Atqui inhærentia est relatio: Ergo non constituit essentiam Entis absoluti, quale est accidens. Item Zimar. th. 3. Fland.7.Metaph.q.1.a.2.Soncin.q.1. inferunt: Accidens potest abstrahi ab inhærentiâ: Ergo inhærentia non est de essentiâ accidentis. Ad prius argumentum dicimus, distinguendum esse inter relationem transcendentalem, & prædicamentalem, ut ipse etiam Flandria advertit, vel ut Cajet. de ente & essent.q.15.Iavel.7.Met.q.1. inter respectiva ad terminum & ad subjectum. Nam licet quidem inhærentia dicat respectum, ordinat tamen illum nō ad duos terminos, quemadmodum requiritur in verâ relatione prædicamentali, sed duntaxat ad subjectum, unde etiam simul stat cū Ente absoluto, & ejus caussa existere potest. Ad posterius dicimus, quod inhærentia actualis abstrahi possit, aptitudinalis verò nō. Actualem enim inhærentiam ab essentiâ accidentis excludimus, non quidem quod de facto aliquod accidens extra subjectum vel sine supplemento subjecti subtracti servari statuamus: sed quia essentia accidentis sine a-

Objectio.

Solutio.

ctuali inexistentiâ perinde possit complete concipi & cognosci atq; substantia sine actuali suâ existentiâ. Quam enim habet existentia ad substantiam rationem, eandem pœnè & inhærentia actualis ad accidens habere videtur. Rejicimus itaq; opinionem Niphi 7. Metaph.disp.1.Baccon.1.d.28.q.1.a.3. *qui etiam ad essentiam accidentis constituendam requisiverunt inhærentiam actualem.*

Intelligitur tandem, accidentia substantijs esse posteriora cognitione, tum quatenus ab illis dependent, tum quatenus sunt imperfectiora. Vide Suarez disp.Metaph.38.sect.2.d.5.6. *Licet cōcedere possimus, quòd accidentia concreta prius concipiantur, quàm substantiæ: concreta, inquam, quæ tamen substantias non excludunt. Nam non albedo movet visum, sed album, hoc est, albedo prout in re est, hoc est, concreta, ut annotat Philosophus* lib. de sens. & sensili.& 2.de anim.c.6. *inquit: quod sensus accidens per se, substantiam per accidens videat. Videt itaq; album sive coloratum, in quo includitur substantia. Ergo similiter Intellectus. Sententiam hanc tuetur* Scotus in 1. dist 3. q. 1. 2. & 3. *quem sequuntur* Herv. quodl. 3. q. 12. Reichard. in 2. dist.24.art.3.q.3. Item Anton.Andr.7. Metaph.quæst.4.Niphus disp.4. Iandun. quæst.4.

Theorema II.

Accidentia vel sunt primaria vel secundaria.

Accidentia numerantur ab Aristotele novē: Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio, Quando, Vbi, Situs, Habitus: *atq; in has novem quasi spe-*

species accidens immediatè dividitur. Quæritur itaq; primùm, an numerus hic sit sufficiens & includat omnia accidentia: Deinde, anne dentur pauciora membra, quibus novem illa genera poßint subdividi: Et tandem, an summa illa genera omnia sint realiter distincta. Ad primam quæstionem, affirmativè respondent omnes interpretes, licet in se res non careat suâ difficultate. Primùm enim iste numerus per se non est notus: quandoquidem prædicatum non est in ratione subjecti, neq; etiam ejus evidentia ex terminis cospicitur, neq; facilè demonstrabitur. Si enim demonstrari posset, absq; dubio id tentasset alicubi Philosophus, cum universa illius Philosophia ex prædicamentali hac constitutione maximam partem dependeat. Hinc Scotus 4. sent. dist. 13. *numerum hunc tantùm propter summorum Philosophorum authoritatem retinendum putat. Et Avicenna dixit non posse ratione propria & à priori demonstrari tot esse genera summa, & non plura, vel pauciora; Cui & nos astipulamur. Thomas verò* lib. 5. Met. lect. 7. & 3. Phys. lect. 4. *talem dat rationem: Quoties prædicatur Ens, toties significatur esse: Potest autem prædicatum ad substantiam primam tripliciter se habere: Vno modo prout idem est cum subjecto, atq; illud prædicatũ est substantia secunda, quæ realiter idem est cum primâ. Secũdo, prout prædicatum inest subjecto, atq; hoc dupliciter, quia vel inest ei absolutè; atq; hoc vel ratione materiæ, & est Quantitas; vel ratione formæ, & est Qualitas; vel inest ei respectivè, & est ad Aliquid. Tertio, prout prædicatum sumitur pro eo, quod est extra subjectum; atq; id dupliciter: uno modo, ut sit omnino*

1. De numero accidentium.

Demonstratio denarij Thomæ.

extra subjectum, atq; hoc est vel mensura subjecti, vel non: Si non, est Habere: *si mensura, est vel Tempus, vel Locus: unde Prædicamentum* Quando *&* Ubi; *& consequenter considerato partium ordine in loco, oritur & datur Prædicamentum* Situs. *Altero modo ut sit prædicatum secundùm aliquid in subjecto, atq; hoc vel ut principium, & est* Actio; *vel ut Terminus, & est* Passio. *In quo discursu Thomas multa falsa assumit, utpote mensuram esse genus τῶ Ubi & Quando; cùm ea etiam secundùm Philosophum* libro Iota Met. t. 2. *in Quantitate inveniatur, imo secundùm ipsum Thomā ipsam Quantitatis essentiā constituat. Item Qualitatem sequi solam formam, Actionem aliquo modo inesse agenti, passionem extrinsecus attingere patiens. Ita Ubi & situm extra subjectum esse.*

Thomæ falsa assumpta.

Aliorum demonstratio.

Alij numerum hunc ita demonstrant: Ens aut per se subsistit, & est substantia, *aut in alio, & dicitur* Accidens. *Accidentia alia sunt in esse, alia in fieri. Horum genus dicitur motus, qui respectu Agentis dicitur* Actio; *respectu patientis,* Passio: *ad quæ tamen tempus referri non debet: quia Tempus fieri dicitur per accidens, nempe ratione motus, cujus mensura est:* Flacius in Org. pag. 147. *Accidentia in esse vel sunt absoluta vel relata: Absoluta sunt* Qualitas *&* Quantitas. Relata *sunt vel* propriè ita dicta, *ubi subjectum aliquod relatum refertur ad aliud relatum sive correlatum: vel sunt relata modo quodam; ubi absolutum modo quodam ad aliud absolutum refertur, unde & absoluto-relata recentioribus nonullis sunt dicta. Hæc absoluto-relata vel significant respectum subjecti ad*

corpus, vel ad incorporeum sive ad corporis accidens; nempe vel ad locum, vel ad tempus: ex hoc Quando, ex illo Ubi est. Quæ significant respectum inter duo corpora, sunt iterum duplicia: aut enim alterum super altero situm est, unde Situs: aut alterum ab altero habetur, unde ultimum Habendi prædicamentum. Verùm cùm divisio vim probandi non habeat 1. prior. cap. 32. 2. post. text. 73. & hic & Thomæ discursus sint tantum divisivi; manifestum est, quòd nihil probent; sed omnia gratis sumant.

Arist. lib. categor. c. 4. probat hunc numerum inductione: Si enim quis omnes omninò voces, quæstiones, & prædicationes percurrat; reperiet, eas significare aliquid vel ex substantiâ, vel ex novem illis accidentibus. Vt in substantia, Rhinoceros an sit & quid sit. In Quantitate, quid sit superficies, quid locus: in Qualitate, quid sit valetudo, quid morbus: In relatione, quid sit pater, quid filius: In actione & passione, quid sit docere, quid discere: In ubi, quid sit esse ruri, esse in aula: In Quando, quid sit in Gallicinio: In situm esse, quid sit supinum esse, esse perpendiculariter: In Habere, quid sit calceatum esse, quid torquatum esse &c: Item in propositionibus & conjunctis quæstionibus: ut in substantiâ, Homo est animal: vel estne Iuniperus arbor? In quantitate, linea est longitudo, vel estne locus superficies? in Qualitate, Temperantia est virtus, vel, amicitia estne virtus? In Relatione, Dominus habet servum: vel, estne quantitas quantitati æqualis vel inæqualis, item contraria? In actione, an plantæ vivunt, an

Aristotelis probatio.

metalla vivunt? In paßione: corpora mixta corrumpuntur: vel an terra movetur? In Quando, Christus sub Pontio Pilato passus est: item an diei initium sit mane an vesperi, an meridie, an media nocte? In Vbi, ut cometæ consistunt in concavo Lunæ, vel an homines vivunt sub polis? In situm esse: Christus pependit in arâ crucis expansis brachijs: item an solus homo incedat erecto corpore? In Habere, pisces quidam sunt squamigeri: item an serpentes quidam sint squamigeri? Eodem modo quæstiones, quibus quodnam sit hoc illius quæritur, secundùm decem categorias examinantur, & dividuntur tum ratione subjectorum, tum ratione prædicatorum. Vt ad substantiam pertinent quæstiones: quodnam sit genus equi? quodnam sit subjectum albedinis, vel in genere coloris? Ad Quantitatem: quantus sit terreni globi ambitus? quodnam sit genus loci, temporis, superficiei? Ad Qualitatem: quodnam sit genus amicitiæ? qualenam sit temperamentum viventium? Ad relationem: quæ sit proportio inter montem Apollinis & montem Bructerum? quænam causa tempestatum? Ad agere & pati: quæ actiones humanæ, qualesve sint? Nutritio in quo genere motus sit? Ad Vbi: ubi cometæ consistant? Ad Quando, quando Nilus inundet Ægyptum? Ad Situm: quis cubitus sano, quis ægroto conveniat? Ad Habere: an nudo an tecto capite sit commedendum? Quia itaq; nullum prædicatum nullumque subjectum dari potest, quod non sit vel substantia vel in aliquâ ex novem claßibus accidentium, manifestum est, neq; plura, neq; pauciora summa dari genera.

Errant

Reijciuntur falsæ opiniones. 1. Pythagoreorum. 2. Platonis. 3. Aliorum.

Errant igitur Pythagoræi viginti prædicamenta: decem ex parte Boni, & decem ex parte Mali fingentes, ut refert Philosophus lib. α. Mai. Metaph. *cap. 5. Reijcitur etiam meritò Platonis inconstantia, qui interdum ad unum genus Entis omnia revocat, ut* in Sophista: *interdum verò ad quatuor, ut* in Philebo. *Neque illorum sententia vera esse potest, qui quatuor saltem priora: Substantiam, Quantitatem, Qualitatem & Relationem agnoscunt, & reliqua sex ad Relationem referenda esse docent: Quod sine manifesta confusione non fit. Nam licet quidem posteriora quandam habeant cognationem cum relatione eò, quòd in quodam sint respectu; tamen simpliciter relata non sunt: quandoquidem illorum esse non simpliciter est ad aliquid. Non enim, ut Relata propriè ita dicta, ad sua correlata, ut terminum, referuntur: sed ad sua subjecta & absoluta: Et si talis concedenda esset confusio, duo saltem relinquerentur prædicamenta: Substantia & Accidens, cum & reliqua novem ad Accidens reduci possint.*

Arte facta quo referenda.

Artificiata porrò quæ Ars sine naturalibus activis & passivis producit, ad qualitatem referuntur: partes principiaque & omnia incompleta ad sua tota revocantur. Motum quidem Plotinus in Exam. *prædicamentorum Aristotelis pro peculiari prædicamento habendum esse arbitratur: Verùm illum* Arist. & Averr. lib. 5. Phys. text. 9. Aphrod. 1. nat. qq. cap. 21. *reijciunt ad idem genus, quo continentur termini, cùm sit via ad illos, imo ipse terminus in fieri.* Videantur Simplic. & Venet. in princip.

Motus an peculiare prædicamentum constituat.

princip. prædicament. Philopon. 1. prior. c. 2. Ocham in Logicis p. c. 4. quodl. 5. q. 22. *Constat itaq; novem esse accidentium summa genera, quæ si cum substantiâ conjungantur, decem constituunt prædicamenta. Atque hactenus de primâ quæstione.*

II. Secunda quæstio de numero accidentium.

Ad alteram quod spectat, constat Philosophum accidentia in novem genera distribuisse immediatè, vel quia essentialem conceptum supra novem ista genera habere non potuit, vel quia aliæ superiores & mediæ divisiones præcisè inter se species non diriment. Verumenimvero negari non potest, quòd, sicut summa accidentium genera inter se & substantiam habent aliquam convenientiam in ratione Entis; ita etiam in ratione Accidentis inter se quandam habeant convenientiam, quæ à substantiâ distinguantur. Pari etiam modo negari nequit, quòd inter quædam accidentium genera, quædam sint convenientiæ propriæ & peculiares, quæ non sint aliis accidentium generibus communes. Nam licet quidem nullum proprium genus habeant quædam commune & peculiare (Hoc enim habere nequeunt: quandoquidem verum est etiã hoc respectu & ratione, quòd summa genera sint primo diversa, adeoq; in nullo vel genere vel specie conveniant, juxta doctrinam Aristotelis lib. δ. Metaph. c. 9. & libro Iota eor. c. 5. *ubi hoc discrimen ponitur inter ea, quæ propriè differunt & quæ diversa sunt): In prædicato tamen transcendentali vel univoco vel analago convenire possunt. Unde à nobis docendi causâ tanquam per differentias intermedias divisa sunt accidentis*

dentia in primaria & secundaria. *Primaria dicimus illa, quæ simplicia sunt: ut Quantitas simplex accidens est, quod simpliciter inest substantiæ per materiam: sic Qualitas, per formam: Relatio per suum fundamentum. Secundaria accidentia vocamus, quæ ex complicatione substantiæ & simplicium accidentium oriuntur. Sic ex complicatione substantiæ cum potentiâ vel impotentiâ oritur Actio & Passio: cum quantitate, Ubi & Quando: cum Relatione, Situs & Habitus. In qua quidem divisione Accidens, genus Univocum non est: sed habet transcendentis & generis* πρὸς ἓν *naturam: Alij accidens dividendum putant ut substantiam, in completum & incompletum, vocantq; accidens completum illud, quod habet integram essentiam alicujus accidentis. Unde omnia genera, quæ ponuntur in aliquâ lineâ rectâ, prædicamenti accidentis sunt accidentia completa, quòd ex modo concipiendi & prædicandi manifestum est. Nam quantitas, habitus, color &c: concipiuntur & signantur integræ formæ accidentales: quia enim vel expresse vel implicitè totam formam sive totam ejus essentiam dicant & quidem per modum totius. Accidens incompletum vocant id, quod habet rationem partis respectu completi. Talia accidentia sunt differentiæ acccidentium: item genera, si sumantur præcisè ut partes, non verò absolutè. Verùm divisionem hanc hoc loco commodè omitti posse cum Suarez* disp. 39. sect. 1. dist. 15. *statuimus. Vel enim præsupponitur tanquam virtute sive proportione contenta in simili substantiæ divisione: vel certè commodius potest applicari ad singula prædicamenta*

acciden-

accidentium, scilicet ut sit Quantitas completa & incompleta, & Qualitas similiter, & sic de alijs. Rationem vide apud Suarez loco allegato.

III. De differentia prædicamentorum. Opin. 1. *Vltimæ quæstionis affirmativam, nempe omnia accidentium genera, sive omnia prædicamenta realiter esse distincta, defendit in* sua Metaphysica Paulus Venetus c. 31. *item* Ganday. 3. Phys. 6. q. 5. *Quibus statim obijcimus Actionis & Passionis nimiam convenientiam sive fundamentalem identitatem: figuræ quoq; & quantitatis: Vt enim actio & passio unus sunt numero motus; ita quantitas & figura, sunt unum numero quantum. Non igitur omnia prædicamenta accidentalia realiter sunt distincta.*

Opinio. 2. *Alij* ut Ocham 2. q. 2. Capreol. 1. d. 8. q. 2. ad 18. & 19. Niphus 5. Met. disp. 7. c. 4. Soncin. 5. Metaph. c. 13. *in contrariâ sunt opinione, nempe nullam ex naturâ rei distinctionem hic necessariam esse, sed solâ prædicatione summa ista genera sufficienter distingui posse. Hos copiosè refutat* Ant. Andr. 5. Metaph. q. 7. *cujus quidem argumenta conantur solvere* Javell. 5. Metaph. q. 16. & Fland. 7. Metaph. q. 7. a. 3. *sed frustra. Nam species accidentis cùm sint primæ notiones, per prædicationem, utpote, quæ notio secunda est, distingui nequeunt: imprimis namq; omnis vera prædicatio in re priori fundari debet; quam rem rectius & verius pro accidentium essentiâ accipere debemus: Imo si per modos prædicandi tantùm distinguerentur genera ὄντων, tum quinq; tantùm forent prædicamenta, cùm tot dentur modi prædicandi. Tandem non essent summa illa genera primò divisa; ac negatio, quâ unum*

unum prædicamentum negatur esse alterum, non immediata esset, sicut 1. post. docet Arist. *Posset enim cum differentiâ prædicationis convenientia vera in re simul adesse. Non procul ab his abest Her-* 3. Opinio. *væus, quando* quodlib. 1. q. 9. *categorias non quidem per prædicandi, sed per concipiendi modos diversos distinguit. Quæ sententia eodem modo ut prior rejicitur. Nam prædicamenta jam sine nostro conceptu sunt divisa. Imò si intellectus pro arbitrio posset per suos conceptus multiplicare genera, quis tandem illorum finis esset?* Javell. lib. 5. Metaph. q. 15. Ferr. 3. Phys. q. 5. Aquar. lib. 5. Metaph. q. 15. Suarez disp. 39. s. 2. *Et nos in præcedentibus* 4. Opinio. *secuti* Thomam. 5. Metaph. lect. 7. 11. Eor. lect. 9. de ver. q. 1. a. 1. (Videatur etiam Aquarius 3. Phys. q. 5. Fonsec. 5. Metaph. c. 6. q. 3. s. 2.) *modos essendi & prædicandi conjungimus, ita tamen ut semper & potissimùm ad modos essendi respiciamus: quandoquidem hos solos pro vero fundamento distinctionis Accidentium retinemus. Quod etiam non de quâvis differentiâ intelligendum est; sed de accidentium naturâ, quâ referuntur ad afficiendum subjectum. Quot enim modis illud primò afficiunt, tot etiam sunt eorum diversitates. Atque hæc sententia est Ianduni* 3. Phys. q. 5. *eamque probat hoc modo: prædicamenta debent primò esse diversa, ut docet Philosophus in Metaphysicis; non verò possunt primò diversa esse prædicamenta, nisi formaliter sive per definitiones differant. Ea enim primò differre dicuntur, quæ ita differunt, ut in genere univoco non conveniant: Quæ verò communes vel easdem*


habent

habent definitiones veras, ea oportet convenire in genere univoco. Quocirca nihil est vulgo ita dicta species accidentis, quàm diversus accidentis modus, cujus ab alio tanta habetur diversitas, ut sub eodem genere cum illo non ponatur. Ergo accidentia propriè lo-
» *quendo neq; realiter neq; ratione, sed modaliter diffe-*
» *runt: quæ deinde modalis sive ex naturâ rei desumpta differentia origo est & caussa distinctionis generum sive prædicamentorum Accidentium.*

EXERCITATIO OCTAVA.

DE QUANTITATE.

Typus hujus Exercitationis.



Theorema I.

Quantitas est Ens per se extensum, ratione cujus substantia in partes est dividua.

Accidentia in præcedente Exercitatione tributa sunt in Primaria & Secundaria. Primaria *sunt vel* Absoluta *vel* Respectivũ. Absoluta sunt, quæ nullum ad aliud respectum habent. *Ne hic æquivocatione vocabuli* ABSOLVTI *decipiamur, sciendum est, illud tribꝰ potißimum modis usurpari. Vno positivè, quatenus dividitur contra respectivum sive relativum. Sic dicimus substantiã, quantitatem & qualitatem esse prædicamenta absoluta. Secundo, purè privativè, nempe pro conceptu abstracto ab absoluto & respectivo. Vt si abstrahamus Ens à substantia, quantitate, qualitate & relatione. Ita enim Ens quando sumitur, neq; absolutum est neq; respectivum positivè, sed duntaxat privativè absolutum dicitur: quia actu respectivum non est, sed esse potest. Vltimò purè negative, pro eo cui convenit ita esse ad se, ut nullo modo ad aliud sit. Ita in rebus divinis divina essentia absoluta est: item quiditas substantiæ &c. Absolutũ igitur in distributione hac in primo significatu accipitur. Ideo absoluta accidentia definiuntur, quæ nullum ad aliud respectum habent, ac fluunt vel ex* Materia, *vel ex* Forma. *Ex Materia sunt* Quantitates; *ex Forma* Qualitates. *Accidentia enim affectiones substantiarum & quidem finitarum sunt. Vt itaq; duæ partes sunt substantias constituẽtes, Materia & Forma; ita etiam*

abso-

absoluta accidentia & potissima tantùm duo nume-
rantur, Quantitas & Qualitas. Et quemadmodum i- Cur quantitas praeponatur qualitati.
terum materia subjectum est omnis transformatio-
nis & receptionis formarum, ideoq; primo loco poni
solet: ita quantitas, tanquam materiae proprietas & 1.
affectio, hoc habito respectu, Qualitati praemittitur.
Est enim & corporeorum talis differentia, quatenus
quantitatis caussâ substantiae corporeae ab incorporeis
differunt, & omninò quicquid est φανταστὸν, *id no-*
bis offertur quâdam specie Quantitatis Scheg. in
Annot. praedicam. p. 441. 442. *Adde quod quan-* 2.
titas sit tanquam secundarium quoddam subjectum,
quo mediante Qualitas & omnia accidentia subjecto
sive substantiae inhaerent. Vnde Avicenna quoq; dixit,
quãtitatem immediatius, quàm ullum accidens sub-
stantiae inhaerere: quandoquidem omnia accidentia
videntur acquiri per motum: At substantia nisi quã-
ta esset, non moveretur. Ergo mediante Quantitate
omnia reliqua accidentia acquiruntur. Accedit & 3.
hoc quod substantiae cum Quantitate major sit cõve-
nientia, quàm cum ullo reliquorum praedicamento-
rum. Quemadmodum enim substantia est subjectum,
ita etiam Quantitas: quemadmodum substantia non
recipit magis & minus, ita neq; quantitas: quemad-
modum deniq; substantiae nihil est contrarium: ita
& quantitati nihil. Imo substantia corporea nun- 4.
quam quantitatem exuit: licet multas qualitates a-
mittat: & numerus rem quamlibet comitatur. Pro-
pter convenientiam illam & similitudinem multi
Philosophi & praecipuè Nominales, *Ochamus* in
Log. c. de Quãt. Quodl. 7. q. 25. 4. f, d. 4. Gabr.

4. sent. dist. 10. & 12. *moti sunt, ut Quantitatem & substantiam pro iisdem habuerint. Quodlibet enim corpus, ait Ocham* de Euchar. cap. 17. *etiam à quantitate abstractum, videtur extensum esse & partes habere extra partes. Proximè ad horum opinionem accedit Iohannes Gramm.* lib. 11. contra Proclum, *quando concedit, materiam primam esse ipsam trinam dimensionem, ex quâ res omnes fiunt; quæ opinio etiam Stoicis solet ascribi.*

An quantitas à substantia differat? Negantium opinio.

Verùm absurdissima hæc sententia est: Si enim quantitas est substantia, quæcunque de Quantitate dicuntur, itidem de substantiâ vera erunt: & contra, quæ de substantiâ, etiam de quantitate. Substantiæ igitur prima divisio erit in continuam & discretam, quia prima divisio quantitatis est, & numerus tam in substantia, quàm in quantitate erit, item motus ad substantiam, non erit generatio; sed augmentatio. Omnis quoque substantia erit extensa, quo negantur substantiæ spirituales, anima hominis, angeli, imo ipse Deus. Quæ omnia quia absurdissima sunt, istorum quoque opinio falsissima est: unde etiam eam omnes eruditiores Philosophi rejecerunt. Nam Aristoteles contra Pythagoreos, omnia ex numeris componentes, disputans lib. 1. Phys. tex. 15. lib. 3. de cœlo lib. 5. Metaph. t. 8. & lib. jota eorum, *semper quantitatem distinguit à substantiâ. Quam deinde omnes Græci interpretes secuti sunt.* 1. Phys. ad text. 15. Item Latini Thom. 3. p. q. 77. a. 2. Albertus Magn. 1. Phys. tr. 2. c. 4. Scotus 2. d. 2. q. 9. & 4. dist. 12. q. 2. Fons. 5. Metaph. cap. 13. q. 2. Soncin. q. 19. Herv. quodl. 1. q. 15. Perer. lib. 10. Phys.

Affirmantium.

Physf.c.1.Suarez disp.Metaph.4.s.2.*Quia itaq; Quantitas à substantiâ differt ut Ens ab Ente, sive ut accidens à substantiâ; peculiariter ejus natura est investiganda.* *Notitia autem Quantitatis addisci-tur partim ex consideratione essentiæ, partim ex cõ-sideratione affectionum. Consideratio essentiæ vel est circa definitionem, vel circa divisiones. Definitionem quod attinet, ab alijs aliter Quantitas definitur:* Hospinianus *Quantitatem definit, quòd sit primum accidens, quod cadit in substantiam, antequam nulli in eâ locus esse potest, eamq; ob rem secundùm rerum subjectum vocatur, & quicquid subjecti nullam rationem obtinet, id non est Quantitas.* Melanchthon *dicit: quantitas est magnitudo rei vel numeri.* Thomas Aquinas Opusc. 52. quod est de natura loci, *quantitatem finit mensuram substantiæ: Quem sequi videntur* Doctores Colonienses, *Quantitatem finientes per quam subjectum redditur mensurabile: item Crellius, quando ait; Quantitatem esse mensuram substantiæ, sive illud accidens substantiæ, ob quod in partes dividi, hoc est, vel mensurari vel numerari potest. Thomas igitur & illi qui Thomam sequuntur, essentiam quantitatis in mensurâ esse statuunt. Atqui id & contra Aristotelem, & contra veritatem. Aristoteles enim licet concedat mensurandi rationem à quantitate defluere: nullibi tamen concedit vel scribit, Quantitatem esse mensuram substantiæ. Et ipse Thomas* in lib. 10. Metaphys. lect. 1.1.p. q. 11. a.1. cum Averr. in Epit. Metaphys. tract. 3. in fine *largitur mensuram Ens re-*

Notitia quantitatis in quibus consistat.

Definitiones quantitatis.

1. Hospin.

2. Philippi

3. Thomæ.

Essentialis ratio quantitatis prima est.

1. Non mensura.

lativum esse. Relativum itaq; quia non potest constituere essentiam absoluti; manifestum est, quomodo hic sibi constet Thomas, & qui ejus opinionem sequuntur. Apparet etiam inde mensuræ rationem esse duntaxat paßionem quandam Quantitatis, affectionemq; illius essentialem rationem potius consequentem, quam eam constituentem: cùm relatio sit proprietas absolutorum, ut in quantitate æquale & inæquale: Vbi mensuræ ratio conspicua est: Rejicientes itaq; hanc Thomæ sententiam Scotus lib. 5. Metaphys. q. 21. & Iavell. q. 20. *agnoverunt in quantitate rationem quandam priorem Mensurâ, nempe per quam quantitas ad mensurandum sit idonea, hancq; æquius esse pro essentiâ Quantitatis arripere judicarunt, cùm intimior & magis propria Quantitati esse videatur. Quia itaq;* Arist. lib. δ. Metaphys. *quantitatem per divisibilitatem circumscribat & divisibilitas prior inesse videatur mensurâ, imo ipsa caussa existere, per quam mensuræ ratio Quantitati competat:* divisibilitatem *Quantitatis essentiam esse dixerunt. Hâc etiam in parte sibi Scotus non constat: Nam neq; hanc primam & summam intimamq; Quantitatis naturam jam ante verè docuerat* lib. 5. Metaphys. q. 9. & cum eo Anton. Andr. q. 10. *Datur enim adhuc prior ratio divisibilitatis, nempe extensio, quippe quæ radix & origo est tum divisibilitatis, tum mensuræ. Quare etiam quia hâc nulla adhuc prior excogitari poßit, in ipsâ Quantitatis essentiam rectè collocarunt* Niphus 5. Metaphys. disp.

2. Non divisibilitas.

3. Sed extensio.

disp. 9. Fons. 5. Metaphys. cap. 13. q. 1. Lovan. in prædic. Suarez disp. Metaphys. 40. s. 4. *quos etiam nos in Theoremate secuti sumus, describentes* *Quantitatem*, quod sit ens per se extensum, *addita immediata affectione*: ratione cujus substantia in partes est dividua. *Nam divisibilitatem & mensuram proprietates Quantitatis non incommodè vocaveris. Observandum autem hic est ex* Suarez disp. Metaphys. 40. s. 4. d. 7. *duplicem esse extensionem: Entitativam & situalem. De distinctione situali (inquit Suarez) dubium non est; quin à quantitate radicaliter proveniat: de Entitativa verò censeo id falsum & impossibile. Probat id idem tribus rationibus. 1. Quia impossibile est, rem aliquam, quæ veram ac propriam realitatem habet; distingui ab aliâ simili per aliam Entitatem à se distinctam; tum quod quælibet res simplex, ut per se ipsam Ens est, ita per se ipsam est una transcendentaliter: ideoq; in se indivisa, & divisa à quâlibet aliâ: tum quod res esse distinctas nihil est aliud, quam hanc esse hanc, & illam esse illam: nam in his positivis, præciso quocunq; alio, fundatur sufficienter hæc negatio, hanc rem non esse illam, in quâ distinctio formaliter consistit: tum demum quod alias procedendum esset in infinitum. Si enim una res ab alia esset distincta per aliam Entitatem, quæri posset, per quid distinguatur ab illa tertia Entitate: si per se ipsam, idem diceretur de prioribus Entitatibus, & præcisè propter hunc effectum superflua est illa tertia: Si per aliam, procedatur ulterius,*

Extensio duplex.

& sic in infinitum. 2. *Quia Materia naturâ prius habet esse, quã recipiat Quantitatem:* Ergo prius etiam *natura intelligitur, ut habens totam* Entitatem *suam, in qua recipiat totam quantitatem, & diversas partes suæ substantiæ, in quibus diversas partes quantitatis recipiat: Ergo non habere videtur à quantitate partium distinctionem.* 3. *Quia nemo vel probabiliter negare potest, Deum conservare posse substantiam materialem sine quantitate. Posito itaq; hoc miraculo, in substantia illa esset & conservaretur tota* Entitas *partium materiæ, quæ antea erat: Ergo sicut antea erant* Entitativè *distinctæ, ita etiam manerent entitativè distinctæ. Vide ipsum Suarez loco allegato.* Entitativa *igitur extensio competit Materiatis substantijs ante quantitatis adventum. Vt materia quæ in aqua est, distincta est ab ea, quæ in igne, licet neutra adhuc quantitate sit induta.* Situalis *verò huic addit ordinem ad locum, ita ut unum corpus ab altero secundùm loci positionem distinguatur. Vt quod aqua sit deorsum & ignis sursum, & hoc corpus non poßit simul illius locum occupare, id à quantitate habet. Et notandum hic iterum est, quod secundùm eundem Suarez* dist. 15. *Extensio situalis sit duplex: alia situalis in actu, quæ ipsi localis dicitur, & est posterior quantitate: alia situalis in aptitudine, quæ ipsi Extensio quantitativa denominatur, & est ratio formalis ipsius quantitatis, ejus internam essentiam describens. Quodq; non tantùm de extensione secundùm magnitudinem, sed etiam secundùm*

dùm multitudinem est accipiendum. In duplici enim illâ extensione, ut in sequentibus clarius apparebit, omnis & tota natura Quantitatis sita est, nimirum quod habeat secundum situm partes extra partes, hoc est, ut secundùm magnitudinem & multitudinem sit extensa.

Theorema II.

Quantitas dividitur in continuam & discretam.

A generali Quantitatis definitione ad ejus species nos convertimus, quæ sunt continua & discreta Quantitas. Movetur hic quæstio, an Quantitas sit verum & univocum genus respectu continuæ & discretæ Quantitatis, an verò respectu continuæ tantùm. Duæ omninò contrariæ hâc de re sunt opiniones: una quæ negat: altera quæ affirmat. Oculatißimus Zabarella in comm. lib. 1. post. Analyt. aliquoties negat Quantitatem univocum genus esse respectu numeri & magnitudinis: imò ex Averroë asserit, tantum abesse, ut Quantum respectu continui & discreti sit univocum genus, ut nec analogum seu, ut Aristoteles loquitur, genus sit ab uno vel ad unum; seu plane æquivocum. Fonseca duo potißimum habet argumenta satis firma, quibus negativam hanc confirmare conatur. Vnum ab eo desumitur, quòd numerus non sit ens reale, quia numerus totus ejusq; unitas ab intellectu unicè dependet. Alterum, quòd non sit unum ens per se.

Argumenta hujus: 1. 2.

Nam licet quidem in rebus sit, non tamen habet in rebus unitatem realem, quæ ad constituendam veram speciem accidentis realis sufficiat. Quæ duo argumenta latißimè & subtilißimè exequitur lib. 5. Metaph. c. 13. *& defendit sententiam hanc* Albertus lib. 8. Metaph. tract. 1. c. 8. & Aureol. apud Capreol. in 1. dist. 28. *Vbi idem etiam tenet Gregorius* quæst. 2. a. 2. Ocham. dist. 24. q. 2. Marsil. in 1. q. 27. a. 1.

II. Affirmans pars. *In contrarium videtur esse sententia Aristotelis: qui tum in prædicamentis* cap. de Quantitate, tum lib. δ. Metaph. *& ubicunque de Quantitate*

1. *loquitur, eam semper dividit in continuam, & discretam, sentitque esse divisionem generis in suas species: cùm ex illis prædicamentalem coordinationem con-*
2. *stituat. Proprietates quoque, Quantitati aßignatas, æquè convenire censet discretæ ac continuæ quantitati; ut esse æquale vel inæquale; esse finitum & in-*
3. *finitum, & esse mensuram. Imo hæc ex sententia Philosophi* lib. Jota Metaph. in principio *prius convenire videtur Quantitati discretæ, quam continuæ.*
4. *Vltimo essentialis quoque quantitatis ratio, nempe habere extensionem, quæ altera pars est extra alteram, propriÿßimè huic Quantitatis speciei inesse videtur, quando unitates quantitativæ ita sunt comparatæ, ut una extra alteram necessariò existat. Vnde etiam multi statuerunt, Numerum propriam Quantitatis speciem esse. In hâc enim sententiâ esse videtur* Thomas 1. p. q. 11. art. 1. & 2. & quæst. 30. a. 3. *& defendunt eam communiter Thomistæ omnes, ut manifestum id est ex* Capreolo in 1. dist. 24. q. 1. concl. 5.

concl. 5. Soncin. 10. Metaph. q. 7. Cajetan. & Scoto in Log. & Scotus quoq; in 5. Meta. q. 9. *hanc sequitur sententiam &* Henric. 1. p. summ. art. 29. quæst. 7. ubi etiam Avicenna affert lib. 3. suæ Metaph. c. 4. *atq; cum eo fatetur, difficile esse invenire hic veritatem numero convenientem.* *Cùm autem hâc de re supra* lib. 1. Exercit. 10. *fusius sit disputatum, quæstionem breviter ita cum* Suarez disp. 41. Met. sect. 1. d. 16. *decidimus: quòd numerus quidem in re ipsá spectatus, non sit propria & peculiaris species entis vel accidentis: in re enim vel extra intellectum non est Ens aut accidens; sed collectio Entium sive accidentium. Nihilominus tamen prout à nobis concipitur per modum Unius, dici potest habere aliquam unitatem sufficientem, ut de illo, tãquam de verá specie Entis, loquamur, & ut sub tali denominatione in prædicamento Quantitatis collocetur.* Decisio quæstionis.

Quantitatis hæ species hunc in modum definiuntur: Primùm τὸ συνεχὲς ποσὸν, *continua Quantitas est cujus partes communi termino* ἀδιαιρέτῳ *privativo copulantur, hoc est, cujus partes uniuntur in unâ extremitate communi, ut partes lineæ in puncto.* Continua quantitas quid. *Atq; notandum hic est, quòd partes continuæ sumantur aut quatenus in actu sunt, aut quatenus in potentiâ. In actu non sunt continuæ, sed divisæ: in potentiâ verò sunt continuæ: Eodem modo terminus communis in actu dividit, in potentiâ continuat: atq; ita hoc loco sumitur. Terminus enim communis est extremitas quædam, quæ ut est una, sic sit duobus aliis, tam antecedenti, quàm consequenti,* Partes cõtinuæ dupliciter sumuntur.

commu-

communis ita, ut ſit prioris finis & poſterioris initium. Breviter ita definitur: Terminus communis eſt principium unius & finis alterius, verbi gratiâ: Linea eſt talis quantitas, cujus partes copulantur & uniuntur ad terminum aliquem communem, nempe ad aliquod punctum, quod eſt finis antecedentis & principium ſequentis.

Terminus.

Quantitas diſcreta.

Deinde τὸ διωρισμένον ποσὸν, *Quantitas diſcreta eſt, cujus partes nullo communi termino inter ſe combinari poſſunt; ſed perpetuò diſcernuntur. Sunt enim in ſe invicem ſecretæ & ſejunctæ* Ariſt. lib. Categ. cap. 6. Damaſcenus c. 49. Dial. *Si enim denarium in duas partes, puta ſeptenarium & ternarium, dividas, manifeſtò apparet, iſtas partes nullo communi termino cohærere. Vnitas enim, quæ claudit ſeptenarium, non recipit ternarium; ſed diverſa eſt ternarij prima unitas ab ultimâ ſeptenarij. Vltimo dubitatur à nonnullis an continuum eſſe & diſcretum eſſe ſint ſpecies, an verò differentiæ quantitatis. Videntur differentiæ eſſe, ita ut ex Quantitate & continuo, item Quantitate & diſcreto, tanquam ex genere & duabus differentiis, duæ conſtituantur ſpecies; quarum illa uno nomine dicitur magnitudo, hæc multitudo ſive Numerus.*

Dubium.

Theorema III.

Quantitatis continuæ ſpecies ſunt, linea ſive longitudo, ſuperficies ſive latitudo, & corpus ſive ſolidum.

Species

Species quantitatis continuæ præmittimus, quia illa, ut ex præcedentibus patet, est primò Quantitas. Esse verò enumeratas illas species Quantitates continuas probatur: Cujus partes cohærent communi termino, illud est continuum: Atqui omnium harum specierum partes cohærent communi termino: Ergo. Minor probatur inductione: Lineæ enim partes cohærent communi termino, puncto; quod re quidem unum, ratione verò hujus initium, illius finis est, atq; ita geminum. Superficiei (quæ est latitudo longitudini juncta sine craßitie) partes cohærent communi termino, linea: corporis sive solidi (quod est lata longitudo cum profunditate sive craßitie juncta) partes communi termino superficie copulantur: Ergo linea, superficies & corpus sunt Quantitates continuæ. Tres autem magnitudinis species facimus, quia tres tantùm dimensiones dantur in quolibet corpore, neq; plures dari possunt, quòd Aristoteles ad initium libror. de cœlo multis rationibus probabilibus confirmat: Mathematici verò id unicâ duntaxat firmißimâ demonstratione ostendunt. Docent enim omnia esse commensuranda lineâ perpendiculari, ita ut tam longa dicatur esse res quædam, quàm longa dicitur esse linea perpendicularis, ducta ab uno extremo figuræ ad aliud extremum: Atque pari ratione latitudinem cujusvis quantitatis tantam esse asseverant, quanta perpendicularis est, educta ab uno latere ad aliud: Et tandem demonstrant, quòd quemadmodum se habeat perpendicularis, producta ab unâ parte ad aliam: sic quoq; se habeat craßities sive altitudo cujuscunq; corporis. Ratio verò cur omnia Mathematici linea perpendi-

An sint species.

Cur tres magnitudinis species.

Mathematici cur per perpendicularem demonstrant.

Punctum quid.

pendiculari metiantur, in eo conſiſtit: quòd omnis menſura debeat eſſe ſtata & determinata, non infinita. Inter cunctas autem lineas rectas, penes quas omnis menſuratio ſumitur, ſola linea perpendicularis certam & determinatam habet longitudinem, cæteræ verò omnes indeterminatam. Quam rationem reddit Ptolomæus in libro, quem de Analemmate inſcripſit. Poſito itaq; hoc, omnia ſecundùm lineam perpendicularē menſuranda eſſe, non difficile eſt oſtendere, quare duntaxat tres ſint dimenſiones in unaquaq; re corporea, quarū una ſit ſecundū longitudinē, altera ſecundùm latitudinē, & ultima ſecūdùm profunditatē ſive altitudinē, adeoq; ſint tres quantitatis continuæ ſpecies. Tot enim ſunt dimenſiones, quot poſſunt duci in quolibet corpore ex uno puncto lineæ perpendiculares ita, ut quælibet illarū ad reliquas duas ſit ad angulos rectos: Atqui tres tantùm duci poſſunt ejusmodi lineæ: Ergo tres tantùm ſunt dimenſiones, & conſequenter tres ſpecies Quantitatis continuæ. Demonſtrationem hujus Mathematicam & ocularem vide apud Chriſtophorum Clavium in cap. 1. Sphæræ Joh. de ſacr. Boſco p. 14. *Punctum quod attinet, quia unitati reſpondet in numero, nec quantitas eſt, nec quantitatis pars, ſed terminus. Inde etiam ab* Euclide 1. d. 1. *definitur tantùm negative, nempe σημεῖον οὗ μερὸς οὐδέν; cujus pars nulla eſt: non aliter ac ſi negatio totam compleret puncti eſſentiam, ipſumq; nullam poſitionem haberet. Nullibi enim exiſtit actu. Nam quòd in quanti continuatione punctum actu non datur manifeſtum eſt: quia alias indiviſibilia multa conſtituerent diviſibile, ac*

multa

multæ privationes habitum: punctum etiam, quod lineam terminat, non distinguitur re à lineâ. Finis enim longioris illius extensionis puncto adscribitur, qui nihil est aliud, quàm ulterioris productionis privatio seu negatio. Reijcimus igitur opinionem Hospiniani, qui quantitatem in indivisibilem & divisibilem dispescit. Indivisibilem deinde in punctum & unitatem. Species enim non sunt: sunt potius Entia incompleta & principia speciei, quàm species. Deinde de intrinseca & essentiali ratione Quantitatis est, habere partes extra partes, quod certe illi indivisibili quantiati non competit. Eodem modo alij de linea & superficie statuere videntur. Nam Guilielmus Ocham in commentarijs suis Log. & quidem in explicatione Categ. Quantit. item in tract. de sacr. Euchar. c. 1. & 2. Gregorius quoq; Ariminens. in 2. sent. dist. 2. q. 2. a. 1. in explicat. 3. concl. putant lineam & superficiem tantùm connotatione & respectu à corpore distingui. Item Durandus 2. dist. 2. q. 4. statuit lineam & superficiem esse meras negationes. Secundùm horum igitur opinionem extra animum non est alia res, quæ sit magnitudo, nisi corporeitas, quæ in se habet rationem longitudinis, latitudinis & profunditatis. Vt ita nihil aliud sit superficies, quàm ipsummet corpus, quatenus secundùm profunditatem non est ultra protensum; nec linea sit aliud, quàm corpus non ultra extensum secundùm latitudinem: ipsum deniq; punctum sit ipsa linea & longitudo corporis, quatenus non ulterius modo quodam extenditur. De puncto res est expedita: Lineam verò & superficiem, prout sunt

Longitudo & latitudo.

sunt dimensiones quædam, hoc est, longitudinem & latitudinem, esse rationes quasdam extra animum reales & positivas (non verò realiter à corporeitate divisas, cùm trina ista dimensio longitudo, latitudo, & profunditas, eam constituat) negari non potest. Non autem propterea cum Gregorio, loco allegato, statuimus dimensiones illas, longitudinem & latitudinē simpliciter idem esse cum corpore: Hoc enim minimè fieri & esse potest. Implicat namq; contradictionem. Nam corporeitas ponit omnes dimensiones, linea verò & superficies quasdam negant. Ergo si linea superficies & corpus simpliciter idem essent, duo contradictoria simul darentur vera, quòd absurdum est. Esse autem hic contradictionem manifestum est. Ubi enim est universalis affirmativa & particularis negativa ejusdem de eodem, ibi est contradictio: Atqui hic est talis affirmatio & negatio, nempe omnes habere dimensiones: quasdam dimensiones non habere: Ergo. Deinde quæ distinctas habent affectiones, & illa rectè distinguuntur: Atqui linea & superficies distinctas habent affectiones à corporeitate: Ergo & ab illâ rectè distinguuntur. Minor constat hoc modo: Nam superficies hujus coincidit cum superficie proximi corporis, propterea quòd profunditatem non habeat: Verùm corpus unum numquam erit in eodem spacio cum altero.

Longitudo & latitudo non sunt idem cum corpore.

Objectio.

Infers: Quæ specie differunt à se invicem, separari possunt: Atqui corpus nunquam separatur à lineâ & superficie propter modo dictam rationem: quia corpus ex hisce dimensionibus ex parte constituitur: unde neq; ullum corpus datur sine lineâ & superficie, neq; ulla superficies & linea datur sine

sua corpore; sed semper conjuncta in uno subjecto maneant. Respondemus negando Majorem. *Nam po-* Responsio.
tentiæ naturales non possunt separari à suis subjectis. Risibile enim nusquam invenitur extra hominem, & tamen non sequitur, quòd potentiæ naturales non specie differant à suis subjectis.

Quod attinet opinionem Barlæj & Pauli Soncinatis, quorum hic in quæst. Metaph. supra lib. 5. Metaph. quæst. 20. *ille in explicatione 15. text.* lib. 1. Phys. *mordicus defendunt, non tantum in externis, sed & in medio corpore actu lineas & superficies, imò ipsa puncta, reperiri; refutata illa est dudum ab Arist.* 6. & 8. Physicorum, *quando ostendit, indivisibile neq; componere, neq; continuare posse aliquid divisibile. Et superficies, lineas & puncta in medio corpore potentiâ; in extremis duntaxat actu posuit. Si enim, ut loquitur* Gabr. 2. d. 1. q. 3. not. 3. *actu essent in medio, in motu deberent infinitæ portiones pertransiri, quòd cùm fieri non posset, motus omninò tolleretur. Et quòd superficiem terminent extremitates corporum vel sensus docent. Punctum verò, uti diximus, nullam omninò habet positionem, neq; ulla in corpore Physico datur linea, quæ duntaxat terminet & non simul continuet, hoc est, quæ latitudinis respectu indivisibilis sit, in corpore verò Mathematico, hoc est, abstracto, nihil prohibet ipsum concipi.*

Theorema IV.

Tempus, quia per accidens est quantum, species quantitatis non est.

De hâc quæstione discrepantes habemus Aristotelis locos. Nam lib. Categor. cap. de Quantitate, *inter species Quantitatis numerat Tempus:* lib. Δ contra Metaph. c. 13. *id quantum per accidens esse dicit. Posterior sententia in Theoremate approbatur. Nam illud tantùm per se Quantum est, quod per se extensum est: Atqui tempus per se extensum non est:* Ergo &c. *Minor probatur: non enim per se partes extra partes habet, sive extensum est; sed per accidens, nempe beneficio motus, cum quo reipsa idem est tempus: Quod probatur: nam res numerata reipsâ non differt; sed tantùm ratione à non numerata: sed tempus nihil aliud est, quàm motus numeratus: Ergo reipsa non differt à motu non numerato. Major constat per definitionem Philosophi* lib. 4. Phys. t. 101. *Vbi tempus finit, quòd sit numerus motus secundùm prius & posterius. In quâ definitione omnes interpretes numerum numeratum, non numerantem intelligunt.* Lib. λ. quoq; Metaph. *dicit Aristoteles, tempus aut esse ipsum motum, aut affectionem illius, hoc est, tempus aut reverâ esse ipsum motum, aut esse motum numeratum, & proinde quasi affectionem quandam. Porrò cui competit definito, eidem & definitum inest: Atqui definitio motus convenit Tempori: Ergo & tempus est motus. Minor probatur: Nam tempus aliud nihil est, quàm actus Entis in potentiâ: quæ est definitio motus. Probatur & hoc. Nam tempus nihil est permanens aut constans, sed semper in fieri est & perpetuo fluxu. Vnde etiam à* Scal. Exerc. 352. *Nunc fluens definitur. Tandem: cujus differentia eadem*

est cum re quâdam, id cum eâdem est idem: Atqui differentia temporis quoq; est differentia motus: Ergo &c. Minor constat: Tempus enim per prius & posterius definitur, quomodo etiam definiri potest motus. Videatur Toletus in Phys. Benedictus Pererius lib. 12. c. 1. Franciscus Morus in Comp: Physices Tempus igitur non est quantum per se, sed per accidens., Vnde duplici ratione negare possumus Tempus quantum esse 1. Ratio formalis generis per se inesse debet omnibus speciebus: Verùm esse extensum (quæ in præcedentibus demonstrata est intrinseca & formalis ratio Quanti) per se tempori non competit: Ergo non est per se Quantum. 2. In quo prædicamento est motus, in illo quoq; est Tempus: quia re est idem cum motu. At motus in nullo est prædicamento per se: Ergo neq; tempus per se est in aliquo prædicamento.

At infers: motum esse quantum, & in prædicamento Quantitatis: Nam quod per se est extensum, illud est quantum: Atqui motus per se est extensus: Ergo. Quod motus sit extensum quid, illud probatum est in præcedentibus, quia facit tempus extensum & quantū: Ergo aut est per se extensus, aut per aliud: Aliud non datur: Ergo per se est extensus & quantus. Deinde quod continuum est, id quantum est, quia continuum est differentia Quanti: Atqui motus continuus est: Ergo est quantus, & certam quanti speciem constituit. Minor est Aristotelis, qui motū de genere continuorum esse testatur lib. 3 Physicorum in principio. Opinionem hanc defen- Alia opinio.

Rejicitur opinio Fonsec.

dunt Fonseca lib. 5. Metaph. cap. 13. q. 8. *Verùm sententia hæc rejicitur alias à Philosopho, qui de motu agit in postprædicamentis, adeoq; eum in nullo prædicamento per se esse statuit, sed duntaxat per aliud & reductivè. Et in Physicis sæpe affirmat motum pertinere vel ad substantiam, vel ad Quantitatem, vel ad Qualitatem. Non etiam desunt rationes, quibus idem confirmari potest. Via enim & principium alicujus rei reducitur ad illud prædicamentum, in quo est ipsa res perfecta, & cujus est principium. Sed motus, verbi gratia, generatio, est via ad substantiam: augmentatio ad quantitatem: alteratio ad qualitatem: motus localis ad ubi: Motus igitur in eodem erit prædicamento, in quo forma illa, ad quam est via. Deindè perfectum & imperfectum non differunt specie: Atqui motus ad formam & forma ipsa differunt ut imperfectum & perfectum: Ergo non specie, & per consequens in eodem sunt prædicamento. Hanc sententiam defendit* Thomas in lib. 5. Metaph.

Duplex extensio & continuitas.

Circa objectiones tenendum est, duplicem intelligi posse extensionem & continuationem: Una est ex parte subjecti, altera ex parte termini. Prior extensio & continuitas est propria corporalium motuum, atq; de illa nullum est dubium, nullaq; controversia, quin secundùm illam motus dicatur quantus per accidens, & ideo ad eam non requirat peculiarem Quantitatis speciem: sed eam habeat sufficienter ex subjecti corporei, in quo existit, quantitate. Quo respectu dicit Philosophus lib. 6. Physſ. text. 33. *Motum dividi secundum divisionem mobilis, totumq;*

tumq; motum esse totius mobilis & partem partis. Item 2. de generat. text. 2. ait, motum esse continuum propter id, quòd movetur. Extensio & continuatio ex parte termini seu latitudinis Entis est communis omni motui successivo sive corporali sive spirituali. De hoc propriè est controversia & difficultas. Verùm hanc in nullâ motus specie novam constituere speciem Quantitatis, multis & quidem eruditè demonstrat Suarez disp. Metaph. 4. sect. 8. dist. 3. 4. 5. 6. 7. & seqq. ad quem lectorem dimittimus. Quod autem Aristoteles in Logicis cap. de quant. ad hanc classem Tempus & locum retulerit, rectè explicat Averroës, eum loqui ex sententiis famosis. Tempus enim erat veteribus διάςημα τῆς τȣ̃ κόσμȣ κινήσεως: Locus verò spacium trina dimensione constans.

Theorema V.

Motus non pertinet ad Logicam, sed ad Physicam.

Cùm Metaphysici sit judicare de subjectis & principiis scientiarum, in recens natâ verò Philosophiâ Ramistarum moveatur quæstio: an motus sit considerationis Logicæ, an Physicæ; operæprecium nos facturos arbitramur, si hâc oblatâ occasione, quid de illa quæstione statuendum sit, demonstremus. Quæstio. Ramus cum suis asseclis & discipulis motum ad Logicam referunt, hisce ducti rationibus: Primùm actio & Rami sententia. passio ad Logicam pertinent: Motus nihil aliud est, I. quàm actio & passio: Ergo motus pertinet ad Logicam. Plana videtur esse major: de actione enim &

 passio-

passione agitur in Logicis: Minor constat ex 3.
2. Physf. cap. 3. *Deinde quod animo conceptum, est commune Entibus & non Entibus, de eo in Logicis præcipiendum est. Motus est Entibus & non-Entibus communis: Ergo de motu in Logicis præcipiendum est. Major constat. Minor quoq; per se manifesta est. Nulla enim res est, fingive potest, cui motus non conveniat.*
3. *Tertiò: Vbicunq; agitur de effectu, ibi de motu agatur necesse est: Atqui de effectu agitur in Logicis: Ergo etiam de motu. Major constat: quia idem sunt effectus & motus, id quod ex ipso quoq; Aristotele manifestum est, qui c. 3. lib. 3.* Physicor. ἐνέργειαν, ἐνεργεῖν *&* ἐνεργητικὸν *idem esse dicit, quod* κίνησις, κινεῖν, *&* κινητικόν.
4. *Quartò ipse Aristoteles* lib. 8. Physf. c. 3. *Contra illos, qui omnia quiescere putabant disputans, affirmat, omnia moveri & motum non tantùm rem Physicæ propriam esse; sed communem omnium artium & institutionum.*
5. *Vltimò Aristoteles motus definitionem per motus artificiales explicat: quo videtur ostendere, se de motu, generaliter sumpto, agere:* Videatur Ramus lib. 3. sch. Physf. cap. 2. & 3. Tempell. pro Mildapetto p. 152. 156.

Peripateticorum sententia.

Sententiam hanc ut erroneam & absurdam, approbare non possumus. Notetur igitur pro parte negativâ, nempe motum non pertinere ad Logicam: *nos hic vocabulum motus in propriâ significatione, non figuratâ usurpare, quâ nempe* lib. 3. Physf. *ab Aristotele sumitur, & propria affectio corporis naturalis per suam definitionem dicitur. Hac ratio-*

ratione Motus ex agro Physico nullo modo est excludendus. Si enim omnis scientia cum suo subjecto propria quoq; πάθη considerat; Physica etiam doctrina cum corpore Physico, ut proprio suo subjecto, illius affectiones tractabit: Sed antecedens est verum: Ergo. Quia itaq; motus est propria affectio corporis naturalis: Ergo de motu agendum est in Physicis. 1.
Motus enim inter affectiones corporis principem locum obtinet: motus enim ingreditur definitionem naturæ: definitio autem non cognoscitur rectè, donec omnes ejus partes cognoscantur. Deindè per motum, 2.
ut à posteriore, cognoscimus rerum substantias: quia res naturales acquirunt suam perfectionem per motum. Vnde colligitur, motum esse quippiam propriū naturæ, omni, soli, & semper conveniens: Cùm solummodo à naturâ excitetur: Ergo ejus doctrina maximè ad Physicam pertinet. Imò si motus 3. Phys. 3.
à Philosopho definitus ad Logicam pertinet, oportet etiam ut omnes ejus explicet species: Id enim rectè dicitur officium omnium scientiarum: Cogitur itaq; ejusmodi ἄλογος primùm de motu agere in universum, deinde in specie de motu locali, de motu animalium, de ingressu, de reptione, de volatu, natatu &c. Item de alteratione primùm generaliter, deinde in specie de concoctione, elixatione, assatione, & similibus. Porrò cujus of- 4.
ficium requirit, ut agat de propriâ rei affectione, tenetur quoq; de re & subjecto ipso agere: Ergo si agere debet Logicus de motu, aget etiam de subjecto mobili seu corpore naturali: Ergo

corpus naturale quoq; se habet subjectivè in Logicis: ἄτοπον. Quæcunq; enim scientiæ subjecto conveniunt, inter se conveniunt: Ergo si subjecto conveniunt Logica & Physica, inter se conveniunt: vel si corpus naturale tantùm statuatur pars subjecti Logici, idem sequitur absurdum, nempe Physicam
5. *esse partem Logices: Tandem quicunq; agit de subjecto, agit etiam de speciebus subjecti: Ergo si logicus agit de subjecto Physico, quod absurdum per posita argumenta, nolentes, volentes concedere coguntur Ramistæ; tenetur etiam de ejusdem speciebus agere. Ergo doctrina de cœlo pertinet quoq; ad Logicam. Corporibus enim cælestibus primò & per se inest περιφορά: imò aget de innumeris alijs speciebus corporum. Hæc igitur, quia absurdißima sunt, qui non videt motum, propriè ita dictum, nullo modo ad Logicam considerationem pertinere.*

Responsio ad argumenta Rami. Ad 1.

Quod itaq; Rami & Tempelli argumenta attinet, primum dissolutu haud difficile est. Vt enim taceam minorem simpliciter veram non esse; nihil istorum, quæ Ramus, ejusq; sectatores intendunt, concludit; nempe motum duntaxat ad Logicam & non ad Physicam referendum esse: verùm hoc saltem infert: quo modo actio & Paßio ad Logicam pertinent, eodem etiam motum, quatenus ad actionem & passionem reducatur, pertinere & ad Logicam reduci posse: Atqui Actio & Paßio, quemadmodum & reliquæ Categoriæ omnes, non propriè pertinent ad Logicam, nempe ita, ut illorum essentia accuratè in eâ inquiratur: sed tantùm, ut in illis monstratur

habi-

babilitas ad recipienda νοήματα δεύτερα: Ergo eo modo motus quoq; ipse in Logicis est reponẽdus, quatenus nempe tanquam species Logicè loquendo sub actione & paßione sit & contineatur, & hæ de illo prædicentur. Vnde manifestum est, non exquisitam, perfectam & omnibus numeris absolutam de motu doctrinam, ad Logicum pertinere: neq; eodem modo, ut contra Liblerum odiosè contendit Tempellus: pag. 135. 154. de motu agitur in Logicis & in Physicis. Atq; ut hujus rei veritas eò facilius innotescat, attendatur, quomodo Philosophus de motu disputet in Logicis. Non enim inibi eum considerat ut proprium πάθος corporis naturalis, non motus definitionem ibi nervosè inquirit, neq; eandem inventam probat, neq; asserit unum eundemq; actum mobilis & moventis ratione differentem, ut in Physicis: sed tantùm in postprædicamentis Motus ambiguitatem distinguit hunc ob finem, ut sciamus, in quibus Categoriis pro diversâ motus significatione, is sit reponendus, atq; ita levi duntaxat brachio ibi de motu agit. Longè itaq; alia est motus consideratio Logica ab illâ, quæ in Physicis instituitur.

Vna res in diversis disciplinis considerari potest.

Quòd autem Tempellus negat, unam eandemque rem posse in diversis disciplinis diversimode considerari, id sanè permirum est. Equidem ut subjecta genera inter se distinguenda sunt: ita quoq; unius subjecti varia propria sunt discriminanda & formalia & materialia, & positiva & privativa, nec non accidentium genera, quæ uni attribuuntur subjecto, distinguendi quoq; sunt modi & formæ considerationis. Quocirca accuratè observandum est, an per-

fectè & ἀϰριβῶς natura subjecti & proprietatum secundùm omnia requisita & definitionis & divisionis & demonstrationis explicentur : an verò aliquid tantum παραδείγματος ἕνεκα & ad alia illustranda & faciliora reddenda adducatur, vel an alio modo, respectu alterius cujusdam proprij vel accidentis consideretur, non verò per se simpliciter, per definitionem, divisionem &c. explicetur. Non enim rarò fieri experimur, ut, quod in unâ arte per se, in alterâ per accidens reponatur. Hæc si vera sunt, ut sunt, facilè innotescit, quomodo una & eadem res in diversis scientiis juxta diversum considerandi modum reponatur, ita ut necesse non sit utrobiq; easdem definitiones, divisiones & explicationes adhiberi. Fieri enim potest, (ut ex modo dictis manifestum est) ut in unâ populariter res pertractetur, in alterâ verò exquisitè & perfectè per definitionem essentialem, divisionem & demonstrationem. Cujus rei manifestum nobis exemplum esse poterit Motus, qui propriè in Physicis per definitiones, divisiones, demonstrationes exquisitè & ἀϰριβῶς traditur; in Logicis verò populariter duntaxat Aristoteles sex motus genera recenset (quæ in Physicis ἀϰριβῶς agens non omnia admittit) eaq; diversa esse popularibus quibusdam rationibus confirmat non eo fine, ut motus naturam declaret: sed ut monstret, sicuti motus non est una eademq; ratio, ita eundem non esse semper in uno eodemq; prædicamento. Noscat itaq; Tempellus, motum esse rem naturalem, cujus consideratio non possit referri ad Logicam, cum hæc solummodo δεύτερα νοήματα explicet & δύναμις tantùm sit tra-

Discrimen Logicæ & aliarum scient:

ctandi

ctandi τὰ πράγματα διὰ λόγους, non autem ἐπιστήμην ut aliæ sunt scientiæ, quibus πρῶτα νοήματα tractantur.

Ad alterum Tempelli & Ramistarum argumentum dicimus, utramq; præmissam falsissimam esse. Quod enim rem animo conceptam Entis & non Entis communem ad Logicam refert Tempellus; id totum erroneum est: quandoquidem nullum dari potest Ens sive νόημα reale, quod sit Entis & non Entis commune: ut taceamus, quòd locutio hæc implicat contradictionem. Si verò Tempellus per motum, animo conceptum, intelligit notionem secundam, quæ possit omnibus Entibus & non Entibus (quatenus ut Entia considerantur) adaptari, sciat, non solùm Logicam, verum etiam Grammaticam, Rhetoricam, & Poëticam ejusmodi νοήματα δεύτερα tractare. Vt autem eo melius Sophistica Tempelli intelligatur, attendendum est ad Minorem, ubi medium terminum tantùm secundùm partem repetit hunc in modum: motus est communis Entis & non Entis. Vt autem hoc absurdum est, ita etiam illud ipsum, quod assumpsit, omni ratione caret. Nescio enim an Tempellus deliret, an verò ego plane cœcutiam. Ingenuè fateri cogor, me non videre, quomodo id, quod non est, moveri queat: Si enim id, quod non est, movetur, aliquid erit in nullo, quod absurdum. Nullius verò ponderis est, quod hic multis de figmentis Poëticis fabuletur: siquidem juxta Horatium:

Ad 2.

1. Object.

—— —— Pictoribus atq; Poëtis
Quidlibet audendi sẽper fuit æqua potestas.

Quare

Quare ut fingunt res, sic quoq; illis fingunt motum: non autem propterea moventur, nec illis verus motus competit. Motus enim, prout in Physicis consideratur, est actus Entis in potentiâ, quatenus talis. Quare cum Poëticum illud Ens nihil omninò sit in naturâ rerum, quomodo illi talis actus competet? Excipit

2. Object. *Tempellus motum hunc fictitium esse. Eandem ob caussam quia talis est, non est motus: quia quod fictum est, verum non est, eiq; veri definitio non competit. Porrò ut propositio hæc vera non est:* motum competere Non-Enti: *Sic illa quoq; absurda est:* Motum competere omni Enti. *Cùm enim non omne Ens naturale sit corpus, utiq; etiam non omne Ens movebitur motu Physico: cùm hoc sit proprium πάθος solius corporis naturalis. Si præterea aliis quibusdam rebus tribuitur, id caussa fit similitudinis, non quòd revera iis motus Physicus competat. Iccirco licet Tempellus, Cragius, & alii istius sectæ homines omnem actionem, à quâcunq; caußâ promanantem, motum vocent: tamen non est quæstio quod vocent: sed quo jure, quâ ratione, quid caussæ, cur adeo abusivè contra receptam doctrinam Physicam loquantur.*

Deo non competit motus. *DEO etiam nullo modo ullus motus Physicus attribuitur. Non enim generatur, non corrumpitur, non alteratur, non augmentatur, non diminuitur, non denique de loco in locum movetur. Quamvis de hoc posteriore dubium facessere alicui poßit Ramus* lib. 3. schol. Phys. c. 3. *qui ait:* locum esse communem omni Enti & non-Enti, ideoque & loci mutationem. *Certè si hoc verum est, DEO non solùm locus, sed etiam loci tribuetur mutatio:*

ἀσεβές.

ἀσεβές. *Neque pie etiam illæ actiones, quæ* DEO *tribui solent, motus vocari possunt: cùm* DEO *non competat ulla vel* μεταβολὴ *vel* κίνησις: *Ego enim* DEVS *sum, inquit Iehova, & non mutor.*

Ad locum Aristotelis 8. Phys. cont. 22. *facilis est responsio. Aristoteles ibi non motum propriè sed vulgariter sumit, ita ut comprehendat omnes motus tam propriè, quàm minus propriè dictos: quod inde facilè quis colligere potest, quando ait Aristoteles* ὡς εἰπεῖν. *Non enim vult, quòd omnes scientiæ utantur vero motu Physico; seu quod omnibus rebus insit motus Physicus; sed quod omnes scientiæ utantur quodam motu, qui licet non sit verus, motui tamen vero per similitudinem respondeat. Ac quòd hæc sit vera & genuina istius loci sententia, satis locuples testis est ipse Aristoteles in fine ejusdem* cap. 3. *quando concludit: quædam nunquam moveri, quædam semper moveri, quædam interdum quiescere, interdum verò moveri.* Ad 4. Explicatio loci Aristotelici.

Quod attinet locum adductum ex 3. Phys. c. 3. *negamus Aristotelem idem dicere actionem, passionem & motum. Motus enim unitatem urget, concedendo interim actionis & passionis in ratione diversitatem. Quod etiam dicitur, motum idem esse quod effectum, falsissimum est. Potest enim & caussa esse motus certi alicujus effecti: potest etiam esse medium quo effectus producitur. Architectus quidem motu domum extruit: motus tamen effectus non est; sed medium, per quod verum effectum, nempe domus, ponitur.* Ad 5.

Quando tandem Philosophus motus doctrinam per exempla artificialia explicat, non eo fine facit, ut Ad 6.

ostendat,

ostendat, se non in strictâ hâc significatione Physicâ vocabulum motus sumere: Verùm potius quia facilius citiusq; artificialia, quàm naturalia comprehendimus. Quod autem definitio motus non competat artificialibus, hæc datur ratio: Nam id, quod movetur Physicè, in potentiâ est ad formam: Vt autem res non est in potentiâ ad formam artificialem, ita neq; est in potentiâ ad motum artificialem. Bened. Pererius lib. 7. de Nat. & lib. 13. c. 6. *Manifestum itaq; est, falsissimam Ramistarum sententiam esse, quâ ex agro Physico in Logicam relegant motum.*

Definitio motus non competit artificialibus.

Theorema VI.

Neq; Locus peculiarem Quantitatis speciem constituit.

Locus quoq; in hoc prædicamentum irrepsit falso titulo. Quia enim vulgo ex Philosophia Platonis locus dicebatur esse διάστημα *sive intervallum trinâ dimensione constans sine corpore, ut huic quoq; opinioni satisfaceret Philosophus, reliquit locum à corpore contradistinctum. Sententiam autem Platonis & Platonicorum, quâ locus dicitur spacium sive intervallum vel cavum quoddam, ut loquitur Scaliger, falsam esse liquet. Cavum enim illud sive spacium aut est substantia, aut accidens. Substantia non est, quia aut esset corporea, aut incorporea: Non incorporea, cùm in ipsâ nullum possit locari corpus, neq; ulla fieri commensuratio ob defectum Quantitatis. Non corporea: tum enim corpus esset naturale, mobile, & loco indigeret, imo locus non esset, sed*

Locus non est cavum spacium.

sed locatum. Absurdum verò est locum esse corpus naturale: quia tum corpus esset in corpore. Ergo nullo modo substantia est illud spacium. Accidens quoq; non est: aut enim per se subsisteret, aut inhæreret alij: Non per se: nullum enim accidens separabile est, & per se subsistit, ut docet Philosophus lib. 1. Phys. c. 3. & alibi. Non inhæret alij. Id enim aut esset superficies continentis corporis, aut contenti. Nam si locus externum quoddam accidens est extrinsecus corpori adhærebit, & cùm corpus claudatur superficie, necesse est, ut sit alterutra superficies, aut sit aliquod intermedium inter superficiem continentis & contenti. Superficies contenti corporis non est; quia tum esset pars locati: Si autem est superficies continentis corporis, habemus quod volumus. Et certè minimè absurdum est, aliquid esse in superficie, & superficiem impleri, non quâ est superficies, sed quâ est Concava superficies alicujus corporis, quòd aptum est per superficiem continere aliud. Neq; etiam sequitur ob id, aliquod corpus in duobus esse locis totalibus, licet in partialibus. Intermedium non est: alias enim non inhæreret: quod contra naturam accidentis, & cùm ad vitandum vacuum, (ut accuratissimè observavit Fracastorius lib. de Sympat. & Antip. rerũ c. 2.) quo nihil magis inimicũ est omni naturæ, nihil magis requiratur, quàm mutuus nexus & contactus corporum extremorũ, sequitur quòd unũ corpus alteri fiat locus per superficiẽ: Cùm enim tam arctissimè cohæreant corpora, ut nihil intercedat, rectè dicitur, quòd superficies cõtinentis sit locus contenti corporis: in illâ enim locatur atq; cõtinetur.

Est

Est igitur locus superficies seu terminus corporis continentis primo immobilis. Aristot. lib. 4. Phys. cont. 41. *Constat itaq; nunc locum* διάστημα *sive intervallum, trinâ dimensione constans, non esse: Sed sub superficie contineri, & per eam definiri. Non autem continetur sub superficie, tanquam species sub genere: superficiem enim non specificat essentialiter inhærentia in corpore continente. Stat itaq; Thema nostrum, quòd Locus peculiarem Quantitatis speciem non constituat.*

Quæstio notanda. *Notetur occasione hâc obiter,* an corpus quantũ necessariò indigeat loco, ideoq; sine loco subsistere vel esse nequeat? *Veritas hujus quæstionis expositâ loci definitione est manifesta. Cœlum enim ultimum, quia nullâ superficie superiori continetur, locum per se non habet.* Arist. lib. 4. Phys. text. 45. *Quia itaq; aliquod corpus naturale sine loco dari potest, colligitur, quòd corpus, ut corpus & ut quantum, loco non indigeat; sed eatenus duntaxat, quatenus ab alterius corporis superficie continetur. Quando igitur corpus non continetur mediante superficie ab alio corpore, tum non dicendum est esse in loco, quia definitio loci ibi tollitur: nulla enim superficie clauditur.*

Objectio. *Neq; est quòd hic ogganniunt, cœlum & alia corpora si transferantur supra supremum cœlum, esse in loco Metaphysico.*

Solutio. *Nam locus ille aut nihil est, aut si aliquid esse statuendum est, UBI erit, Locus verò nequaquam, cùm non sit superficies, neq; circumscribat, neq; commensuret locatum. Et sane si locus est superficies continentis corporis, fatendum est, tandem ultimum corpus claudens non esse in loco*

in loco, aut dari progressum in infinitum. Quod posterius cùm absurdum sit, prius erit verum. Manifestum itaq; iterum est, locum non esse simpliciter necessarium accidens corporis; sed cum quâdam conditione solùm: quæ si auferatur, locus etiam salvâ corporis manente essentiâ à corpore abesse poterit. Unde si corpus aliquod existat in eo, vel ibi, ubi superficies continens non est, tùm certè etiam concludendum est, corpus ibi & eatenus & eo respectu extra locum esse: Unde etiam si corpus aliquod simul sit in superficie & simul in eo, ubi non datur superficies, sequi videtur etiam respectu illorum duorum, corpus simul circumscriptivè in loco esse, quatenus verò est in eo, quod non habet superficiem, non esse in loco: neq; ulla oritur contradictio, cum respectus non sit ad idem.

Theorema VII.

Quantitas discreta solus est Numerus: oratio enim Quantitas non est.

Hactenus de Quantitate continuâ, sequitur discreta. Aristoteles discretæ Quantitatis duas facit species: orationem & numerum. Verùm id tantùm in Logicis, ubi populariter debebat prædicamenta proponere Zabarell. lib. 2. de nat. Log. In accuratiore enim ὄντων consideratione, nempe lib. δ. Metaph. c. 13. orationem expungit. Hinc rectè Albertus Magnus in prædicamento Quantitatis Aristotelis mentem explicans docet, orationem quan- *Oratio non est quantitas discreta.*

titatem per se non esse, sed per accidens, cùm ipse Aristoteles confiteatur ob brevitatem & productionem syllabarum, sonum articulatum utcunq; accedere numero. Alias revera in prædicamento Qualitatis sub genere soni continetur. Cùm itaq; fieri non possit, ut genus sit in uno prædicamento, species in alio suâ formalitate, manifestum est, orationem non esse speciem Quantitatis. Rejiciendum itaq; est judicium Scoti in explicat. præd. qui orationem censendam esse speciem Quantitatis statuit, propter nomen Aristotelis; cùm tamen Aristoteles in Metaphysicis nunquam pro specie Quantitatis illam accepit. Relinquitur itaq; solus numerus sub Quantitate discretâ, de quo non admodum laborandum est hoc loco: quid enim de eo sit statuendum, id partim libro primo Exercit. 10. partim hoc ipso tractatu theor. 2. est explicatum. Consideratur autem alias in abstracto, & dicitur numerus numerans: alias in concreto, & dicitur numerus numeratus. Numeramus porrò non tantùm substantias; verùm etiam accidentia, tum quoq; Quantitates continuas, ut bicubitum, tricubitum &c. quæ tamen quia inter se cohærent, quantitates sunt continuæ, non discretæ: sic etiam quando qualitatum gradus numeramus in Medicamentis, item ponderum species, libram, unciam &c. Nam pondera nihil aliud sunt, quam gradus levitatis & gravitatis. Ita Tempus definiunt numerū motus secundùm prius & posterius 4. Phys. text. 101. ubi etiam numerus non pro numerante, sed numerato accipiendus est. Est itaq; numerus numeratus, qui applicatus est ad rem: quia autem res omniu

Numerus.

omnis non est discreta, liquet, neq; omnem numerum numeratum discretum esse. Numerus numerans est numerus Arithmeticus, hoc est, abstractus: ut duo, tria, quatuor, &c. Qui numerus propriè discretus esse videtur.

Theorema VIII.

Vulgo etiam Quantitas dividitur in eam, quæ habet positionem partium: & in aliam, quæ tali partium positione caret.

Habet etiam divisionem hanc Philosophus in præd. Quant. *complectiturq; omnia ista, quæ vulgo quanta dicebantur, sive revera talia sint, sive nõ. Quantitatis partes thesin habere dicuntur illæ, quæ permanentes monstrari possunt, ubi in toto suo sint sitæ & quibus cum partibus cohæreant, ut sunt linea, superficies & corpus. Vt igitur Quantitas partium positionem habeat, tria requiruntur: 1. Vt copulentur partes communi termino. 2. Vt sint sitæ alicubi, ut monstrari posint. 3. Vt sint simul omnes & permaneant. Quantitatis partes τάξιν habent, de quibus monstrari non potest, ubi sint positæ in suo toto & quibus cum partibus cohæreant, sed ordinem tantum prioris & posterioris habent: ut Tempus, Oratio.* Arist. lib. Categ. c. 6. §. 1. 10. 11. 12. lib. 1. de generat. & corr. c. 6. t. 44.

Theorema IX.

Affectiones Quantitatis sunt:

Quanto nihil est contrarium: non recipit magis & minus: & quod illi soli, omni & semper inest, esse æquale vel inæquale.

Actum hactenus est de quantitatis essentiâ & speciebus: consequens est, ut earundem affectiones videamus: quarum prima hæc ab Aristotele in præd. Quant. *ponitur:* Quantitati nihil est contrarium: *Quæ affectio omni quidem convenit Quanto; sed non soli: Nam & substantiæ inest. Vt autem affectio hæc rectè intelligatur, distinguit Philosophus inter quanta. Est enim aliud determinatum, certam mensuram denotans, ut bicubitum: Atq; de hoc, inquit Aristoteles, nullum est dubium: aliud est indeterminatum, incertam denotans mensuram, ut magnum, parvum, multum, paucum: atq; huic aliquid videtur cōtrariari; ut multum pauco; magnum parvo: & contra. Verùm expedita est responsio per negationem. Indeterminata illa quanta* κατα χρηστικῶς *& abusivè talia dicuntur: revera enim quanta non sunt. Nam quicquid non est absolutum, sed relatum; illud non est quantum: Atqui multum, paucum; magnum, parvum, non sunt absoluta: Ergo non sunt quanta. Minor probatur: magnum enim dicitur ratione parvi. Et si absolutum esset, tum mons nunquam diceretur parvus, & milium nunquam magnum. Porrò indeterminatas illas Quantitates non significare rem de genere Quantitatis, sed solos respectus, etiam inductione probari potest: Non enim signi-*

1. Affectio.

Magnum parvum non sunt quanta.

1.

2.

significant lineam, vel aliam aliquam reliquarum specierum Quantitatis; sed tantùm illarum affectionem respectivam. Si etiam contraria sunt magnum, 3.
parvum &c. eodem tempore duo contraria in eodem erunt subjecto. Una enim eademque res pro diverso respectu magna & parva est uno eodemque tempore. Imo idem sibipsi contrarium erit, propter eandem rationem, quia eadem res simul magna & parva diversorum respectu esse potest. Ut Nanus inter Pygmæos gigas est, interim respectu reliquorum hominum non desinit esse pusio.

Negligendum autem hoc loco non est, quod duplex magni & parvi detur consideratio: formalis & materialis seu fundamentalis. Ea denotat respectum, hæc quantitatem & quidem absolutam significat. Si enim magnitudo, nempe pro subjecto accepta, denotat Quantitatem per se; neque oppositam sibi habet privationem, neque ab illa denominativè dicitur magnum: Et hanc Aristoteles dividit in lineam, superficiem, & corpus. Interdum verò sumitur pro passione Quantitatis, atque sic sibi habet oppositam privationem, ab illaque denominativè dicitur magnum, parvo oppositum. Sunt itaque magnum & parvum conditiones & affectiones continui: multum & paucum discreti. Hinc facile corruit objectum Rami, quo in Quantitate contraria ostendere conatur, quòd magnum & parvum, multum & paucum, suo judicio sint contraria. Sunt enim ut patet, non sub genere "
" *quantorum, sed relatorum, nempe sub exuperantia* "
" *& defectu: ut qui dicit in scriptis Rami multa sunt absurda & multi errores, exuperantiam quandam*

intelligit. Vt autem nihil seipso dicitur exuperans, sed respectu deficientis: ita & multum nihil dicitur respectu sui ipsius, sed alterius, ratione nempe pauci. Nam Ramus *dicitur multos habere errores, non ratione sui; sed ratione Aristotelis, in quo longè pauciores dudum observavimus.*

Deinde maximè errat Ramus, quando arbitratur omnia opposita simpliciter contraria esse. Nam quæcunq; non seipsis, sed diversæ speciei respectu opponuntur, non simpliciter contraria sunt dicenda. Distinguendum enim est contrarium ab opposito, tanquam species à genere.

Objectio. Objicis: *ad quantitatem est motus per se, & omnis motus est à contrario in contrarium:* Ergo *manet in Quantitate contrarietatem esse.*

Solutio. *Respondemus quòd ad Quantitatem quidem sit motus, non autem quatenus* ἁπλῶς *& simpliciter sumitur; sed quatenus est sub esse perfecto & imperfecto; adeoq; quatenus est terminus corporis naturalis.* Opponitur *enim ibi & contrariatur Quantitas perfecta imperfectæ: quatenus verò quãtitatem in se & prout talis est, consideras; eatenus nihil ei est contrarium.* Non *enim Quantitatis absolutæ perfectum & imperfectum agnoscimus differentias; sed quatenus est certus substantiæ naturalis terminus. Neq; locus loco est contrarius, ut inferior supero: Est enim locus superficies. Non itaq; locus, quatenus locus, est loco cõtrarius: sed contentum in hoc, nempe in inferiore, corpus grave; in illo leve, hocq; ut superius ab inferiore, tanquam contrarium, dißidet: Est itaq; in loco sursum & deorsum*

potius relata oppositio, quam vera contrarietas.

Altera proprietas est: Quantitas non recipit magis & minus. Quantitas enim cum sit finis & terminus rerum, qui est indivisibilis, nec intentionem, nec remissionem admittit. Et probatur proprietas hæc inductione: Nam major numerus non est magis numerus, quàm minor, & major linea non est magis linea, quàm parva: & sic de omnibus speciebus Quantitatis. Neq; hic Ramo deest objectio: Duplici enim argumento affectionem hanc conatur infringere. Primum dicit, quod quidem Quantitas in abstracto non recipiat magis & minus: attamen in concreto illud maximè concedendum esse: Explicat verò illud magis per plus. At τὸ plus est vox comparationis Quantitatum discretarum, quemadmodum Majus continuarum: magis verò tantùm comparandis Qualitatibus verè tribuitur, aliis rebus propter Qualitates: Deindè objicit proprietatem hanc esse communem, atq; propterea Quantitatem non explicare. Respondemus, Ramum committere Elenchum æquivocationis. Nam commune aliquid dicitur vel ἁπλῶς, vel κατά τι. De illo, quia neq; proprium neq; inseparabile est, vera est assertio Rami, de hoc verò non. Nam quod secundùm quid commune est, est vel proprium, non autem inseparabile, vel separabile & non proprium. Tria itaq; sunt quibus res rectè explicatur; aut enim sunt ἴδια, sed non ἀχώριστα: aut sunt ἀχώριστα, sed non ἴδια: aut sunt ἴδια & ἀχώριστα. Cùm itaq; non reci-

2. Affectio.

Objectio Rami.

1.

2.

Solutio.

pere magis & minus quantitati tribuatur ut ἀχώριστον, licet non sit ἴδιον, rectè per illud quoq; explicatur.

5. Affectio. Tandem maximè convenit Quantitati, ut per eam aliquid dicatur æquale vel inæquale. Nam æquale rectè dicimus, ubi quantitas est eadem: inæquale ubi quantitas discrepat. Atq; hæc proprietas per Inductionem manifesta est: quia nulla quantitas dari potest, cui non æqualis vel inæqualis in eodem Quantitatis genere detur: & nihil in alijs prædicamentis habetur, quòd æquale vel inæquale dicatur, nisi per accidens, & quantitatis suæ respectu. Atq; per hoc corruit objectio Rami, quâ asseverat æquale esse & inæquale etiam alijs rebus competere. Committit enim fallaciam accidentis. Nam cæteræ res, uti diximus, non sunt per se æquales vel inæquales, sed tantùm propter Quantitatem.


Atq; de Quantitate hactenus.


EXER-

EXERCITATIO NONA.

DE QUALITATIBUS.

Typus hujus Exercitationis.





Theorema I.

Qualitas est accidens absolutum adjunctum substantiæ creatæ ad complementum perfectionis ejus tam in existendo, quàm in agendo.

Sequitur

Sequitur illud accidens, quod ab alterâ compositi parte, nempe à formâ, potissimùm producitur, & Qualitas dicitur. Philosophus lib. Categ. cap. 7. *prædicamentum relationis huic præmittit, tum quia ejus aliquam fecerat mentionem sub finem Categoriæ Quanti, & quòd Quanti affectiones, nempe æquale, inæquale, &c. sine Relatorum notitia ita commodè non observentur; tum quia forsan prædicamentum ad aliquid quodam modo generalius est: nam omnibus alijs Entibus aliquomodo accidit. In Metaphysicis verò & quidem* lib. δ. c. 15. *ordinem hunc immutavit. Disputat enim prius de Qualitate, tum de Relatione: qui ordo magis perfectioni rerum consentaneus esse videtur: quandoquidem Qualitates ratione perfectionis relationem longè superant. Deinde etiam absoluta naturâ suâ priora sunt, quippe quæ sine* σχέσει πρὸς ἄλλο *intelliguntur: Cùm igitur & Qualitas sit absolutum Accidens, nos metaphysicè disputantes in Metaphysicis Philosophum sequimur, & Quantitati Qualitatem statim subijcimus.*

Cur præmisit Aristoteles qualitati relationē? 1. 2.

Cur alibi qualitatem præmisit? 1. 2.

Vocem istam quod spectat, ejus primus autor fuit Cicero, ante quem voce abstractâ Græcum ποιότης *efferre Latini non fuerunt ausi. Verba Ciceronis* lib. 1. Acad. qq. ad Varronem *hæc sunt:* Qualitatem appellavi, quam Græci ποιότητα vocant, quòd verbum non est vulgi, sed Philosophorum. *Videatur Scaliger* de causs. latinæ linguæ lib. 1. c. 65. *Græcam etiam hanc vocem abstractam* ποιότης *primus introduxit Aristoteles, cùm antea tantùm dicebatur* τὸ ποῖον, *ut autor est*

Vocis ratio.

Simpli-

Qualitas vox æquivoca.

Simplicius super præd. Qualitatis. *Est etiam vocabulum æquivocum, & accipitur interdum pro omni*
1. *universali, ut* lib. Categ. c. 5. §. 17. *de generibus*
2. *& speciebus dicitur. Interdum accipitur pro differentia; quandoquidem illa de genere prædicari dicitur in quale. Unde Philosophis Qualitas substantialis.* Vide lib. 4. Top. c. 5. §. 2. lib. 6. eor. c. 6. §. 3. & 9. lib. 5. Phys. c. 2. lib. δ. Metaph. c. 14. Damasc. 12. Dial. Porphyr. c. 4. §. 5. c. 8.
3. § 8. & c. 13. §. 3. *Interdum accipitur pro omni acci-*
4. *dente* lib. δ, Metaph. c. 14. *Tandem in specie sumitur pro tali accidente, quo res quales denominantur, & contra reliqua decem summa genera distinguitur.*

Definitiones Qualitatis.

Qualitatis porrò quia major latitudo sive Analogia est, quàm Quantitatis; difficilius quoq; uno conceptu & definitione ipsius essentia exprimi & exponi potest.

1. Thomæ. *Thomas dicit* Qualitatem esse accidens absolutum, quod sequitur formam. *Quam definitionem suo definito & latiorem & strictiorem esse intelligit is, qui non ignorat quòd Ubi quoq; & Situs sint accidentia absoluta, formam sequentia, & quòd potentiæ paßivæ sint Qualitates, nec sequantur formam.*

2. Suarez. *Suarez* disput. 42. s. 1. d. 5. *Qualitatem finit, quòd sit* accidens absolutum, adjunctum substantiæ creatæ ad complementum perfectionis ejus tàm in existendo, quàm in agendo. *Neq; hæc definitio essentiam definiti ritè explicare videtur. Nam figura esse non videtur intimum substantiæ complementum, & forsan nec omnes*

Quali-

Qualitates patibiles, eo respectu, quo hic ponuntur. Si verò cum latiore analogiâ accipiatur illud complementum, ad omnes qualitercunq; qualitates poterit trahi, uti videre est apud Suarez. disp. alleg.

Petrus Hispanus, Hospinianus, Hunnæus, Crellius & alij quam plurimi Aristotelis definitionem retinent vel paulo explicatiorem reddunt. Est autem A- 3. Aristo-
ristotelis definitio. Qualitas est secundùm quam telis.
quales nos dicimur: quam illi ita efferri debere putant: Qualitas est forma accidentalis, secundùm quam res qualis esse dicitur: ut si, verbi gratiâ, quæro, qualis est homo? responderi potest: est bonus, fidelis, longæ staturæ &c. Quæ definitio etiam imperfecta est, & potius quid nominis, quàm quid rei explicat.

Philippi definitio ita habet: Qualitas est for- 4. Philip-
ma, per quam substantia est efficax, seu quæ pi.
movet sensus. Neq; hæc definitio totam essentiam Qualitatis attingit. Nam genus forma præterquam quod ambiguum sit, & improprium, (sumitur enim pro formâ accidentali, quæ improprie forma dicitur) non omnes Qualitates rectè includit. Nam potentiæ naturales sunt Qualitates, illarum autem quædam sunt activæ, quædam passivæ. De activis dubium non est, quin formæ sint; verùm de passivis meritò dubitatur. Nam forma accidentalis vel talis dicitur, quia à formâ substantiali fluit & oritur, vel quia actus aliquis est in subjecto substantiali: Iam verò potentiæ passivæ neq; à formâ substantiali sunt, neq; etiam sunt actus & principium actionis; sed principium passionis: quomodo igitur notio formæ illis competat, equidem

equidem non video. Deinde generi subjungitur duplex differentia: Prior est, quòd per qualitatem substantia sit efficax. An hæc differentia omnibus competat Qualitatibus, non ita est manifestum; ipse Philippus videtur innuere, quòd figuræ sive quartæ speciei Qualitatis non competat. Siquidem tria esse dicit, per quæ substantiæ operationes suas perficiant, habitus, potentias, & passiones. Ideoq; alteram differentiam subjungit, scilicet movere sensus, quæ figuræ & formæ rectè tribuitur. Verùm qualitatibus insensibilibus non competit. Apparet igitur, quomodo & hæc definitio laboret. Reprehendimusne propterea D. Philippum? Minimè: sed saltem monstrare volumus, quòd propter caussam, modo allegatam, Qualitas tale sit genus, quod vix vel omninò non admittat perfectam definitionem. Vnde nec ab ipso Aristotele ullibi propriâ definitione declarata fuit. Nam licet quidem in Categoriis finiatur id, quo quales dicimur: designat tamen ista descriptio duntaxat veram Qualitatis ad suum effectum habitudinem: quid verò ipsa Qualitas sit non exprimit. Ex omnibus autem illis retineri potest vel definitio hæc Dn. Philippi: vel quæ in Theoremate ex Suarez proposita est: si nimirum, uti diximus, terminus ille (complementum) *cum latiore analogiâ accipiatur. Quòd autem substantiæ creatæ complementum sit, probatur ibidem: Quia enim (verba sunt Suarez) substantia creata valde limitata est, non potest per seipsam habere complementum perfectionis. Ad hunc ergo finem primariò instituta est Qualitas: & ideo ex suo genere est perfectissimum omnium accidentium,*

dentium, comitaturq; substantiam creatam hoc ipso, quod talis est: & non tantùm secundùm aliquam peculiarem rationem. Tandem diximus statim in initio hujus Theorematis, Qualitatem à formâ potissimùm produci. Hujus rationem certissimam reddit Suarez loco allegato. Verba ejus sunt: Nam quia formæ est, quæ complet & perficit essentiam rei, & confert principalem vim agendi, ideoq; qualitas, quæ adjungitur ad complementum utriusq; perfectionis, dicitur consequi formam, sive per dimanationem, sive per quandam convenientem proportionem. Nec refert, quod aliquæ qualitates sint disconvenientes à quibus subjectis: nam per accidens in eis existunt: per se autem institutæ sunt ad completam perfectionem alicujus substantiæ. Vnde etiam figura, licet secundùm materialem capacitatem & entitatem videatur sequi quantitatem, tamen quatenus pertinet ad ornamentum substantiæ, & aliquo modo deservire potest ad actiones, vel naturales motus, formam consequitur. Quantitas verò peculiari ratione dicitur cõsequi materiam, quia materiæ est prima radix hujus molis corporeæ, ad quam constituendam vel complendam peculiari modo Quantitas ordinatur.

Theorema II.

Qualitatum species numerantur quatuor: Habitus & dispositio. Potentia & impotentia naturalis: Passio & passibilis Qualitas: forma & figura.

Aristo-

Divisio qualitatum.

Aristoteles Qualitates divisit in quatuor classes, quas per immediatas differentias ita disponere possumus: Qualitas aut est potentialis, aut actualis.

Potentialis est aut introducta, & dicitur ἕξις καὶ διάθεσις, aut nobis congenita & dicitur δύναμις φυσικὴ καὶ ἀδυναμία.

Qualitas actualis est vel afficiens (*nempe sensus*) & dicitur παθητικὴ ποιότης καὶ πάθος: vel conformans & dicitur σχῆμα καὶ μορφή. *Vnde quatuor oriuntur species sive genera Qualitatum. 1. Habitus & dispositio 2. naturalis potentia & impotentia 3. passio & passibilis qualitas. 4. forma & figura. Vbi tres quæstiones annotandæ sunt*, 1. an classes istæ quatuor sint veræ species Qualitatis, 2. an sufficienter Qualitas in species illas sit divisa. 3. Cur Aristoteles singulas species duplici nomine proponat.

1. Quæstio. Opinio prior. 1.

Primam quæstionem quod attinet, Iohannes Scotus q. 1. in præd. Qual. item 4. sent. *& qui hunc sequi videtur* Petrus Tataretus, *classes illas quatuor veras Qualitatis species esse negant eò, quod ipse Philosophus* in initio capitis de Qualit. *divisurus Qualitates in illas species, ita exordiatur*: ἔστι δὲ ἡ ποιότης τῶν πλεοναχῶς λεγομένων. *Quod cùm reddidisset interpres, Qualitatem multis modis & non multis speciebus dici, & ipse Aristoteles recensitis illis modis sive membris, subjungat*, alium fortassis modum adhuc inveniri posse: *colligit inde Scotus habitum, potentias naturales, &c.*

tantum

tantum esse accidentales Qualitatis modos, & non veras species. Modus enim & species differunt, quòd species addit differentiam essentialem supra illud, cujus est species: modus autem tantùm differentiam accidentalem. Præter Philosophi authoritatem, etiam hanc suæ sententiæ afferunt rationem: 2. *Si enim non omnia, certè pleraq; membra prædicari possunt de vna & eâdem Qualitate secundùm essentiam: ut de eadem figurâ dicitur, quòd sit habitus; si tenacius inhæreat; dispositio, si facilè abjiciatur: potentia si ad dividendum apta, impotentia si inepta &c. Verùm si figura formaliter consideretur, impoßibile est, ut reliquæ species Qualitatis de illâ prædicentur, & si illud sit, accidit duntaxat hoc diverso quodam & accidentario respectu. Deindè si authoritate* Opinio altera. *Philosophi hic pugnandum sit: nos authoritatem ejusdem Aristotelis ex eodem loco adducere possumus, ubi & species & genera illa quatuor divisionis membra vocat. Nam allegatis verbis statim §. 3. subjungit Philosophus:* ἓν μὲν οὖν εἶδος ποιότητος, ἕξις καὶ διάθεσις λεγέσθωσαν. Vna igitur species Qualitatis Habitus & dispositio nuncupator. *Item §. 7.* ἕτερον δὲ γένος ποιότητος, καθ᾽ ὃ πυκτικούς: *&c.* alterum genus Qualitatis est, ex quo ad pugillatum &c. Sic. §. 8. τρίτον γένος ποιότητος &c. Et §. 16. τέταρτον δὲ γένος ποιότητος. *Petrum Tataretum quod attinet, ille promiscuè ista membra vocat modos & species.* Deinde (*inquit*) subdit, quòd qualitas est de numero

illorum, quæ habent multos modos vel species sub se, cujus prima species est habitus & dispositio. *Meritò igitur Albertus Ammonium secutus prædictam opinionem refutat & rejicit, ostendens has veras Qualitatis species esse; quòd etiam ante illum docuerat Alexander, & hodiè sequuntur omnes Doctores Lovan. Cajetanus, Petrus Hispanus, Fonseca, Toletus, Schegkius, Philippus Melanchthon, Zabarella, Crellius, Pacius, Flacius & quicunq; ferè prædicamenta commentando illustrarunt.*

2. Quæstio. *Ad alteram quæstionem dicimus, veram & communem esse sententiam, quòd tantùm quatuor Qualitatis species, neq; plures, neq; pauciores sint constituendæ. Probant id multis modis gravissimi authores. Simplicius suam probationem ita instituit: Qualitates se habent in duplici differentiâ: quædam enim sunt adventitiæ & acquisitæ, quæ primam constituunt speciem: quædam sunt naturales & dicunt vel potentiam vel actum: si potentiam, tùm constituunt secundam speciem: si actum, tunc vel in profundo subjecti, & constituunt tertiam speciem: vel in superficie subjecti, & constituunt quartam speciem. Ammonius verò quaternarium hunc numerum probans, alia ingreditur via. Videatur Toletus c. 8.* de præd. *Penè eodem modo, quo Simplicius & Ammonius numerum hunc probat, Scotus in præd.* Qual. q. 1. *Thomas Aquinas* prima 2. q. 42. *hanc habet probationem: Qualitas est modus quidam accidentarius substantiæ: aut igitur comparatur cum naturâ subjecti, aut cum ejus actione & passione,*

Opinio prima; esse quatuor.

1. Simplicij ratio.

2. Ammonij probatio.

3. Thomæ.

aut

aut cum ejusdem quantitate. Si cum naturâ subjecti comparatur, nempe quatenus illi est consentanea aut dissentanea, conficit primam speciem, quæ habitus & dispositionis nominibus significatur. Habitus quidem si difficilè dimoveatur, dispositio si facilè. Si verò cum ejus actione aut paßione comparatur, tunc consideratur vel ut est principium actionis & paßionis, vel ut est terminus earundem. Si principium, tunc constituit secundam speciem: quæ Potentia dicitur, si sit principium facilè agendi & resistendi; impotentia, si difficilè. Si verò ut terminus consideratur, hoc est, si motu aliquo acquiratur, in quo propriè actio & paßio cernuntur, tertiam conficit speciem, quæ patibilis vocatur, si diu permanet; paßio verò, si brevi transeat. Deniq; si comparatur cum Quantitate substantiæ, efficit quartam speciem, quæ figuræ nomine appellatur, si mathematicè spectatur, id est, nullâ habitâ ratione sensibilis: Formæ autem, si Physicè, nempe quatenus cohæret in materiâ sensibili & materiali. Petrus Fonseca hunc ponit modum: Qualitas aut est in solâ superficie substantiæ, aut interius: si interius, aut est sensibus subjecta, aut minimè. Si subjecta sensibus est, paßibilis Qualitas aut paßio vocatur: si non est subjecta sensibus, aut est naturâ insita, aut acquisita: si insita à naturâ, est naturalis potentia aut impotentia: si acquisita, habitus aut dispositio. 4. Fonsecæ.

Verumenimverò omnes hæ probationes frustra laborare videntur, 1. Cùm ratio ex divisionibus contextarem quidem declaret quodammodo, sed non demonstret; 2. Neq; etiam specierum numerus sub Probationes præcedentes quales.

5. Probatio. *suo genere demonstrari potest. Quocirca quemadmodum Philosophus* lib. 3. de animâ c. 1. *sensuum externorum sufficientiam aliter non probavit, nisi quòd non dentur plura objecta, neq; plura media & sensoria: ita quoq; Qualitâtem rectè & sufficienter divisam esse probare possumus, si nullam Qualitatem extra divisionem relinqui ostendamus. Simplicius quidem & Boëtius plures esse qualitatum species dixerunt: neuter tamen novas adduxit.*

Opinio altera. Marsilius quintam addit. *Marsilius Ficinus, quintam solummodo addendam esse speciem autumat, quam propter penuriam vocabulorum (ut vult Porrcutinus) multis circumscribit, nimirum* Qualitatem determinantem seu qualificantem, ex aliâ qualitate immediatè. *Quam ita explicat & probat: quòd multæ sint qualitates, secundùm quas revera quales dici possumus, sed sub nullâ quatuor dictarum specierum continentur, nempe quòd ex aliis sint conflatæ, & nihilominus tamen subjectum denominent: cùm autem sub nullâ harum specierum contineantur, manifestum est, quintam speciem subiungendam esse, ut ita sit integra & sufficiens divisio. Quis enim non intelligit Formosum, pulcrum, turpitudinem, raucum, acutum, in voce scilicet, clarum, grave, intensum, remissum & id genus alia, Qualitates esse? Quis etiam non videt, eas non primas, sed ex his ortas existere, subjectum tamen verè qualificare & immediatè denominare? Quando enim quæritur: qualis est Helena? respondendum omninò est: Pulchra, formosa &c. Qualis vox? Rauca, acuta, clara, gravis. Quale frigus? Intensum, remissum. Si porrò quæratur,*

sub

sub quâ quatuor enumeratarum specierum istæ qualitates contineantur: sub nullâ respondendum esse videtur. Non sub habitu: 1. Quia non sunt qualitates acquisitæ per crebras actiones. 2. Quia non disponunt subjectum ad melius & expeditius operandum. Non sunt potentiæ vel impotentiæ naturales. Hæ enim qualitates omnes sunt innatæ & non acquisitæ: Verùm pulchritudo non rarò acquiritur & amittitur: acquiritur ex bono regimine vel medicamento aliquo, vel etiam morbo quodam acutiore amittitur. Non sunt in tertiâ specie: *nam in illâ tantùm ponuntur sensibilia certi duntaxat sensus: alias si sensibilia communia etiam in hâc specie callocarentur, tum species quarta cum tertiâ confunderetur, vel frustra poneretur. Quia igitur pulchritudo, deformitas &c. sunt sensibilia communia, quòd pluribus sensibus simul apprehendantur: visu scilicet & tactu, manifestum est, quòd non sint in tertiâ specie Qualitatis.* Ad quartam deniq; Qualitatis speciem non referũtur, *quia juxta sententiam vulgarem in illâ tantùm continentur, quæ immediatè ex Quantitate vel continuâ vel discretâ fluunt & rem qualificant: Verùm formositas, pulchritudo &c. ejusmodi denotant qualitates, quæ quidem res immediatè qualificant, sed tamen ex aliјs qualitatibus & aliјs quoq; rebus mixtæ sunt. Est enim pulchritudo membrorum Symmetria quædam, inquit Aristoteles,* lib. 3. Top. cap. 1. §. 13. item libr. de Poët. cap. 7. *hoc est, pulchritudo est*

Qualitas accidentalis, orta ex quibusdam qualitatibus ad invicem unitis sub debitâ Quantitate. Nam ex admistione albedinis cum rubedine sub debitâ quantitate, nempe rotundâ cum longitudine mixtâ formositas in homine est. Hinc formosam dicimus puellam, cujus partes naturali magnitudine suâ, figuratione, situ, & colore adaptatæ & convenientes sunt: deformem contra & monstrosam, quæ partibus, non ita est disposita. Eodem modo vocem denominat claritas ex aliâ qualitate, nempe ratione partium vocis, quæ benè ad invicem sunt proportionatæ: sic intensum & remissum vel plurium vel pauciorum graduum concursum denotant. Ex quibus concludendum videtur: necessariò dandam adhuc esse quintam Qualitatis speciem; cùm hæ sub nullâ quatuor enumeratarum specierum contineantur.

Alij sextam addunt.

Sunt adhuc alij, qui quintâ hâc specie additâ, nondum contenti, sextam quoque adjiciunt: Qualitatem nempe essentialem: atque hanc suam sententiam probant primùm authoritate: deinde ratione. Authoritate quidem triplici. 1. Aristotelis: *qui* lib. δ. Metaphys. cap. 14. *inter principales significationes vocis Qualitatis refert differentias sive qualitates essentiales.* 2. Porphyrij: *qui dicit, quòd homo ab equo differat Qualitate: item differentiam definit cum Aristotele, quòd prædicatur in quale.* Porph. Isag. cap. 4. §. 5. cap. 8. §. 8.

Autoritas triplex.

§.8. cap. 13. §.3. Aristoteles lib. 4. Topic. cap. 5. §. 2. lib. 6. eor. cap. 6. §. 3. & 9. 3. *Augustini*, *qui in* prædicam. Qualit. dicit: *Differentia videtur habere vim qualitatis. Rationem adferunt duplicem.* 1. *Illud formaliter est quale, quod ad proprium quæsitivum Qualitatis responderi potest: Sed rationale vel aliæ differentiæ aptè responderi possunt ad proprium quæsitivum Qualitatis: Ergo. Minor probatur: quando enim quæritur: qualis est homo? respondetur rectè, est rationalis: qualis est equus? est irrationalis.* 2. *Deindè ex definitione Aristotelis: Qualitas est secundùm quam quales dicimur: sed secundùm rationale dicimur quales:* Ergo *rationale est qualitas. Quæ verò qualitas, quia neq; ad vulgares quatuor species, neq; ad quintam, à Marsilio Ficino excogitatam, referri potest: sequitur, quòd sextam Qualitatis speciem constituat.* Ratio 1. 2.

Verùm opiniones hæ facilè refutari possunt. Ad argumenta Marsilij in genere responsum esto: omnia adducta exempla ad nullum pertinere prædicamentum: Ergo *neq; ad Qualitatem, ideoque quintam Qualitatis speciem non constituere. Pulchritudo enim, deformitas, raucedo, & reliqua, non sunt* Entia *per se una, sed per accidens & duntaxat per aggregationem. Pulchrum namq; vel pulchritudo, ut manifestum est ex ejus definitione, ex coloris & quantitatis attemperatione constat: quæ quia toto distant genere, quomodo unum* Responsio ad Marsilij argumenta.

per se conficiens? Vnde ita argumentamur: Quod non est unū per se, id in nullo est prædicamento: At pulchritudo, ut & reliqua nomina, non sunt vel denotant unum per se: Ergo *in nullo sunt prædicamento: & per consequens, novam qualitatis speciem non constituunt. Ad inductionem & Specialem probationem Ficini quod attinet; probat quidem res illas in nulla specie Qualitatis esse, minimè verò probat id, quod probandum erat, illa nimirum singularem qualitatis speciem constituere: id autem facere non posse nostra demonstrat ratio. Si verò omninò ad prædicamentum & speciem quandam qualitatis debeant referri: cùm sint species motivæ vel sensuum vel intellectus, commodè ad tertiam speciem qualitatis rediguntur. Actus etiam immanentes, item raritatem & densitatem nonnulli hic objiciunt: verùm actiones immanentes ad actionis pertinent prædicamentū: termini verò illorū ad tertiam quoq; Qualitatis speciem referuntur: Raritas & densitas duplici accipi potest modo; aut pro rarâ partium distantiâ, quo pacto à* Gilberto in cap. de situ, *sicut & ab* Averroë 1. Metaphys. text. 15. *ad prædicamentum situs trahuntur; aut pro tenuitate, atq; tum in qualitate est, ut Averroës* lib. 4. Phys. text. 85. *innuit, & manifestè docuit* lib. 7. Phys. text. 15. & Johan. Grammat. 2. de gener. & corrupt. text. 17.

Ad opinionem ultimam, qua sex statuuntur. *Ad alteram opinionem dicimus distinguendum esse inter Qualitatem substantialem & qualitatem propriè ita dictam sive accidentalem. Differentia pro-*

propriè *substantia est, ut constat ex illis, quæ supra* Exerc. 1. theor. 4. & 5. *disputata sunt, non accidens. Dicitur autem qualitas non propriè, sed saltem per Metaphoram, seu quandam similitudinem, quod etiam apparet ex ipso Augustino, quem hæc sententia pro se citat: qui non dicit differentiam esse Qualitatem, sed habere vim quandam qualitatis. Deinde in allegata definitione committitur vitium divisionis.* 2.
Non enim tantum dicitur in definitione differentiæ, quòd prædicatur in quale, sed additur in quale quid, Aristoteles lib. 4. Top. c. 2. §. 5. & 6. Top. 6. §. 9. *Dicit igitur differentia qualitatem essentialem. Duplex enim in rebus est perfectio: alia accidentalis, quæ ab accidentibus advenientibus promanat: alia essentialis, quæ est per accessionem formæ substantialis ad materiam, vel differentiæ ad genus. Vtraq; quòd naturam, cui convenit, aliquo modo disponat, Qualitas Philosopho dicitur* lib. δ. Meta. c. 14. *Altera verò, uti diximus, propriè; altera Metaphoricè & per similitudinem. Quod cum ita sit, quilibet intelligit, tum differentiam non esse speciem Qualitatis; tum etiam quid ad argumenta contraria sit respondendum. Atq; ita refutata & rejecta est illorum sententia, qui plures, quàm quatuor. Qualitatis numerant species, & in excessu peccant: audiendi nunc sunt qui in defectu aberrant.*

Duplex in rebus perfectio.

Franciscus Piccolomineus in suis gradibus moralibus grad. 2. cap. 8. *duas saltem species qualitatis constituit, passionem & passibilem qualitatem; & deinde formam & figuram. Habitum verò ad relationem pertinere affirmat: potentiam naturalem*

Tertia opinio statuentium pauciores quatuor. 1. Picolominei.

lem vel ad substantiam, si fundamentum est substantiale, vel ad paßibilem qualitatem, si fundamentum est accidens, referendam esse docet. Habitum ad relationem pertinere, probat authoritate Philosophi, qui lib. 7. Phys. text. 17. *ostendit, motum non esse in prima specie Qualitatis, quòd habitus sit relatio. Verba Aristotelis sunt.* Manifestum autem est, quòd alteratio non est in his, quæ fiunt, neque in habitibus: habitus enim virtutes aut vitia sunt; virtus autem omnis & vitium eorum, quæ ad aliud sunt. *Et ibid.* text. 20. *etiam intellectivos habitus ad aliquid, hoc est, relationes expreße vocat. Potentias porrò naturales vel ad substantiam, vel ad paßibiles pertinere qualitates ostendere conatur hoc pacto: Nam potentia á suo fundamento non differt realiter: quæ verò realiter idem sunt, ad idem genus pertinere necesse est. Sic enim verbi gratiâ, potentia intelligendi, potentia volendi, vegetandi, sentiendi, &c. idem sunt cum ipsá animâ, ac proinde in prædicamento substantiæ.*

Habitus dupliciter considератur.

Vt Piccolominio satisfiat, notetur ex Benedicto Pererio, habitum dupliciter considerari 1. ut est qualitas perficiens animum, eumq; aptum & promptum reddens ad operandum; atq; ita revera Ens absolutum est & in prædicamento Qualitatis. Deinde consideratur habitus, quatenus cum suo objecto, circa quod est occupatus, confertur, atq; ita est respectivum sive relatum quid. Vnde manifestum est, quòd tota Habitus natura non sit esse ad aliquid, sed potius quòd per considerationem & agitationem circa objectum in mente generetur, & generatus suam essentiam absolutam habeat, indeq; iterum suum obje-

ctum respiciat. Non igitur probare possumus, quòd habet Iohannes Regius Dantiscanus in suis disput. Logicis lib. 2. de prædicamentis probl. 5. *habitum & dispositionem dicere qualitates, bene vel male afficientes subjectum non in sensu formali, sed caussali. Formale enim, inquit, habitus est ipse respectus ad suum objectum, circa quod versatur: Caussale verò ipsius sive effectus est disponere & qualificare, ut loquuntur, ipsum subjectum, ut benè vel malè affectum sit. Nam quòd sit formaliter habitus aliquid in intellectu sive in subjecto suo, id satis superque testatur experientia, imò ipse intellectus negare non potest. Dum enim sæpiuscule reiterat intellectionem animus, tandem experitur, se facilitatem quandam intelligendi acquisivisse, quam revera in animo hærere, illudq; disponere certum est, non aliter atq; habitus saltandi est aliquid, nempe agilitas, adeoque dispositio in pedibus totoque corpore, & ita habitus. Inquiunt habitus differre non tantùm ratione subjecti, sed ratione objecti. Etiam subjecti ratione differunt: alij enim sunt habitus animi, alij corporis, alij intellectus, alij voluntatis. Inferunt majorem tamen differentiam in illis esse ratione objecti. Non id negamus: sed an inde inferri possit, quod iste respectus absolvat intimam illorum essentiam, hoc inde colligi non videtur. Internam hic essentiam constituit, quòd habitus sit facultas quædam, quæ quia in operatione perfecta est, & operatio non esse potest sine objecto, fit, ut ratione operationis & objecti habitus ab habitu distinguatur. Deinde relatio, quatenus talis, non est fundamentum actionis: sed potius actio est fundamentum relationis. Atqui ha-*

qui habitus est fundamentum & principium actionis: Ergo habitus non est relatio in suâ intimâ & primâ essentiâ, hoc est, actu suo primo. Minor probatur inductione: ars est caussa per se actionum & effectorum artificialium, non homo. Non enim homo, quatenus talis, ædificat, sed quatenus architectus est: sic homo non quatenus talis est bonus vir, sed quatenus virtute est prædittus, per quam virtuosè agit & vivit. Relata quoq; sunt necessariò simul naturâ: atqui habitus & objecta non sunt necessariò simul natura: Ergo se non habent ut relata. Minorem probo: Nam scibile & scientia non sunt simul naturâ: scibile enim prius est scientiâ & scientia manere potest in intellectu scibili deperdito & remoto. Vltimò iterum usurpamus & appellamus experientiam. Rusticum enim indoctum, Philosophum doctum denominamus: hunc, quia poßidet habitum; illum, quia isto caret. Inconstantiæ etiam Regium accusare possumus. Nam in disputatione hâc formale habitus dicit esse respectum ad objectum: in explicatione verò definitionis Habitus, dicit ejus formale esse difficulter moveri à suo subjecto. Aut itaq; Regius duplex dat formale habitus, aut sibi non constat. At duplex dari nequit. Nam ubiq; urget formale Entis certi prædicamenti tantùm simplex & unicum, nullo modo multiplex esse: Ergo sibi non constat. Proinde quæritur; an artifex sive scientiâ prædittus quando dormit, artem sive scientiam habeat? Habet omnino. Sed quomodo si intima ejus essentia consistit in respectu ad objectum, & tantùm per suam caussalitatem, hoc est, (ut aliter intelligi nequit) actionem efficit sive

qualí-

qualificat ſubjectum? In dormiente enim nullus eſt reſpectus ad objectum, neq; eſt operatio. Ergo ſecundum hanc opinionem, in dormiente neq; ars erit, neq; ſcientia, neq; ullus habitus.

Ad alterum membrum oppoſitionis Piccolominei, quo potentiam naturalem ex hoc prædicamento rejicit, reſpondemus, potentias naturales, quarum ſubjectum vel fundamentum eſt ſubſtantia, ad ſubſtantiæ prædicamentum minimè rejiciendas eſſe, ſed ab hac realiter diſtinguendas, & in diverſis prædicamentis conſtituendas, quemadmodum hâc de re diſſeruit Iacobus Zabarella in libro de facult. anim. Vbi quoq; cap. 5. illa argumenta, quæ pro Fran. Piccol. ſententia adducebantur. reſolvuntur. Ad 1. reſpondetur.

Sunt adhuc alij, qui eaſdem quidem cum Piccolominio ſtatuunt ſpecies; in eo tamen diſcriminantur, quod neq; habitum, neq; potentiam naturalem, ex Qualitatum numero ejiciunt: ſed utrumq; in cenſum paſsibilium Qualitatum referunt. 1. quia habitus & potentiæ naturales ejusmodi ſunt affectiones, quæ vel cauſſæ ſunt paſſionis, vel effectus paſſionis. Proprium enim paſſionis & paſſibilis qualitatis eſt, ut vel à paſſione producta ſit, vel paſſionem inferat. De habitu facilè id probatur. Nam habitus crebris actionibus oritur: Actiones verò ſine paſſione quadam eſſe non poſſunt. Videtur igitur habitus nihil aliud eſſe, quàm paſſio, vel effectus paſſionis. 2. quia ipſe Philoſophus in Metaphyſicis, ubi omnia ἀκριβῶς tradantur, expreſſè virtutes & vitia inter partes ſeu ſpecies παθημάτων paſſionum numerat.

2. Aliorū.

Habitum referri ad paſsib. qualitatē. 1.

2.

rat. Ita enim ait lib. δ. Metaph. c. 14. ἀρετὴ δὲ καὶ κακία τῶν παθημάτων μέρος τι. διαφορὰς γὰρ δηλοῦσι τῆς κινήσεως καὶ τῆς ἐνεργείας, καθ' ἃς ποιοῦσιν ἢ πάσχουσι καλῶς ἢ φαύλως τὰ ἐν τῇ κινήσει ὄντα. Τὸ μὲν γὰρ ὡδὶ δυνάμενον κινεῖσθαι ἢ ἐνεργεῖν, ἀγαθόν: Τὸ δ' ὡδὶ καὶ ἐναντίως, μοχθηρόν. &c. Virtus autem & malitia, passionum quædam partes sunt. Differentias enim motus & actionis quasdam manifestant, secundùm quas bene vel male agunt, aut patiuntur ea, quæ in motu sunt. Quod enim hoc modo potest moveri, aut agere, bonum: quod verò illo modo & contrario, malum. *Hinc duplici modo arguunt. 1. Nulla differentia ab eo, cujus est differentia, realiter differt: at virtus & malitia sunt motuum differentiæ, teste Philosopho: Ergo ab ijs motibus non realiter differunt. 2. Benè & malè pati aut operari non faciunt differre specie, ut nec magis nec minus speciem diversificant: verbi gratiâ, actus currendi, & actus benè currendi non differunt specie, ut habet Zabarella* lib. de facultat. anim. cap. 3. *At virtus & vitium faciunt benè vel malè pati, ut loco allegato docet Philosophus: Ergo à paßione realiter non differunt, & per consequens neque specie neque genere.*
3. *Porrò in quo genere continetur rei materia, in illo quoq; forma est: at virtutum & vitiorum materia sunt affectus & paßiones: Ergo & ipsæ virtutes & vitia, quæ sunt tanquam formæ quædam. Minor constat per Aristotelem*

ſtotelem, *qui* lib. 2. Eth. Nicom. *multis demonſtrat, affectus ſeu paßiones eſſe materiam virtutum. Item medium & extrema ejusdem ſunt generis: at virtus eſt medium inter duo extrema affectuum: Ergo eſt ejusdem generis cum ipſis perturbationibus.* 4.
Vltimo ſententiam hanc confirmare videtur, quòd Ariſtoteles calorem & frigus, quæ aliàs paßiones ſunt & paßibiles qualitates, etiam ad primam ſpeciem qualitatis, ad habitum & diſpoſitionem referat, quod fieri minimè poſſet, ſi genere differrent. 5.

Potentiam naturalem ad paſsib. qualit. referri.

Potentiam quoq; naturalem ad paßibilem Qualitatem revocandam eſſe probatur. 1. *Cui convenit definitio eidem & definitum convenit: Atqui definitio paßibilis Qualitatis convenit potentiæ naturali: Ergo eſt paßibilis Qualitas. Minor probatur. Nam paßibilis Qualitas definitur à Zabarella, quod ſit qualitas quædam tam naturalis, quàm adventitiæ; tam in rebus animatis, quàm inanimatis, quæ paßionem vel inferunt, vel ex ipsâ generantur. Atqui potentia naturalis eſt ejusmodi Qualitas: Ergo. Eodem modo definitio potentiæ naturalis paßibili qualitati tribui poteſt. Potentia eſt principium vel transmutandi aliud vel patiendi ab alio: At tale principium quoq; eſt paßibilis qualitas. Vel enim transmutatur, vel agere in aliud poteſt, vel ab alio pati. Durum quoq; & molle, quia ex primis qualitatibus oriuntur, ſine omni dubio ad qualitates paßibiles pertinent, quæ nihilominus Ariſtoteles in ſecunda ſpecie, nempe potentiâ naturali, recenſet. Gravitas quoq; & levitas ob eandem cauſſam inter paßibiles qualitates*

tates referuntur, interim tamen negari non potest, quòd sint potentiæ & aptitudines naturales, quibus elementa ad propria loca feruntur, ut testatur Zabarella in libris de motu levium & gravium & alibi. *Nec est quòd hic objiciatur, eandem rem in diversis esse generibus: negatum id est in præcedentibus. Quemadmodum enim qualibet res una est per suam formam, ita etiam ad unum duntaxat genus pertinet, & per formale suum ad unicum tantùm prædicamentum, ut & genus proximum, refertur. Deinde albedo quoq; dulcedo & reliqua considerari possunt vel ut potentiam habent ejusmodi passionem inferendi, vel ut actu inferunt. Sed actus & potentia non differunt genere: Ergo &c.* Videatur Fonseca lib. 5. Metaphys. c. 28. q. 4. Paulus Soncin. in Epit. Johan. Capreol. lib. 1. dist. 3. quæst. 4. *Concludit ergo hæc opinio, duas duntaxat species Qualitatis esse: paßibilem Qualitatem & figuram, ita tamen ut Qualitas paßibilis describatur affectio, quæ ex paßione resultat vel paßionem alicui infert. Quæ à paßione oritur subdividitur. Vel enim difficulter mobilis, & est habitus; vel facilè mobilis, & est dispositio. Quæ autem paßionem infert, illa aut sensibus exterioribus paßionem infert, & est qualitas vel prima vel secunda, vel infert paßionem quidam animæ, & est affectus: lætitia, tristitia &c. Vel deniq; toti subjecto, idq; si constituit habile ad aliquid, potentia naturalis dicitur; si inhabile, tum naturalis impotentia vocatur.*

Objectionis solutio.

3. Aliorũ, qui unam. *Deniq; adhuc alij inveniuntur, qui penè in contraria sunt opinione, statuentes nimirum posteriores tres*

tres species commodè ad primam referri, propterea quòd sint qualitates, quæ vel benè vel malè subjectum afficiunt, quod propriè ad definitionem habitus pertinet: Cui verò competit definitio, eidem & definitum. Deindè quòd tertia & quarta species in secunda includantur, manifestum esse videtur: nam calor & frigus, durities & mollities, ac reliquæ qualitates paßibiles sunt ejusmodi affectiones, quibus substantiæ vel agunt vel resistunt. Et figura quatenus dividi vel non dividi potest, rectè potentia naturalis vel impotentia vocari videtur. Atque ita habitus secundùm horum sententiam est summum genus in prædicamento qualitatis.

Ad priorem opinionem quod attinet, sciendum est, quòd tota difficultas sit in æquivocatione & ambiguitate termini: paßibilis Qualitas: qui duplici modo usurpari potest, generaliter & in latâ, adeoq; impropriâ significatione, quatenus scilicet vel ex paßione resultat; vel paßionem alicui infert: vel specialiter & in proprio significatu, atq; tum paßibiles qualitates dicuntur, non quòd subjecta, quibus insunt, ab illis patiantur, sed quòd paßionis circa sensus sint effectrices, & quòd quædam illarum à paßione oriantur. Hoc speciali modo neq; habitus neq; potentiæ naturales dici possunt paßibiles qualitates. Nam per potentias naturales intelligitur δύναμις potentia, non ἐνέργεια, non actus. Per paßibiles verò qualitates non intelligenda est (ut rectè annotat Crellius Isag. part. comm. lib. 1. in Præd. Qualitatis) potentia illarum: sic enim cum secunda specie concurrerent; sed ἐνέργεια, id quod voca-

Responsio ad opiniones dictas. Ad 1.

vocabulum in ικος declarat, & Aristoteles explicat, cum παθητικὴν ποιότητα idem esse docet, atq; πάθος ποιητικὸν, ut sunt calor, frigus, dulcedo, amaritudo, quæ qualitates non potentiæ tantùm sunt, sed ἐνέργειαι ipsæ. Nam calor nō est potentia ad calefaciendum, sed est ipsa calefaciēdi ἐνέργεια. Nam calor non rectè definitur qualitas calida, sed qualitas calefaciens. Ita de reliquis. Colores verò patibiles dicuntur qualitates eò, quod à paßione oriantur. Nam niger aliquis fieri potest ex adustione solis, pallidus ex longo & diuturno morbo: atq; hæ qualitates vel acquiruntur à nativitate: si homines quidam natura fusci, corvi nigri, cygni albi sunt; vel ex diuturnis morbis, ut pallor; vel alias ob caussas, ut nigror ob adustionem solis.

Objectio. Objicis, quòd licet quidem potentiæ naturales non poßint referri ad illam speciem, quæ ἐνέργειας complectitur, numerari tamen sub secunda specie inter illas poßint qualitates, quæ à paßione oriuntur, atq; propterea patibiles qualitates dicuntur.

Solut. Si in genere id sumatur pro quovis à paßione orto, ut jam explicabitur, concedi potest; sed de eo hic non quæstio est. Nam hoc loco agitur de illo à paßione orto, quod primùm actus est: (Color enim non potentia, sed actus est, & habitus & ex se actum secundum edere potest:) deinde quod indifferenter, vel à nativitate inest, vel ab externa caussa ortum. Hæc verò de potentijs naturalibus dici nequeunt. Potentia enim naturalis neq; est actus, sed est aptitudo ad actum; neq; indifferenter inest, sed semper cum subjecto nascitur: Ergo potentia na-

turalis & paßibilis qualitas sunt distinctæ qualitatis species. Nam opposita & distincta propria oppositas & diversas arguunt species & subjecta. Adde quod qualitates duplicem habeant usum, vel ut exornent substantiam, vel ut eam ad agendum disponant. Quia igitur ejusmodi qualitates, ut sunt colores, substantiam tantùm exornent: potentia verò naturalis eandem non exornet, sed potius ad agendum disponat; sequitur iterum, quod hæ qualitates nõ sint sub eadem specie. Habitum quoq; distinctam constituere speciem à paßibili qualitate ex eo est manifestum, quòd licet habitus respectu potentiæ & aptitudinis naturalis sit actus; est tamen ratione operationis suæ potentia. Necessariò enim inter habitũ & ἐνέργειαν distinguendum est, inter virtutẽ & actionẽ virtutis: hanc enim summũ bonum finit Aristoteles; de virtute verò illud negat lib. 1. Eth. Constituit autẽ primam speciem, quatenus est potentia quædam activa. Nam actio virtutis non in prædicamento Qualitatis, sed actionis est. Deinde comparatur crebris actionibus, quòd etiam de paßibilibus qualitatibus dici nequit. Nam paßibiles illæ qualitates, quæ propter paßionem, ex quâ ortæ sunt, ita dicuntur, nõ crebris actionibus, verùm potius crebris paßionibus in subjecto proveniunt. Tertiò paßibiles qualitates indifferenter in alijs naturâ insunt cum subjectis suis ortæ, in alijs sunt à caußâ quâdam externâ. Vt caliditas igni naturâ: aquæ verò à caußa externâ inest. Sic corvus naturâ suâ niger est, homo quispiam adustione solis. Habitus verò cum subjecto nunquam nascitur, sed in solidum per exercitationem crebram acqui-

ritur & subjecto imprimitur. Tandem paßibiles Qualitates communiter insunt cuivis subjecto, sive sit animatum sive inanimatum. Habitus verò non nisi animato inest, & si propriüßimè loqui velimus, tantùm rationali. Manifestum itaq; est, Habitum & potentiam naturalem & à se invicem & à paßibilibus qualitatibus rectè distingui, vocabulis nempe in strictiore & proprio significatu sumptis. Si verò accipiatur qualitas paßibilis pro quàvis in genere dispositione, quæ vel ex paßione resultat, vel passionem infert, plus concedimus, quàm petitur, nempe non tantùm habitum & potentiam naturalem, verùm etiam ipsam formam & figuram, quatenus ut effecta ex suis & per suas caussas existunt, imò omnia reliqua effecta, quatenus talia, sive sint qualitates, sive quantitates, sive ipsæ substantiæ, qualitates paßibiles dici posse, cùm omne effectum, quatenus tale, sit à paßione. Omne enim agens, respicit suum patiens. Cùm autem caussa sit agens, respicit suum effectum, ut suum patiens. Verùm hæc significatio justo latior est, & hoc loco ferri nequit.

Ad alteram opinionem quod attinet; & quidem primùm quando affirmat, potentias naturales & paßibiles qualitates esse ejusmodi qualitates, quæ bene vel male afficiunt subjectum, ac proinde habitus: dicimus vocabula illa BENE & MALE duplicis esse potestatis. Vel enim transcendentaliter & generalißime: vel strictè & propriè sumuntur. In transcendentali significatione si accipiantur, non imus inficias, qualites hasce paßibiles itemq; potentias naturalis benè vel malè afficere subjectum: Non

verò

verò id concedimus de strictâ & propriâ potestate. Quandoquidem tum per malè & benè intelligimus bonum & malum Ethicum, hoc est, honestum & inhonestum. At per potentiam sive impotentiam naturalem, teste Philosopho, nemo neq; bonus, hoc est, honestus, neq; malus, hoc est, inhonestus dicitur: Ergo &c. Eodem modo res se habet in qualitatibus passibilibus. Quis enim propter colorem, sive calorem, sive similem qualitatem, aliquem vel honestum vel inhonestum dixerit?

Ad reliqua breviter responsum esto: Vnam rem, prout una est, unumq; formale habet, per quod est id quod est, sub uno etiam & in uno duntaxat esse genere & prædicamento. Ex accidente igitur, nempe propter diversos respectus, qui sæpiuscule supra eandem rem fundantur, fit, ut una res videatur in diversis esse categoriis, cùm tamen, ut una, tantùm in unâ sedem & locum obtineat. Exemplum sit Mollities, quæ formaliter sumpta (ut sumi debet in essentiali consideratione, quæ ex prædicamentis petitur) ad solam passibilem qualitatem pertinet: quã tamen deinde accidentaliter considerare possumus, ut habet vel impotentiam resistendi, vel potentiam facile superandi &c: atq; ita videtur ad plures species referri posse.

Quæ cùm ita sint, meritò quatuor agnoscimus qualitatis species, quas ut ordine explicemus, tertia etiã quæstio, supra mota, videnda, & ratio annotanda est, quare Aristoteles singulis speciebus gemina imposuerit nomina: an id fecerit, ut binis illis appellationibus duas diversas species denotet; an verò ut unam tantùm significet speciem, quæ duo, accidente duntaxat distin-

Cur Aristoteles singulis qualitatum speciebus gemina imposuerit nomina.

distincta, sub se contineat. Tres hac de re sunt opi-

1. Opinio Coloniensium.

niones. Alij enim, ut doctores Colonienses, arbitrantur, solam naturalem potentiam & impotentiam specie differre: reliquorum verò membrorum appellationes binas tantùm numero & accidente.

2. Opinio Toleti & Fonsecæ.

Alij ut Franciscus Toletus & Petrus Fonseca solùm habitum & dispositionem specie differre, reliquas vero binas appellationes saltem numero differre.

3. Opinio Zabarellæ.

Alij deniq; ut Iacobus Zabarella, Crellius, & alij statuunt, omnes appellationes illas saltem accidente differre, nullas verò specie.

4. Opinio autoris.

Statuimus autem nos, Aristotelem singulis speciebus Qualitatis bina imposuisse nomina, non ut per quaslibet συζυγίας duas inveheret species: nam figura & forma, passio etiam & passibilis qualitas, & tandem potentia naturalis & impotentia, non differunt specie: Sed quoniam magna specierum qualitatis latitudo est, quæq; tota hic comprehendi ut intelligatur, duo posuit nomina, si forsan alterum ad ostendendam maximam varietatem non sufficeret. Videatur Suarez disp. Metaphys. disp. 42. sect. 6. Fons. 5. Metaph. cap. 14. q. 2. Quod verò in specie habitum & dispositionem attinet, differunt illa specie & non differunt, ut ita media opinio sit secundùm quid vera.

Dispositio tripliciter sumitur.

Nam dispositio Aristoteli sumitur tripliciter: primum in genere, ut lib. δ. Metaphys. cap. 19. pro quâvis potentiæ determinatione: quo sensu etiam in qualitate habitum dixit esse dispositionem: deinde pro viâ ad habitum, & hoc modo non differt specie ab habitu: Tandem pro tali qualitate, cui ita competit facile moveri posse, ut nunquam possit competere oppositũ, nem-

nempe difficilè moveri posse. Atq; ultimo hoc modo dispositionem ab habitu specie distingui docet Thomas 1.2. q.49. a.2. *Quæ enim ita habent opposita attributa, specie quoq; differre videntur, non quidem per ipsa attributa; sed per suam naturam ex attributis cognoscendam, non aliter atq; quando Ethici docent continentiam & tollerantiam specie differre à virtutibus, licet illæ duntaxat sint dispositiones, virtutes verò habitus. Dispositionem verò illam, quæ abire solet in habitum, ab habitu non distingui specie concedit etiam ipse* Thomas q. 7. a 2. de malo ad 4. *Atq; de illa loquuntur Boëtius, Albertus, Ægidius, Scotus* in præd. Qual. *quando Habitũ & dispositionẽ specie non differre dicunt. Potentiam porrò & impotentiã specie nõ oppositas esse ex eo liquet, cùm etiã impotentia, quatenus in qualitate ponitur, potentiæ rationẽ habeat, & minimè privationem invehat, cùm privatio in nulla locetur Categoria. Sumitur igitur Impotentia pro potentia debili, seu diminuta, quam etiam medici à morbo distinguunt, & eadem phrasi naturalem impotentiam vocant. Vnde doctis sufficit unicum nomen potentiæ pro secundâ specie, sub quâ debilis hæc imbecillitas, sive diminuta potentia, quam vulgo impotentiam vocant, contineatur. Sic paßio & paßibilis qualitas non tam specie, quàm accidentaliter differunt. Paßio enim prout hic accipitur, à patibili qualitate non distinguitur aliter, nisi quod facilè transeat, dum hæc firmiter manet. Forma tandem sumitur pro figurâ corporis Physici, sive pro limitatione quãtitatis corpori inhærentis; quæ eadem, Mathematicè abstracta,*

vocatur figura. Vnde etiam rationis discrimen est manifestum. Atq; hactenus de numero specierum Qualitatis; consequens est, ut illas ipsas seorsim videamus.

Theorema III.

Prima species qualitatis.

Prima itaq; Qualitatis species est habitus & dispositio.

Ordinis ratio.

Qualitas supra divisa est in potentialem & actualem. Potentialis est vel introducta, vel congenita.

Introducta est, quâ aliquid bene vel male dispositum est, sive ad aliquid aliud, sive ad semetipsum: *ut virtus, Ars &c.*

Introducta hæc potentia aut est perfecta, aut imperfecta.

Perfecta est firma & constans, ac tolli nequit, nisi maxima fiat mutatio, *& dicitur* Habitus, *nempe propriè ita dictus, uti potißimùm accipitur* c.8. lib. Categor. §.4. lib. δ. Met. c.20. lib.2. Eth. c.1. & seqq. *quem utcunq; circumscribimus, quod sit Qualitas extrinsecus acquisita sive introducta, permanens, sive de se stabilis in suo subjecto, ordinata per se primò ad operationem. Ex quâ descriptione intelligitur, ad omnem habitum requiri præviam quandam inclinationem & potentiam naturæ, quod disertè apparet in Musicâ & Poëticâ. Vbi autem hæc inclinatio & potentia negatur, frustra ad acquirendum habitum laboratur, juxta tritum versum:*

Habitus quid sit.

Habitus requisita.

Tu nihil invitâ dices faciesve Minervâ.

Dein-

Deinde in habitibus, primariò ita dictis, hoc est, acquisitis, labore & crebris actionibus opus est, quibus illud, quod natura dedit δυνάμει φυσικῇ, *ad actum sive executionem producas. Tria etiam requisita ponuntur ab* Aristotele lib. 3. Rhet. cap. 12. Laërtio lib. 5. de vitâ Arist. φύσις, μέθοδος, καὶ γυμνασία. *Dicitur porrò, quòd sit* permanens & de se stabilis in suo subjecto. *In quo potissimùm consistit formalis ratio habitus: nempe quod firmus sit & tolli nequeat, nisi maxima fiat mutatio: quod de* Corvino Messalâ *oratore ferunt, qui post vehementem morbum ita memoriam & sensum amisit, ut proprij nominis non meminerit: cùm id defunctis etiam agnosci creditum sit aliquandiu: hinc mos priscis, priusquam rogo imponerent cadavera, nomen proprium inclamandi.* Plinius lib. hist. mundi. 7. Cælius lib. 11. cap. 13. Antiq. lect. Eras. Roterod. Chil. 2. cent. 3. prov. 69. *Idem ferè accidit & eis, qui ex vehementi illâ peste Athenis laborarunt, cujus mentionem facit Thucidides. De summo quodam oratore refert etiam Boëtius, quem febris ita decoxit, ut omnem eruditionem perdiderit. Et Corasius* pag. 72. in explicatione Arresti, *simile quid habet, de præceptore suo ICto clarissimo, Decio. Deniq; concluditur Habitus definitio, quòd sit* ordinatus per se primò, ad operationem. *Qualitates enim (quod etiam in præcedentibus monuimus) cùm duplicem habeant usum, tum ut exornent substantiam, tum ut eandem disponant ad agendum: Habitus etsi quidem suo etiam modo exornent substantiam, id tamen non faciunt primò, sed*

Habitus formalis ratio.

Nomen proprium à defunctis agnoscitur.

Qualitatum duplex usus.

Habitus propter actionem insunt substantiæ.

per actiones : quare rectè dicitur , quòd non ornandi caussâ, sed propter actionem Habitus insint substantijs : cum alio modo, nisi experientia per actus , sive ab aliis sive à nobismetipsis , quibus insunt , cognosci non poßint : quandoquidem habitu nos valere & indutos esse judicamus , quando promptè, facilè & sine molestia operamur. Videatur Suarez disp. Metaph. 44. sect. 1. *Non autem propterea censendum est, primarium operandi principium esse habitum : siquidem potentia est, à qua operatio , ut à primo fonte, nō fluit: atq; hæc est ratio, quod à nobis dicatur qualitas potentialis: Est enim habitus præparatio & determinatio primarij agentis ad agendum : nempe ut primarium agens rectè, benè, promptè, facile , & sine dolore agat : Neq; tamen paßivè se tantùm habet Habitus, inclinando potentiam ad actum ; ut disputat* Scotus 1. d. 17. q. 2. *neq; nihil agit, ut habet opinio* Durandi 3. d. 23. q. 2. & 3. & Aureol. apud Capreol. 1. d. 17. q. 1. in princ. *Sed omninò concurrit ad actum producendum efficienter. Eo enim sensu Aristoteles* lib. 6. Eth. *habitus divisit in activos & factivos. Quæ certè divisio habitibus nullo poßet modo accommodari, nisi & ipsi agerent* lib. 2. Eth. c. 1. *& multis aliis in locis , virtutibus & vitijs actiones ascribit, tanquam caußis : &* lib. 8. Metaph. cap. 12. & lib. 9 eor. text. 2. *Habitum potentiam vocat, nempe ut ostendat Habitum quoq; vim agendi habere.*

Habitus vel est animi vel corporis.

Habi-

Habitus animi est, qui animum disponit ac determinat, ut promptè, facilè & sine molestiâ actiones illas, ad quas habitus ille inclinat, producere possit. Habitus animi quid sit.

Habitus animi aut est concreatus: aut est alio modo introductus.

Habitus concreatus est, qui in primâ creatione in & una cum animo divinitus est inspiratus & creatus.

Talis habitus fuit imago DEI *in homine seu justiciâ originalis, quæ in verâ justiciâ, sanctitate, & libertate, ut Apostolus Paulus eam describit, constituta fuit. Tales habitus concreati dici etiam possunt virtutes in angelis, sanctitas, castitas &c.*

Habitus alio modo introductus est vel Infusus, vel Acquisitus.

Habitus infusus est, qui singulari Spiritus Sancti gratiâ in mentes humanas infunditur, & dicitur θεόσδοτος.

Habitus infusus vel est extraordinarius, vel est ordinarius.

Extraordinarius habitus est, quo præditi fuerunt Prophetæ & Apostoli *& similes sancti* DEI *homines, per quorum os Iehova locutus est.*

Ordinarius est is, qui in singulis electis & pijs hominibus, Spiritus sancti gratiâ illuminatis, conspicitur: *ut fides, charitas, &c. quo modo Apostolus Paulus ad* Romanos 5. *ait* Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris. *Sed de posterio-*

posterioribus hisce habitibus, quos distinctionis ergo infusos vocamus, hic obiter, & rudi Minerva, quatenus nempe ab aliis distinguuntur: Perfectior & accuratior illorum explicatio ex Theologorum Orthodoxorum scriptis, vel ex bibliis ipsis hauriatur.

Quæris, quomodo hic habitus, nempe fides, generi rectè subjiciatur: cùm in explicatione illius dictum sit, quòd ad acquirendum habitum requiratur prævia quædam inclinatio & potentia naturæ. Quæ certè in homine animali, ut cum scripturâ loquamur, negatur. In conversione enim ad DEVM vires liberi arbitrij nihil possunt. Cùm namq; homo post lapsum in rebus hisce spiritualibus habeat intellectum tenebris obscuratum, & voluntatem adversus DEVM gerat inimicã: nullus certè suis viribus sive potentiis naturalibus gratiã vel inchoare saltem poterit. Ephes. enim 2. v. 1. dicitur: mortui eratis in delictis. *Quantũ igitur homo corporaliter mortuus ad sui vivificationẽ conferre potest, tantũ conferre potest homo spiritualiter mortuus ad suã conversionem & fidẽ. Nã juxta illud Pauli 2.* Cor 3. v. 5. nõ sufficientes sumus cogitare aliquid quasi ex nobis. *Referantur huc dicta nonnullorum Scholasticorum. Dionysius Carthusianus* in novo invento *ita ait:* Non est idem modus recipiendi formam & habitum naturalem & acquisitum, atq; formam & habitum supernaturalem infusum, nec inclinatio mentis creatæ, ad supernaturalem formam & habitum, naturalis, sed supernaturalis potius censetur. *Richardus quoq;, quem solidum Doctorem vocant, sic sensit,* quod Philo-

Philosophi, quantumcunq; excellentis ingenij, qui non fuerint supernaturaliter illuminati, nunquam cognoverint nec posuerint beatitudinem veram & plenam. Quo signo constat, quòd cognitio illius beatitudinis est homini supernaturalis. *Et Thomas Aquinas in scripto suo*: Omnes, qui rectè senserunt, *inquit*, posuerunt finem vitæ humanæ Dei contemplationem: Contemplatio autem Dei est duplex; una per creaturas, quæ est imperfecta, quantum creatura est effectus non proportionatus creatori; sed distans ab eo in infinitum: Idcirco ducit in cognitionem Dei imperfectè, in quâ Philosophus felicitatem contemplativam constituit, quæ tamen felicitas est viæ, atq; ad hãc ordinatur tota cognitio Philosophica, ex rationibus & considerationibus creaturarum procedens. Alia est contemplatio Dei, quà immediatè videtur, per suam essentiam, quæ est contemplatio perfecta, & habetur in patria, estq; possibilis homini secundùm fidei suppositionem, unde oportet ut ea, quæ sunt ad finem, proportionentur fini, sicque homo in statu viæ, ad illam beatitudinem manu ducatur non per cognitionem ex creaturis sumptam, sed ex divino lumine inspiratam. Et hæc est doctrina Theologiæ, cujus est omnibus alijs scientijs imperare, & ijs in suũ obsequiũ uti. *Hæc Thomas. Respondemus igitur 1. habitum non esse harum specierum genus univocum.*

vocum, sed analogum & πρὸς ἕν. Quod genus hanc habet naturam, ut πρώτως primò uni speciei tribuatur, reliquis propter hanc: quòd nimirum per ἀναλογίαν ad hujus naturam accedant. Cùm itaque fides sit qualitas quædam extrinsecus homini infusa, itemq; charitas, commodè ad hoc Qualitatis genus refertur. Inquis, quòd fides, quatenus qualitas est, non sit salvifica. Concedo. Nihil enim refert: nam nos agimus hic de fide, ut notitia & assensus, ideoq; in qualitate & virtus primi præcepti est. Vt autem res rectè intelligatur, omnino statuimus, quòd per fidem, quatenus notitia & assensus est, non salvemur, sed quatenus ut fiducia, in relatione arripit meritum Christi, nobisq; illud mediante hac fiducia applicamus. Negari verò non potest, cùm in omni relatione sit fundamentum, rectè dici, quòd fundamenti ratione, nempe prout notitia & assensus est, sit Ens prædicamenti Qualitatis, observata interim distinctione inter relationis fundamentum & inter ipsam relationem: non enim eadem admittunt attributa. V. C. pater dicitur habere filium, quatenus pater, hoc est, quatenus relatio hæc, nempe paternitas, illi inest per generationem filij: non autem dicitur pater, quatenus persona est, & in prædicamento substantiæ locatur. Alias enim omnis persona esset pater, quod absurdum. Ita fides, quatenus est notitia & assensus, non est salvifica, & attributum hoc, salvificum esse, minimè illi tribuitur. Non enim propter & per illam notitiam vel assensum homo fit salvus; sed per meritum Christi. Salvum enim fieri

fieri, quando absoluto tribuitur, non tribuitur qualitati, quæ in nobis est; sed actioni vel effectui, qui à Christo est, & dicitur meritum sive λύτρον, non qualitativè in nobis hærens; sed imputativè nobis attributum. Dicitur verò fides salvifica, & nos per fidem salvos fieri, quatenus ad illam qualitatem accedit relatio, nempe ipsa applicatio, & consequenter, ut relatio justificat, quæ applicatio à notitia & assensu abesse potest Nam & Diaboli sciunt articulos fidei, illis etiam assentiuntur: sciunt enim illos veros esse. Sic multi ex eorum numero, qui pro Christianis haberi volunt, notitiam hanc & assensum sumunt ut opus & propter illud opusse salvari statuūt, quo certè naturam salvificæ fidei non rectè intuentur: quandoquidem saltum faciunt ex prædicamento relationis in prædicamentum actionis, & quod fidei erat tribuendum, ut imputatio & relatio est, id eidem ascribunt, quatenus assensus & actio vel etiam qualitas est. Quod propter Pontificios illos Iebusitas tenendum puto, quando vociferantur, nos de fide loquentes & disputantes, nosmetipsos non intelligere. 2. Dicimus: licet quidem in homine non sit δύναμις φυσικὴ & inclinatio quædam naturalis ad spirituales illos motus & actus sive habitus; est nihilominus in eo intellectus & voluntas, quæ habent se ut subjectum passivum, ad hanc Spiritus sancti actionem necessarium. Quod subjectum licet in rebus divinis sit ἄχρηστον & ἄεργον: non tamen est ἄλογον & ἄψυχον: In motibus igitur hisce spiritualibus Spiritus sanctus nihil aliud, quam intellectum & voluntatem vult movere,

movere, atq; in illis assensum & fiduciam operari. Operatur enim in nobis & velle & perficere pro bonâ voluntate, inquit scriptura Philip. 2. v. 13. *Ad illam autem operationem necessariò requiritur (non enim hîc de creatione agimus, siquidem non novam creat voluntatem spiritus* DEI, *sed tantùm in illo operatur velle spirituale) voluntas, ut conditio, sine quâ Spiritus sanctus operari non vult, neq; (quia de ordinariâ actione hic loquimur) potest. Vnde non truncus vel irrationale regeneratur, sive in eo velle efficitur, quia in illo subjectum bujus operationis proximum & immediatum negatur, quod est intellectus & voluntas humana. In intellectu itaq; & voluntate Spiritus sanctus operatur notitiam, assensum & fiduciam in Christum. Vnde nonnulli, ut Dn. Philippus & alij dixerunt, voluntatem in actu regenerationis concurrere ut caussam sine quâ non. Scio hoc à multis reprehendi, ijsq; clarißimis & doctißimis Theologis. Verùm salvo illorum, & aliorum bonorum virorum judicio & authoritate, phrasin hanc ad bonum & convenientem sensum trahi posse existimamus. Nam caussa-sine-quâ-non, non est vera caussa, sed* καταχρηστικῶς, *abusivè ita dicitur à Galeno, qui omnem conditionem, ad actionem necessariam, caussam-sine-quâ-non appellare videtur: ut curationis vulneris caussam-sine-quâ-non vocat remotionem puris: cùm remotio puris nihil minus sit quàm caussa. Remoto enim pure, incipiunt caussæ, propriè ita dictæ, primùm operari. Hoc modo generationis item alterationis caussam dicere possem Tempus & locum, quia extra tempus & extra locum, item*

item sine tempore & sine loco nihil generatur: cùm tamen tempus, item locus, inter caussas istorum effectuum minimè numeranda sint. Summa: caussa-sine-qua-non est tantùm caussa nomine, non re tenus, ut illud supra lib.1.Exercit.4. *à nobis explicatum est, nempe, est nihil aliud, quàm conditio necessaria ad producendum effectum. Quia igitur talis conditio est voluntas, & tota hæc descriptio in actu regenerationis tribuitur voluntati, illud nomen caussæ-sine-qua-non, nihil absurdi afferre potest. Quid vetat illud opus, nempe audire verbum, in ordinariâ regeneratione, de quâ dicitur, quod fides sit ex auditu, nominare caussam sine-qua-non regenerationis. Nam qui non audit, in illo etiam Spiritus sanctus non est efficax. Num autem propterea censendum est, si ita statuatur, illud opus, audire verbum, esse veram caussam, caussam propriè ita dictam? Minime gentium. Nam tantùm est conditio, ad actionem Spiritus sancti necessaria, hoc est, est medium quoddam, quo Spiritus sanctus in regeneratione utitur. Sic Mens humana, licet quodammodo diversam habeat rationem; tamen necessariò requiritur ut subjectum patiens, in quo est (ut loquitur Dn. Gesnerus* disp.4. in Concord. cap 2. th.37.) παθητικὴ *capacitas, id est mens, cōveniens doctrinæ ὑποκείμενον, qua homo à trunco & lapide & bestia discernitur: in quem agat Spiritus sanctus. Quemadmodum igitur omne subjectum patiens, actioni certæ destinatum, rectè dicitur caussa-sine-qua-non fieri potest ejusmodi actio: ita etiam intellectus & voluntas, non totus homo, πρώτως dici possunt caus-*

sa-sine-quâ-non conversionis. Si verò Philippus per caussam-sine-quâ-non intelligat caussam adjuvantem & σύνεργον, adeoq; efficaciam quandam illi attribuat, atq; hoc modo voluntatem caussam-sine-quâ-non finiat, quod probant ex ejus scriptis nostri Theologi: dicimus Philippum terminum istum, causa-sine-quâ-non, vel non intelligere, vel intellectum malè applicare. Nam caussa-sine-quâ-non, non efficienter concurrit ad effectum constituendum. Deinde potentiam passivam divisimus supra in naturalem & obedientialem: Potentia passiva naturalis dicta fuit ea, quæ ab agente suo naturali in actum naturalem potest deduci naturaliter. Hæc potentia non est fidei. Quia enim fides non est effectus naturalis, sed supernaturalis; naturalem potentiam passivam habere nequit. Potentia obedientialis (qui terminus hic rectè, hoc est, Metaphysicè intelligatur, ne ansa sit calumniandi) est, nempe quâ res superioris caussæ ductum præter vel etiam contra naturam suam sequitur: Quæ potentia passiva duplici potentiæ subjicitur: nempe vel potentiæ activæ artificis, sive arti; vel virtuti Dei: potentia obedientialis, arti subjecta, dicta fuit, quatenus quædam res natæ sunt obedire operationi artificis, ut artificialis forma in illis figuretur & formetur: Talis potentia passiva non est voluntas, hoc loco considerata: nullâ enim arte fides salvifica in homine potest produci. Potentia verò obedientialis potentiæ divinæ subjici dicitur, quatenus nimirum res omnes natæ sunt

obedi-

obedire actioni divinæ in τῷ fieri. Vt ex ferro potentiâ obedientiali, ad DEVM relatâ, fieri potest capra vel vitulus. Ad hanc speciem referri potest voluntas humana, & de eâ dici, quòd hoc modo in illa sit potentia obedientialis, ut possit spiritualiter mortua mutari, ut spiritualiter vivat & credat: hoc est, in eâ generari assensus & fiducia, & ex nolente fieri volens, ex repugnante consentiens. Nam licet quidem generaliter ponatur in voluntate velle, tamen naturaliter in eo non est hoc velle, hoc est, spiritualiter velle. Quare, (ut tandem concludamus) licet quidem in homine non detur naturalis quædam potentia ad recipiendum producendumq; habitum illum infusum, datur nihilominus in locum ejus caussa-sine-quâ-non, Mens, quâ homo distinguitur à bruto vel trunco: datur deinde potentia passiva obedientialis, nempe velle in genere, hoc est, datur actus volendi, qui quidem actus licet sit naturaliter determinatus ad ea, quæ Deo & saluti suæ sunt opposita: nihilominus tamen quia hic actioni divinæ subjicitur, illud malum velle, etiam tum quando resistit, in bonum scit mutare omnipotens & misericors DEVS. Atq; hæc (uti diximus) quasi obiter de habitu infuso: Sequitur nunc habitus acquisitus.

Habitus acquisitus est, qui humanâ diligentiâ, præceptis & crebris actionum repetitionibus acquiritur: *vel, ut eum Dn. Philippus Melanchthon definit: habitus est qua-* **Habitus acquisitus, quid sit.**

litas comparata crebris actionibus in hominibus, quâ rectè & facilè efficere possunt actiones illas, quæ à suo habitu gubernantur & juvantur. Vocatur hic habitus græcis ἐπίκτητ☉. Atq; hæc est potior habituum species.

Habitus animi acquisitus est vel Intellectus, vel Appetitus.

Habitus intellectus quid sit.

Habitus *Intellectus est* ἕξις τῆς ψυχῆς λογικῆς ῇ ἀληθεύει τῷ καταφᾶναι καὶ ἀποφᾶναι: *Habitus, quo animus rationalis affirmando negandoq; verum enunciat.* Aristoteles lib. 6. Eth. c. 3. Ex *definitione hâc primùm subjectum ijusmodi habitus patet, videlicet* ἡ διάνοια, ἡ ψυχὴ λογική; *cujus duæ sunt facultates sive potentiæ. Vna* ἐπιστημονικὴ, *quâ ejusmodi res contemplamur, quarum principia aliter se habere non possunt, vulgo intellectus speculativus: altera* λογιστικὴ ἡ βουλευτικὴ, *quâ res contingentes percipimus, vulgo intellectus activus* Arist. lib. 6. Eth. c. 1. & lib. 3. de anim. cap. 9. & 10. *Deinde habitus sive virtutis intellectualis,* κυρίως *dictæ, hæc additur potestas, quòd per eam intellectus nunquam falsum, sed semper verum enunciet, id sive in rerum necessariarum speculatione fiat, sive in honestis actionibus persequendis, turpibus fugiendis.* 6. Eth. cap. 2. *Tertiò Deum & Naturam in animo hominis tria omnis veritatis & actionis reposuisse principia à Philosopho monemur* 3. Rhet. c. 10 & 6. Eth. cap. 2. *quorum 1.* ὁ αἴσθησις *sensus. 2.* ὁ νοῦς, *mens. 3.* ἡ

ὄρεξις

ὄρεξις appetitus. Et sensus quidem tantùm cognitionis, appetitus tantùm actionis, mens utriusq; est principium, prout vel illi, vel huic, jungitur. Ex mente & appetitu quasi compositis secundarium quoddam existit principium, ἡ προαίρεσις electio, quæ eleganter, à naturæ genio ὀρεκτικὸς νοῦς, ἢ ὄρεξις διανοητικὴ vocatur: ea si rectè rationis suadentis, nec non appetitus prosequentis, concentum habet, bona est, & τῆς εὐπραξίας scaturigo: sin vitiosâ ratione depravatisq; constat affectibus, mala est, ac τὴν κακοπραγίαν parit. Finis deniq; virtutum intellectualium vel in veritatis theoriâ, vel in virtutis actione, aliove opere consistit, lib. ά. min. Metaphys. cap. 1. Hæc caussarum enucleatio discrimen Rationis sive Intellectus habituum, à moralibus ostendit, qui in rationis experte (ut comparatè loquamur) sunt animi parte 1. Eth. cap. 13. & bonum, non verum prosequuntur, ab appetitu rectè proveniunt, semperq; ab actione suam sortiuntur perfectionem. Removet etiam ab hoc instituto τὴν ὑπόληψιν καὶ δόξαν suspicionem & opinionem, quæ ἀκύρως habitus intellectuales nuncupantur. 1. post. anal. c. 26. t. 44. quoniam circa veritatem crebro decipiunt, nostrumq; adeo intellectum non perficiunt. 2. post. analyt. cap. 18. t. 27. & 6. Eth. cap. 3. Ex quibus etiam satis liquet, dari Habitum in intellectu: ut & illud ipsum experientia satis testatur, quando rusticum indoctum, Philosophum doctum appellamus: hunc, quia

Piccolom. negat habitum in Intellectu.

poßidet habitum; illum, quia eo caret. Verùm Piccolomineus in grad. Moral. 2 c. 7. *negat habitus in intellectu quicquam esse, deceptus loco Aristotelis* lib. 7. Phys. t. 17. 18. &c. *Vnde habitus hosce ex qualitate ad relationem transfert: sed opinioni huic absurdæ reclamat tota antiquitas, quæ habitum in primâ qualitatis specie collocat, simulq; rei veritas: nam, ut in præcedentibus quoq; dictum est, dum sæpè reiterat intellectionem animus, tandem percipit, se facultatem quandam acquisivisse intelligendi, quam revera in animo hærere certum est.*

Objectio.

Objicis: intellectus est potentia naturaliter operans: Ergo non videtur indigere alio habitu, præter species intelligibiles.

Responsio.

Eruditè ad objectionem illam respondet Suarez disp. Metaphys. 44. s. 4. dist. 8. Quamvis, *inquit*, intellectus sit potentia naturaliter agens; ex parte tamen objectorum & mediorum, quibus utitur ad ferendum de rebus judicium, illum sæpe non satis determinari, neq; necessitari: & tunc esse utilem habitum ad inclinandum intellectum in unam partem potius, quàm in aliam. *Videatur ipse Suarez loco allegato.*

Habituum intellectualium divisio.

Habitus intellectuales vel sunt principales, vel sunt instrumentales.

Apud Aristotelem, qui ad Cardinales sive primarios habitus ubiq; respexit, hæc divisio non habetur, Verùm cum præter illos adhuc alia habituum detur claßis, qui ad nullum ex principalibus

habi-

habitibus cogi possunt, uti sufficienter demonstravit Zabarella lib. I. de nat. Log. cap. 10. ex 1. Top. cap. 9. sive 11. & lib. ά. min. Metaphys. t. 15. *hæc divisio negligenda non est.*

Habitus intellectuales principales sunt, qui proprium & determinatum habent subjectum, & propter se sunt & addiscuntur. Habitus intellectualis principalis quid sit.

Habitus intellectuales vel sunt θεωρητικοὶ contemplativi: vel πρακτικοὶ καὶ ποιητικοὶ activi & factivi. Habitus principalis divisio.

Habitus contemplativi sunt, quorum principium in ipsis est rebus, ut tum demum perfecta sit à rebus cognitio, si hisce adæquetur. Habitus contemplativi quid sint, & quotuplices.

Habitus contemplativus vel est Intelligentia, & Scientia; vel Sapientia.

Intelligentia est, quæ facit cognoscere principia. Intelligentia quid sit.

ὁ νοῦς ἐστὶν ἕξις, ᾗ τὰς ἀρχὰς γνωρίζομεν,

hoc est, Intelligentia est habitus, quo prima principia, quæ medio & caußa carent, absq; medio & caussa cognoscimus, cognoscendo illis credimus, firmiterq; assentimur. 6. Eth. 6. *Quomodo itaq; à reliquis habitibus distinguatur, facilè intelligitur: neq; enim scientia neq; sapientia credit; sed utraq; demonstrat: & Ars itemq; prudentia non versantur circa ejusmodi principia necessaria. Intelligitur porrò ex posita definitione, quòd hujus habitus objectum sunt ipsa principia & ἀξιώματα scientiarum & artium: quorum notitia nec planè à naturâ ingenita est, ut Plato* in Menone *statuit, nec planè demum à nobis acquiritur. Est enim vis quædam naturalis in homine, quæ eum ad parandam principiorum cognitionem reddit aptum, & appellatur* κριτικὴ δύναμις: *consistitq; partim in sensu, partim in memoria, partim in ratione. Hæc vis exeritur postea si res sensu perceptæ, seu earum species in memoria resident & remanent, ex quibus ratio communem quandam colligit notionem inductione, & experientia, unde habitus intelligentiæ nascitur.* 2. post. anal. c. ultimo.

Scientia quid sit.

Ἐπιστήμη ἐστὶν ἕξις ἀποδεικτικὴ ἐξ ἀναγκαίων: Scientia est habitus demonstrativus, quo percipimus & cognoscimus conclusiones ex necessarijs principijs.

Acquiritur itaq; scientia per Demonstrationem, quæ nihil est aliud, quàm συλλογισμὸς ἐπιστημονικός

νικὸς ἐξ ἀναγκαίων: &, si perfecta est, de re proposita seu genere subjecto, propriam affectionem per proximam & immediatā caussam demonstrat. Ac ne fortè hesternus aliquis Logicus ogganiat, ejusmodi syllogismū nuspiam inveniri, adeoq; ejus doctrinam Aristotelici cerebri figmentū esse: idcirco ex aliis infinitis pauca hæc exempla apponere placuit. 1. Ex 2. Phys. c. 1. omne naturale est mobile: omne corpus est naturale: Ergo omne corpus est mobile. 2. Quicquid habet animam vegetantem, habet vim generandi sibi simile: Omne corpus vivum habet animam vegetantem: Ergo omne corpus vivum habet vim generandi sibi simile. 3. Quicquid habet animam sensitivam, habet vim appetendi & sentiendi: At omne animal habet animam sensitivam: Ergo habet vim appetendi & sentiendi. 4. Quod patitur humoris cōgelationem circa folia, id defrondescit: Omnis arbor latifolia (ut vitis) patitur humoris congelationem: Ergo defrondescit. 5. Cui fervet sanguis circa cor, accensus cupiditate rem molestam repellendi, irascitur: At animali sanguineo fervet sanguis &c. Ergo irascitur. 6. Quodcunq; redanimabitur, illud reviviscet; At in extremo judicio corpora nostra redanimabuntur: Ergo in extremo judicio corpora nostra reviviscent: & per consequens, resurgent. Ut autem per demonstrationem perfecta habeatur scientia, principia ejus oportet esse ἀληθῆ, πρῶτα, ἄμεσα, πρότερα, γνωριμώτερα, καὶ αἴτια τοῦ συμπεράσματος: vera, prima, immediata, priora, notiora & caussas conclusionis 1. post. anal. c. 2. & 1. Top. c. 1. quoniam secus quæ se habent, non efficiunt in

animo scientiam ἀμετάπτωτον καὶ ἀμετάπιστον sed ἐπιστήμην κατὰ συμβεβηκός. Objectum hujus habitus est τὸ ἐπιστητὸν scibile, cujus hæ sunt notæ 1. debet esse Ens per se, non per accidens. 2. Universale, non singulare. 3. necessarium, non contingens. 4. æternum & immobile, sive sit æternum simpliciter, sive ratione caussarum, ad quas necessitate perpetuâ sequitur. Obiter & hoc notemus: Democritum, Heraclitum, & alios, qui omnem negarunt scientiam: & Academicos, qui scientiam esse reminiscentiam statuerunt, hâc ex parte non scientiâ usos, sed oppositâ veræ cognitioni, falsâ opinione, quæ græcis ἄγνοια κατ᾽ διάθεσιν dicitur 1. post. analyt. c. 3. & 12.

Sapientia quid sit.

Ἡ σοφία ἐστὶ καὶ ἐπιστήμη, καὶ νοῦς τῶν τιμιωτάτων τῇ φύσει: Sapientia est habitus, quo res honoratissimas & præstantissimas cognoscimus, & tum principia demonstrationū, tum conclusiones percipimus. 6. Eth. c. 7. *Non ergo hic generaliter, ut aliàs sapientia accipitur pro insigniore cujusvis artis peritiâ: sicuti Apelles eximius pictor, sapiens vocari potest: nec specialius aliquanto pro rerum divinarum humanarumq; & caussarum, quibus illæ continentur, notitiâ, quam Pythagoras Philosophiam primus dixit: sed specialißimè pro solâ illâ scientiâ, quæ caput habet, & veluti princeps & regina est omnium, videlicet pro Metaphysica,* lib. α. major. Meta. c. 2.

Obje-

Objectum τῆς σοφίας sunt principia, simulq; inde deductæ conclusiones; quorum utrorumq; cognitione qui pollet, σόφος sapiens nominatur, licet prudentiâ in rebus gerendis careat. Sicuti Anaxagoram & Thaletem, sapientes utiq;, non item prudentes esse fatemur. 6. Eth. c. 7. *Atque hi tres commemorati habitus sunt contemplativi, & in eâ locantur animi parte, quæ ἐπιστημονικὴ nuncupatur, finemq; respiciunt solã γνῶσιν τῆς ἀληθείας veritatis cognitionem.* lib. ά. min. Met. c. 1. & 1. Top. c. 7. & 9.

Habitus practicus est, cujus principium est in agente Electio, diciturq; prudentia. ἡ φρόνησίς ἐστιν ἕξις μετὰ λόγου ἀληθοῦς πρακτική, περὶ τὰ ἀνθρώπου ἀγαθὰ καὶ κακά. Prudentia est habitus verâ cũ ratione activus circa ea, quæ homini bona sũt vel mala. Habitus practicus quid sit. Prudentia quid sit.

Objectum itaq; ejus sunt τὰ πρακτὰ, quæ 1. Eth. 3. *τὰ ἀγαθὰ, τὰ καλὰ, τὰ δίκαια dicuntur, hoc est, omnia bona, honesta, justa, quæ homini ad benè vivendum sunt necessaria:* lib. 6. Eth. cap. 5.

Prudentia hæc vel est φρόνησις περὶ αὑτὸν καὶ ἕνα: prudentia privata: vel φρόνησις περὶ ἄλλους prudentia communis. Prudentiæ divisio.

Prudentia privata est facultas rectè consulendi sibiipsi atq; privatis suis commodis.

Prudentia communis est facultas rectè consulendi de aliorum commodis.

Prudentia communis dividitur vulgo in οἰκονομικὴν, *domesticam : &* πολιτικὴν *civilem.*

Prudentia Oeconomica est, quâ prospicimus ea, quæ familiæ nostræ sunt utilia.

Prudentia Politica est, quâ Reipublicæ consulimus, vel τῇ νομοθεσίᾳ *leges justas ferendo ac dextrè explicando, vel* τῇ πράξει *rectâ administratione alicujus publici muneris, sive hæc fiat deliberando de rebus futuris, sive judicando & statuendo de factis præteritis, quid justum in illis, injustumve sit* 6. Eth. c. 8.

Ex quâ descriptione intelligitur, quod prudentia singularium actionum exercitio diuturno & longâ experientiâ acquiritur, quo fit ut adolescentes Mathematicis quidem politi disciplinis esse queant, prudentes autem minimè.

Partes Prudentiæ trito illo Augusti verè augusti Imperatoris apophthegmate : σπεῦδε βραδέως, festina lentè *: indicatur. Siquidem prudens primò tardè de rebus agendis consultare, omnesq; intueri circumstantias debet ; deinde consultatione ritè peractâ, festinanter ad actionem se accingere. Ad hoc verò munus prudentiæ, eo rectius obeundum, plurimùm confert* ἡ δεινότης *; Solertia, quæ est naturalis vis intelligendi & excogitandi ea media, quibus ad scopum nobis propositum felicius collimare licet. Loquimur autem non de pravâ solertiâ, quæ ad finem bonum per mala pergere media conatur, & dicitur versutia seu calliditas : sed de bonâ, quæ ad bonum finem per media honesta contendit.* 6. Eth. c.

12. Com-

12. *Comitatur Prudentiam* 1. ἡ εὐβουλία *bona consultatio, de fine vero per convenientia media oportuno tempore consequendo:* 2. ἡ σύνεσις *perspicacitas, quæ naturalis est promptitudo extemplo, quid in re propositâ suspiciendum sit, intelligere faciens:* 3. ἡ γνώμη *sententia, quæ singularis est in dictis factisq; aliorum æstimandi dexteritas.* 6. Eth. c. 9. 10. & 11. ἡ τέχνη ἐστὶν ἕξις μετὰ λόγου ποιητική: Ars est habitus cum verâ ratione effectivus. 6. Eth. cap. 4. Ars quid sit.

Non enim artis vox hic adeò generaliter sumitur, ut scientiam quoq; comprehendat, veluti aliàs usurpatur 1. post. c. 1. ά. major. Metaph. c. 7. *& aliis infinitis locis; nec in relatione hic consideratur, quatenus est* σύστημα ἐγκαταλήψεων ἐγγεγυμνασμένων πρός τι τέλος εὔχρηστον τῶν ἐν τῷ βίῳ, *ut à Luciano* in parasito *definitur: & opificia solùm complectitur mechanica & manuaria. Objectum artis sunt* τὰ ποιητὰ, *res, quas secundùm exemplar, mente conceptum, fabricare & operari artifex potest: adeoq; sunt res contingentes, quarum principium non in ipsis, sed in faciente seu artifice est: quo differunt artificialia à naturalibus* ὁρμὴν τῆς μεταβολῆς ἔμφυτον *habentibus* lib. 2. Physicor. c. 1. t. 2. *Ac quia ars circa contingentia versatur, fit, ut magna ei cum fortunâ cognatio intercedat, quemadmodum Poeta canit:*

Τέχνη τύχην ἔστερξε, καὶ τύχη τέχνην:

Nempe

Nempe ars fortunam, fortunaq; diligit
artem.

Differunt tamen, quòd experientia artem, fortunam verò & casum imperitia peperit : α. major. Metaph. c. 1. *Ars etiam in ijs, quæ ut plurimùm eodem se modo habent, fortuna in raris eventibus cernitur*, lib. 2. Phys. c. 5. *Finis artis est, externum aliquod opus, quod artifex per Ideam mente prius conceperat, producere, quod vitæ humanæ sit utile.*

Habitus intellectus instrumentalis quid sit.

Habitus intellectus instrumentales sunt, qui certum subjectum non habent: sed quos expetit & sibi fabricat intellectus, non propter se; sed propter alium finem, in habitibus realibus acquirendum.

Ex quâ definitione intelligitur, quomodo distinguãtur ab habitibus realibus hi habitus instrumẽtales. 1. *Habitus principales habent certum, limitatũ, & definitũ* ἐπιστητὸν ὄντος *genus, certãq; philosophiæ partem constituunt : quòd de habitibus intellectualibus negatur.* 2. *Omnes habitus principales propter semetipsos addiscuntur: quòd etiã negatur de habitibus instrumentalibus. Hi enim tantũ alterius gratia sunt : unde & rectè instrumenta dicuntur. Instrumentum enim est, quod tantũ alterius cujusdam gratiâ est, ut docet Aristoteles* lib. 1. de partibus anim. cap. 5.

Habituum instrumentalium divisio.

Habitus intellectuales instrumenta-

mentales regunt vel orationem, vel rationem sive ipsum intellectum. Qui orationem regunt, aut eum formare docent, & dicitur ille habitus Grammatica: aut eum ornant, ut Rhetorica & Poëtica.

Quod Grammatica sit habitus organicus manifestum est: nam non docet, quomodo per organa Physica vox & oratio fiat; sed tantùm in vocibus articulatis noëmata secunda format, & fingit, ut sunt nomen, verbum, pronomen; item declinatio, conjugatio, casus, nominativus, genitivus; numerus singularis, pluralis; modus, tempus &c. Voces articulatæ igitur, quia in quadruplici sunt differentiâ, & quatuor gradibus progrediuntur ad suam perfectionem, fit, ut in Grammaticâ sint quatuor gradus secundarum notionum: quorum primus litteras, secundus syllabas, tertius dictiones, quartus denique orationem integram aptè & concinnè, formare docet: non aliter atque in Logicâ (cujus notiones secundæ in conceptibus rerum fundantur, & tanquam in subjectâ materiâ formantur) propter tres gradus conceptuum rerum, tres quoque gradus secundarum notionum habentur. In simplicibus enim rerum conceptibus formantur à Logicâ secundæ notiones, primi gradus, ut sunt genus, species &c. In compositis autem & divisis rerum conceptibus efficitur secundus gradus Grammatica.

secun-

secundarum notionum, ut Enunciatio, affirmatio, negatio, contradictio: Deniq; in ipsa ratiocinatione, quâ primi conceptus alij ex aliis colliguntur, tertius & perfectißimus secundarum notionum gradus efformatur, ut Syllogismus. Deinde quoq; ex fine manifestum est, quòd Grammatica sit habitus instrumentalis: Grammaticarum enim notionum secundarum finis sive caussa finalis est linguarum cognitio. Nam si quæratur, cur in vocibus rerum significantibus effingantur secundæ notiones Grammaticæ absq; dubio respondendum est, ut sint instrumenta, quibus ad linguarum cognitionem pervehamur: per quam deinde ad cognitionem scientiarum & disciplinarum, aliarumq; rerum in aliena lingua tractatarum & propositarum, pervenire poßimus. Vnde Grammaticam ita definiri posse arbitramur: quòd sit habitus mentis instrumentalis, in vocibus articulatis noêmata secunda formans, instrumenta ad linguarum cognitionem necessaria. *Rhetoricam habitum instrumentalem esse probatur: 1. quia, quemadmodum Logica, quòd instrumenta rationis efformat, dicitur rectè instrumentalis habitus; ita etiam Rhetorica ob similem caussam, quòd scilicet instrumenta elocutionis tradit, instrumentalis est. 2. quia ob eandem caussam Dialectica & Rhetorica, quod nimirum excogitent modum argumentandi pro utriusq; partis defensione, vocantur ab Aristotele tantùm δυνάμεις.* Videatur Zabarella lib. 1. de natura Log. c. 9. *Tertiò quia non propter se ipsam, sed alterius duntaxat gratia addiscitur. Circa rationem hanc quæ-*

Grammatica quid sit.

Rhetorica.

Cui inserviat Rhetorica.

ritur, cuinam vel facultati vel scientiæ operam locet? Quocirca ut veritatem inquiramus, in hunc modum ratiocinamur: Rhetorica aut inservit omni & toti Philosophiæ, aut tantùm ejus parti: sed non omni: Ergo parti tantùm. Minor probatur in sequentibus: Si tantùm parti; aut inservit Theoricæ aut practicæ. Non Theoricæ: Ergo. Major manifesta est. Nam Philosophia rectè in θεωρητικὴν & πρακτικὴν dividitur; nempe ratione finis & subjecti. θεωρητικὴ enim intellectum perficit, & finem habet cognitionem: πρακτικὴ appetitum regit, & veri boni consecutione explet, sive in actione quiescit. Ad minorem igitur quod spectat, & quòd Rhetorica Theoreticæ parti non inserviat, manifestum est. Nam illud est instrumentum Philosophiæ Theoricæ, quod ad veritatem deducit: Atqui hoc non facit Rhetorica: Ergo. Major plana est. Nam Theorica Philosophia sola & tantùm veritatem contemplatur, & in eâ cognitâ acquiescit, à quâ contemplatione etiam Theorica dicta est. Minor inde liquet. Nam quando hâc in parte errores & sophismata scimus resolvere; deinde probabilibus argumentis rem quodammodo & leviter probamus; & tandem demonstrationem invenimus; rectè nos nostro functos esse officio, & ad veram contemplationem verâ viâ processisse judicamur. At hæc officia & operationes omnes sunt Logicæ. Nam sophismata resolvere & vitare, docent elenchi Sophistici: sternere viam ad futuram demonstrationem, sive probabiliter disputare & rem probare, monstrant libri Topici: Et tandem ut Apodictice concludamus, Demonstratorij libri

faciunt:ut ita hic nullum Rhetoricæ relinquatur officium, adeo ut Philosophus lib.1.Eth.*verè dicat, ridiculum esse, si Mathematicus persuadere velit, ac si Rhetor demonstrare. Aut igitur Rhetorica ad nullam rem est utilis, aut ad practicam Philosophiam pertinet. Nam ad ποιητικὴν eam referre non possum9: longè enim nobilior est, quàm ut sordidis rebus inserviat. Philosophia Practica dividitur in Ethicam & Politicam. Ethica est, quæ tradit principia, fundamenta & semina universæ Philosophiæ moralis, sive civilis. Politica magis, quàm illa, practica est. Descendit enim ad gradus, & proponit unicuiq; gradui & conditioni hominis. Hanc autem divisionem veram esse, manifestum est: Omnis enim disciplina habet commune subjectum: commune subjectum communia habet principia, communes itidem affectiones, quæ fundamenta universæ Philosophiæ prius declarant. Quare cum civilis disciplina una sit, necesse est, ut sit prædita communibus principiis, communi fine, communibusq; affectionibus, primò declarandis: & falsum est, quod primò de uno distincto genere vitæ, unoq; ejus proprio bono agendum sit. Proinde, ut ōnes disciplinæ practicæ in partes duas, non plures, dividuntur, quarum una in rerum judicio & investigatione est occupata, & Theorica; altera in operatione, & practica dicitur: ita doctrinam civilem in duas partes distribuendam esse censemus. Cùm igitur hunc in modum rectè dividatur Philosophia practica; quæritur porrò, an potius Rhetorica Ethicæ, an politicæ serviat. Ethicam diximus tantùm tradere principia & semina universæ Philosophiæ*

phiæ

phiæ moralis: Item Ethicam instar fundamenti politices, & quasi Theoricam, sive contemplativam practicæ Philosophiæ esse. Quare hic Rhetorica nihil efficiet. Nam omnis cognitionis finis est veritas: Instrumentum autem, quod ad veritatem ducit, Logicam solam & unicam esse demonstratum est. Inquis, ultimum autem finem Ethices, Actionem esse? sit ita: sed neq; ad hanc conducit Rhetorica. Si enim hujus consideratur actio, concedendum est, Ethicam talem doctrinam esse, quâ quisq; bonum reddere seipsum doceatur. Quis autem sine maximâ absurditate & stultitiâ seipsum Rhetoricâ & institutâ declamatione sive oratione docebit, vel sibiipsi ad agendum aliquid persuadebit. Imo secundùm sententiam Zabarellæ & veritatem lib 2. de nat. Log. c. 14. non tantùm Rhetoricâ non opus est ad actionem Ethicam; sed etiam Logica artificialis hic nihil habebit, quod expediat; cùm illud Logica naturalis sufficienter præstare queat. Quia igitur neq; ad cognitionem, neq; ad actionem moralis disciplinæ nihil conducit Rhetorica; illius instrumentum nullo modo erit. Relinquitur itaq;, solius partis civilis & politices instrumentum, Rhetoricam esse. In civili autem parte duo diligentissimè consideranda & observanda sunt: cognitio & actio: cognitio in librorum politicorum scientiâ consistit, ad quam non Rhetorica, sed, uti patet, Logica, ut instrumentum adhibenda est. Nam rectè scripta Politica evolvere, sive ea sint Aristotelis, sive Platonis, sive Ciceronis, sive Lipsij, sive aliorum neotericorum, nihil emolumenti Rhetorica, sed multùm affert Logica; quemadmodum etiam Logica

Rhetorica est politices instrumentum.

In politica duo consideranda.

gica ad accuratiorem Ethices cognitionem necessariò requirebatur. Remanet itaq; Rhetoricæ actio, quæ cognitionem illam sequitur. Considerandum verò est, qualis sit illa actio civilis; & quare eam vir politicus respiciat: quandoquidem in eo totum negotium versari videtur. Distinguendum initio est inter Privatum, & Politicum. Privatus ipse tantùm benè agere conatur: Politicus verò alios ad bene agendum & rectè vivendum incitare. Politicus igitur sive vir civilis in id unicè incumbere debet, ut cives rectæ rationi obediant. Respicit ergo ejus cognitio actionem: verum non talem, qualem Ethicus sive privatus, qui saltem seipsum intuetur & considerat, quatenus ipse fiat & sit melior. Quemadmodum igitur, ut rectè habet Zabarella, cognitio facultatis moralis principium est bonarum actionum in ipsomet cognoscente; ita cognitio facultatis civilis, quæ in civili homine est, & civitatem regente, principium est actionum bonarum in civibus: quòd si civis aliquis ex cognitione moralis disciplinæ, quam ipse habet, bene agit, id facit, quatenus est moralis, non quatenus à civili homine regitur: quare cives benè agere ex bono gubernantis regimine nihil aliud est, quàm eorum actiones pendere ex cognitione, quæ est in alio, nempe in ipso civili homine, gubernante.

Rhetoris officium.

Quare, ut idem Zabarella inquit, Rhetor in genere quidem deliberativo persuadet ea, quæ commoda & honesta Reipublicæ futura sunt; in judiciali, judicibus persuadet, ut justè judicent; in Demonstrativo autem bonos laudando, ad eorum imitationem alios impellit, & pravos vituperando, ab eorum imitatione au-

ne auditores retrahit. Et Iulius Cæsar Scaliger lib. 1. Poëtices c. 1. Orator, *inquit*, in foro agit, ut bono benè, malo malè sit: in concione & concilijs, ut ritè Respublica gubernetur; in laudationibus, ut bonorum imitatione à vitijs abstineamus; quod deinde honesti generi apponitur, sectemur atq; agamus. *Et ipse Cicero* lib. 1. Rhet. ad Herennium: Rhetoris officium est, *inquit*, de his rebus posse dicere, quæ res ad usum civilem moribus ac legibus constitutæ sunt. *Hæc quando rectè intelliguntur, rectè etiam de Rhetorica judicabitur. Finem ejus diximus esse, ut auditorem ad actionem impellat. Ergo quæ materia illud non præstat, Rhetoricæ non est subjicienda. Ergo perperam judicant, & pessimè hallucinantur, qui promiscuè quamvis materiam Rhetoricæ subjectam volunt. Atq; hoc est, quòd apud Ciceronem* lib. 2. de Oratore *Antonius ait*: Si est Oratoris, quæcunq; res infinitè positæ sint, de ijs posse dicere, dicendum erit eis quanta sit magnitudo mundi, quæ forma terræ, de Mathematicis, de Musicis reb9 &c. *Si omne illud, quod Philosophiæ subjicitur, tractandum est à Rhetore sive Oratore, dicendum ei erit de elementis, de mixtione, de elementorum formis in mixtis, de generatione, de corruptione, alterationibus, augmentationibus: Item de circulis, de angulis, & similibus rebus Mathematicis: quod fieri non posse manifestum est. Nam si absurdum esse censuit Philosophus in doctrinâ Ethicâ quærere demonstrationes, quòd illas materia Ethica non patiatur: quantò*

Quæ materia Rhetori subjiciatur.

magis absurdum & ἄτοπον erit, oratori necessaria illa & scientifica subjicere, quippe quæ Oratorio modo nequaquam tractari possunt. Cùm igitur omnis in universum materia Rhetori nequaquam subjiciatur, primus, isq; satis magnus Ramistarum error est conspicuus, quòd scilicet materias non distinguant, illarumq; delectum non faciant; planeq; illa tria caussarum genera: demonstrativum, deliberativum, & Iudiciale, à Cicerone lib.1. Rhet.*tradita & distincta, rejiciant. Et si verum est, ut est, quod in tribus totum Oratoris officium consistere statuit apud Ciceronem Antonius, primò in conciliandis hominum animis, deinde in argumentorum vi, & deniq; in affectuum motu; omniumq; illorum loci quidam dantur; quis tam bardus & stupidus erit, ut statuat locos illos ex nudis illis locorum nomenclaturis, à Ramo in suâ Dialecticâ traditis, æquè commodè desumi posse? Et negari non potest, quòd sæpenumero (idq; potissimùm in oratione) homines affectibus, amore, odio, irâ &c. magis ducantur, quàm argumentis firmis, ex locis inventionis petitis. De quo ita Cicero*: Nihil, *inquit*, est in dicendo, Catule, majus, quàm ut faveat Oratori is, qui audit, utq; is sic moveatur, ut impetu quodam animi & perturbatione magis, quàm judicio & consilio, regatur. Plura enim multò homines judicant odio vel amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitiâ, aut spe, aut timore, aut errore, aut aliâ aliquâ permotione mentis; quàm

Ramistarum error.

Oratoris officium in tribus.

quàm veritate, aut præscripto, aut juris normâ aliquâ, aut judicij formâ, aut legibus. *Imò qui hic inventionem rejicit, ex habitu perfecto imperfectum facit. Nam sine argumentis Rhetor nihil scit confirmare, nihil confutare: quæ duo primaria sunt officia Oratoris. Inquis: Ista ex locis inventionis Logicis peti posse. Ast opera & officia Logici & Rhetoris sunt diversa: Logicus non conscribit orationem; sed Rhetor: non ut Logicus, sed ut Rhetor. Ergo ex suâ disciplinâ & proprio habitu Rhetori est agendum, non ex alieno. Ergo in suâ arte, si perfecta est, debet invenire, non in arte Logicâ. Manifestum itaq; est, Inventionem in Rhetoricis summè necessariam esse, simulq; intelligitur: cur Aristoteles & Cicero, ut de alijs nihil dicam (nemo enim unquam Inventionem ex Rhetoricis cum Ramo ejecit) in hâc explicandâ tantùm operæ posuerunt. Aristoteles itaq;* lib. 1. Rhet. *oratori suam materiam proponens, eam in tria caussarum genera distinguit, quæq; quàm diligentissimè persequitur. In genere quidem Deliberativo docet, primùm quid sit deliberatio, & de quibus illa fiat: ubi de felicitate, & illis, quæ felicitatis sunt, & in universum de bonis, tam simpliciter, quàm comparatè acceptis, ei fuit agendum. In genere porrò demonstrativo de rebus laudabilib9: & tandem in judiciali de æquitate, jure, injuria, latè persequitur, quomodoq; de unoquoq; oratio sit instituenda & habenda, ostendit. Quib9 ita libro primo rectè explicatis, progreditur in libro secundo ad affectuum doctrinã: Et tandem libro tertio de elocutione*

Argumenta ex suis locis sumet Rhetor.

Inventio in Rheticâ summè necessaria est.

disserit & persequitur. Hunc Philosophum nostrum cùm eâdem ratione, si summam rei spectes, sequatur Cicero, & reliqui oratores omnes: omninò horum vestigijs, quorum majestatem Ramus vix aspicere potuit, insistemus. Cæterùm ex toto hoc discursu, quæ natura Rhetorices sit, facile intelligitur, nimirum quod illa tota in instrumentariâ ratione consistat, quod statim ab initio probare voluimus.

Poëtica. *De Poëtica penè idem dici potest: quia enim & ipsa in secundis notionibus est occupata, dubium non est, quin instrumentalis sit. Vt secundæ notiones sunt, carmen, genera carminum, Hexametrum, Pentametrum, Iambicum: pes, Dactylus, Spondæus, Trochæus &c. Quia verò notiones secundæ per se cognitu dignæ non sunt, sed tantùm ut instrumenta ad aliud conferentia: quæritur ad quod conferat Poëtica? Non confert aliquid ad Philosophiam contemplativam, neq; ad artes, neq; ad disciplinam moralem, propter easdem planè rationes, de Rhetoricâ adductas, sed suppeditat instrumenta unà cum Rhetoricâ ad actionem civilis hominis conferentia. Ejus enim finis & scopus naturalis est utilitas, morum correctio, & affectuum purgatio, cum adjunctâ delectatione, ut ita homines ad utilitatem hanc percipiendam cum alacritate allicitantur. Rectè enim dixit Poëta:*

Et prodesse volunt, & delectare Poëtæ.
Aut simul & jucunda & idonea dicere vitæ.

Quod tamen ita accipiendum est, ut πρῶτως spectetur

ctetur utilitas & commodum publicum: Voluptas & delectatio secundariò, ac propter utilitatem, non per se. Videatur Zabarella lib. 2. de naturâ Log. cap. 13. 14. 15.

Habitus regens rationem sive intellectum est Logica.

Logica est habitus.

Habitum *Logicam esse, per se planum est. Habitus enim est qualitas adventitia, quâ subjectum aliquod ad certas muneris functiones obeundas determinatur: Atqui talis Qualitas est Logica: siquidem hîc non consideratur Logica naturalis, quæ est facultas ratiocinandi naturaliter omnibus hominibus insita; sed artificialis, quæ per observationem & doctrinam acquiritur.* Intellectus habitum esse Logicam *liquet: Tradit enim propria sciendi instrumenta. Ubi itaq; est scientia, sive ea sit actualis, sive habitualis; ibi etiam necesse est sint propria sciendi instrumenta: Atqui in intellectu est scientia: Ergo & Logica. De minore non dubitatur, ponit eam Aristoteles* lib. 6. Eth. c. 4. *Major constat hâc ratione: scientia enim per discursum acquiritur: ut autem discursus ad acquirendam scientiam sit aptus, oportet perficiatur aliis prioribus operationibus & rerum conceptibus: qui conceptus quia ita dispositi sunt & ordinati, ut ad scientiam acquirendam per se ac directè conferant, instrumenta sciendi dicuntur. Formaliter itaq; hujusmodi conceptus & instrumenta in cogitationibus mentis, sive in internis operationibus & actibus Intellectus esse suum obtinent, & consistunt: licet eadem quoq; (cùm necessum sit, ut rebus ipsis sint proportionata & commensurata,)*

in rebus quodammodo fundari debeant, & demum vocibus explicari. Non autem censendum est, instrumenta hæc sciendi in ipsis scientiis & artibus tradenda esse. Rectè enim Aristoteles lib. ά. min. Metaph. c. ultimo: ἄτοπον ἅμα ζητεῖν ἐπιστήμην καὶ τρόπον τῆς ἐπιστήμης: absurdum est simul inquirere scientiam & modum sciendi. *Ante itaq; vel post scientias tradenda est Logica. Non post scientias. Nam quodcunq; instrumenta sciendi docet, modumq; tractandi & probandi res scientiarum aperit, id seorsim ante omnes scientias debet tradi: Atqui hoc facit Logica: Ergo neq; in scientiis, neq; post scientias: sed ante illas, atq; adeo seorsim debet tradi. Major manifesta est: nam nemo sibi acquirit veram scientiam, nisi sciat se scire, suam scientiam, & cognitionem, quam habet, esse veram scientiam. Quomodo autem hoc sciet, nisi simul certò cognoscat, suam ratiocinationem esse veram demonstrationem? Quomodo autem hoc? nisi prius intelligat, quid sit vera demonstratio, & quare ejusmodi principiis, formâq; ratiocinandi constare debeat. Firmißimè itaq; colligitur, instrumenta Logica seorsim esse tradenda, & quidem ante omnes disciplinas & scientias alias. Ex quo iterum constanter infertur, Logicam ab omnibus aliis scientiis, artibus, & habitibus intellectualibus principalibus esse distinctam. Nam quæ disciplina modum tradendi in omnibus habitibus intellectualibus principalibus monstrat & docet; illa non est habitus intellectualis principalis: Ergo neq; scientia est Logica, neque intelligentia, neque sapientia, neq; prudentia,*

Logica seorsim est tradenda.

nequ

neque ars. Hi enim habitus principales numerantur lib. 6. Eth. c. 4. *Logicam neq; scientiam, neq; intelligentiam, neque sapientiam esse, vel ex hoc unico manifestum est. His enim tribus habitibus res simpliciter necessariæ, ex naturâ dependentes, subijciuntur: Logica verò in formandis noëmatibus secundis, quæ opus nostrum sunt, & non à naturâ, sed à mente humanâ dependent, occupata est. Adde etiam, quòd harum omnium finis ultimus sit cognitio & contemplatio: Logica contra tota est operis caussa. Prudentiam Logicam quoq; quis finiet? Etenim prudentia earum est rerum, quæ ad virtutes & vitia spectant & pertinent, quod nemo de Logicâ dixerit, nisi remotè & instrumentaliter, hoc est, quo ad inservit cognitioni, sine quâ honestæ actiones effici nequeunt. An deniq; Ars sit Logica, dubitari potest: quandoquidem eruditißimi nonnulli Peripatetici, ut Dn. Philippus, Scaliger, Schekius, & alij non pauci, Logicam artem definivere. Arti Logicam similiorem esse, quàm scientiæ, dubium non est. Etenim hæc in rebus simpliciter necessariis tantùm est occupata: Logica verò, cum aliis artibus, in rebus, quæ à nobis producuntur, versatur. Vnde à scopo & fine ejus petitâ ratione, artibus similem, scientiis dißimilem, statuimus Logicam: siquidem scientiarum finis sola est rerum consideratarum cognitio; artium verò non cognitio, sed effectio. Nam licet quidem scientiæ & artes in eo conveniant & familiariter conspirent, quòd utræq; plenam perfectamq; doctrinam tradant cognitioni; tamen ambabus quòd intercedit discrimen, bene longum latumq; est, idque non opinione*

Logica neque scientia, neque intelligentia, neque sapientia est.

Logica non est prudentia.

Logica an ars sit, dubitatur.

Logica similior arti, quàm scientiæ est.

tantùm,

tantùm, sed re certâ. Non enim parum interesse existimandum est, an ad nudam veritatis contemplationem, quod scientiis peculiariter datum est; an verò ad operis quandam confectionem, quod artibus reservatum, teipsum tuaq; omnia instituas & componas. Artem itaq; hoc pacto dici posse Logicam prorsus existimaremus, nisi Aristotelis authoritas lib. 6. Eth. c. 4. *nobis obstaret; ubi artem finit* ἕξιν μετὰ τοῦ λόγου ποιητικὴν : habitum recta ratione effectivum. ἕξις *verò* ποιητικὴ, *habitus effectivus is propriè dicitur, cujus effectus extra editur instrumentis corporeis, atq; est principium operandi in alio: quo etiam discrimine à naturâ discernitur* 2. Phys. c. 1. *Itaq; in ipso artis opere ea non inest, sed remanet in mente, ut alibi sit principium operationis, alibi effectus. Vnde* ποίησις *sive effectio rectè definitur operatio ab intellectu, arte informato, directa, per phantasiam & vim movendi, quæ perficitur habitu membrorum externorum instrumentalium, gratiâ ejus boni, quod post factionem remanet. Requiruntur itaq; in omni effectione, hoc est, artis operatione, hæc tria. 1. intellectus arte perfectus, dirigens. 2. membra externa, ut instrumenta exequentia. 3. post operationem finis restans sive perdurans extra artem. Quæ certè in Logicâ operatione non dantur. Nam licet quidem ad eam requiratur intellectus, habitu Logico informatus, tamen nihil aliud dirigit logicè operando, quàm semetipsum, quæq; directio nihil est aliud, quàm ipsissima Logica operatio, & Logicorum instrumentorum productio. 2. Itaque non opus habet membris sive instrumentis ex-*

Ars quid sit.

Effectio sive ποίησις quid sit.

ternis exequentibus: neque tertiò post se opus perdurans relinquit. Quandoquidem Syllogismus & alia instrumenta, arte Logica in intellectu formata, neq; producuntur extra essentiam Logices, sed manent in ipsá essentiá Logices, neq; producuntur extra subjectum Logicæ, sed cum eá in eodem, nempe intellectu sive mente, manent. Quocirca, ut hic Rami sectatores urgeamus, sciendum est, illos, quando vocabulum artis in definitione Logicæ generis loco ponunt, sumere id vel in strictâ & propriâ significatione, in quâ jam ex Aristotele ars definita est: aut in impropriâ & generali, in quâ sortitur definitionem Luciani eam. Ars est systema sive collectio præceptorum Catholicorum in vitâ utilium &c. Verùm in neutro significatu eam sumere possunt: Ergo per artem, ut proprium genus, Logicam non rectè definiũt. Ars non constituit genus Logices, prout à Luciano definitur: Nam nullum genus remotum, improprium, confusum, & falsum, est in definitione ponendum, ut docet Philosophus lib. 6. Topic. Atqui ars in illá significatione tale genus est Logicæ: Ergo. Minor probatur. 1. remotum est: quia ita accepta ars competit omnibus disciplinis, scientiis, & artibus. 2. Improprium est: quia ars propriè loquendo est habitus ποιητικός. ποιεῖν verò in propriá significatione Logicæ non competit, ut jam demonstratum est. 3. confusum est: quia in hoc significatu scientia & ars, quæ minimè sunt confundendæ, confunduntur. Quod ut ex præcedentibus liquet, ita etiam hâc ratione manifestum est: diversarum rerum naturæ & fines diversis continentur habitibus: At res necessariæ

Logicam artem non esse, probatur contra Ramistas.

sariæ & contingentes habent diversas naturas & diversos fines; Ergo concluduntur etiam diversis habitibus: Atqui rerum necessariarum cùm neq; πρᾶξιν neq; ποίησιν habere queamus, rectè statuitur earū duntaxat esse γνῶσις: quocirca etiam ipsarum habitus propriissimè affirmatur esse scientia. Rerum verò contingentium potest esse πρᾶξις atq; ποίησις, ideoq; etiam meritò iis ejusmodi assignatur habitus, qui in πρᾶξει & ποιήσει consistit, ut sunt prudentia & ars: 4. Falsum esse patet. 1. Ramistæ enim volunt, ut omnis ars habeat Catholica præcepta, necessariò vera & reciproca: quod impossibile & falsum esse, suo loco à nobis demonstrabitur. 2. Ars, ita definita, ars non est. Nam res debet definiri secundùm naturam suam, ut est: Atqui quando ars per collectionem præceptorum definitur, non definitur secundùm suam naturam, ut est: Ergo &c. Minor probatur: nam collectio est numerus: numerus est in quantitate, sive est quantitas: E. ars est quantitas: ἄτοπον. 3. licet quidem definitionem illam generalem esse statuant, quæ omnibus habitibus & artibus Philosophicis conveniat: tamen generalis, re accuratius pensitatâ, non est. Non enim convenit Theoreticæ Philosophiæ, quippe quæ non præcepta, sed Theoremata tractat. Aliud autem est præceptum, aliud Theorema. Illo enim aliquid præcipitur: Theorema tantùm considerat. Ergo in hâc significatione Logica non rectè definitur per artem. Neque prout in propriâ significatione modo ex Aristotele adductâ desumitur, ut patet ex præcedentibus: Ergo neq; in

propriâ

propriâ significatione sumpta ars, prout ab Aristotele; neq; in impropriâ, prout à Luciano definitur, constituit verum genus Logices. Quod autem attinet Scaligerum & Dominum Philippum, tenendum est, hos Logicam definientes in generali illâ & confusâ significatione vocabulum artis non sumere. Siquidem Scaliger artes ad faciendum comparatas duplices facit: nempe quæ aut materiale aliquid conficiant, aut construant immateriale: ut harum nobilissima, quæ fabricat instrumentum, sit Logica, proxima Oratoria; illarum præstantissima, Medicina. Sic Dn. Philippus, quo modo vocabulum artis velit intellectum, explicat adjecta particulâ VIA: nempe quod Logica sit via, artificiosè inventa, hoc est, sit methodus & modus sciendi & docendi. Indicat itaque Dominus Philippus vocabulo ARTIS, Logicam esse habitum & quidem intellectualem: quia omnis ars habitus intellectus est: quòd autem non sit ars, propriè ita dicta, ostendit vocabulo VIA, quæ methodus est: Methodus autem instrumentum est Logicũ. Observandum nihilominus hîc venit, non temerè artem cum habitu instrumentario confundendã esse: id quod ex duabus hisce oppositis conditionibus omninò est manifestum. Primùm enim ars circa generationem & in Entibus realibus occupata est, & contemplatur & comminiscitur, ut aliquid fiat eorum, quæ possunt & esse & non esse, ut videre est ex 6. Eth. 2. Non inservit ars aliis disciplinis immediatè. Habitus contra instrumentarius 1. in entibus rationis versatur. 2. non per se curat, num aliquid debeat fieri nec ne; sed solummodo sollicitus est, ut aliis disciplinis sua operâ inserviatur.

Ars cum habitu instrumentario non temerè confundenda.

Postquam igitur per singulas species probatum constat, Logicam habitum intellectualem principalem non esse, sequitur quod concludendum fuit, Logicam habitum minus principalem vel instrumentalem esse.

Logicam habitum instrumentalem esse probatur.

Quæ affirmativa licet ex superioribus manifesta sit; tamen ex abundanti hunc etiam in modum demonstratur: Disciplina, quæ tantùm est alterius gratiâ, est instrumentalis: Logica tantùm gratiâ habituum realium est: Ergo Logica est habitus instrumentalis. Major probatur: nam instrumentum tantùm est alterius gratiâ Arist. lib. 1. de part. anim. cap. 5. *Minor manifesta est: Logica enim ejusmodi res, noëmata nimirum secunda, tractat, quæ si ad alios habitus acquirendos non conducerent, non digna essent, ut vel à nobis cognoscerentur, vel excolerentur. Hinc* Arist. lib. 1. Top. c. 9. *(secundum distinctionem Pacij* c. 11.*) tria problematum genera constituens: activa quidem ad electionem & fugam: contemplativa, ad scientiam tantùm: Logica ad neutrum horum per se utilia esse affirmat; & addit, quòd instrumenta sint ad horum aliquid: Multa enim sui ipsorum causâ, vel per se cognoscere nolumus, sed* ἑτέρων ἕνεκα: *aliorum causâ, ut per hæc aliud quippiam cognoscamus. Sed hæc omnia, cognito Logicæ fine, fient clariora.*

Problematum tria genera.

Cum itaq; omnis instrumenti natura & differentia propria à fine petatur, quis finis sit Logicæ, sequitur nunc indagandum. Quanquam autem ex iis, quæ hactenus sunt proposita, manifestum sit, Logicam viam monstrare ad cognitionem rerum omnium, quæ & quatenus à nobis cognosci possunt; sciendum

Logicæ finis quis sit.

tamen

tamen est, ejus, ut & aliarum artium instrumentalium, finem esse duplicem: Vnum internum, in quo desinit artis vel artificis operatio; alterum externum, qui extra artem est positus, qui, si proprie loqui velimus, non tam artis finis est, quàm operis. Cùm enim internus sine hoc subsistere possit, non necessarium est, ut eum ars semper consequatur. Externus & ultimus Logicæ finis est recti cognitio, & veri falsiq; dijudicatio, hoc est, perspicere, quid in qualibet re verum sit, quid consequens, quid repugnans. Hunc autem finem esse ultimum, summum, & generalem Logices, probatu haud difficile est. Nam ad illum omnes operationes Logicæ diriguntur: quod inde est conspicuum: Viderunt namq; Philosophi, veritatem, in internis rerum thalamis absconditam, delitescere, neq; menti statim obviam esse, mentisq; διάνοιαν & Syllogismum naturalem per se rudem & imperfectum circa illam non rarò pessimè hallucinari, atq; in devium abripi; quare in alijs scientijs jam ante culti, accuratâ illum σκέψει contemplati sunt, & successivè, ut Socrates (lib. α. Metaph. c. 6. lib. μ. Metaph c. 4. lib. 1. de part. anim. cap. 1.) definiendi doctrinam, Plato (in Elench. circa finem cap. ult.) dividendi rationem, & Aristoteles ipsum nervum Syllogisticæ ratiocinationis, invenerunt: ut ita imperfectus ille Syllogismus, arte informatus, veritatem ubiq; videret, apprehenderet, teneret.

Vnde etiam quis finis internus Logicæ sit manifestum est; nempe Syllogismus, qui Logico est, quod Architecto amussis, & aurifabro, Lydius lapis. Sunt *Logicæ finis internus.*

quidem plura opera Logicæ, ut quando conceptibus primis imponit secundos, indeq; efficit enunciationes, ex his propositiones & syllogismos: ultimi tamen finis interni & instrumenti Logici nomen merentur nulla, in quibus non datur discursus à noto ad ignotum, ut fiat notum. Hic verò quia tantùm fit syllogismo, rectè concludimus, solum syllogismum finem internum & instrumentum illud esse, quo in judicandâ veritate, tanquam perpendiculo, utamur: reliqua verò opera non, nisi prout ad hunc reducantur. Hic porrò finis propter se non est, sed propter externum; quem enim ut assequamur, Logicus interna suæ artis opera, inter quæ præcipuum est Syllogismus, conficit: Quare etiam Logica per externum, ut qui internum includat, definienda est. Hinc conspicuus fit error Ramistarum, qui Logicam per benè disserere, ut finem ultimum, definiunt. Qui tamen nihil minus est, quàm ultimus: quandoquidem ad alium ordinatur, nempe ad veritatis cognitionem. Quærenti enim, cur bene disseramus, respondemus, ut ipsius rei, de quâ disserimus, veritatem adipiscamur, & falsitatem rejiciamus. Quodcunq; igitur non terminat, sed ab alio terminatur; id non est finis alicujus disciplinæ: Atqui in arte Logicâ bene disserere non terminat actionem Logicam, sed terminatur. Ergo bene disserere non est finis Logicæ, ex quo sit definienda. Major constat: nam finis conditio essentialis est, terminare & finire. Minor probatur. Nam officium Logicæ, quod est bene disserere, & finis ultimus, Veritas, habent se ut motus & motionis terminus. Ut itaq; terminus terminat motum, ita

Ramistarum error in definienda Logica.

& ac-

& acquisita veritas terminat actum bene disserendi, non secus, ut ipsa piscandi actio capturâ piscium terminatur. Hinc tertiò arguitur: omnis ars, per officium definita, falsò definita est: Atqui Logica à Ramo per officium, quod est benè disserere definitur: Ergo Rami definitio falsa est. Major manifesta est: nam quando per officium ars definitur, tum pro fine sumitur; unde officij & veri finis confusio infertur. Minor probatur: Nam bene disserere, actio illa, vel munus illud, veritatis gratiâ suscipitur: unde Veritas rectè colligitur finis, in quem per officium bene disserendi fit transitus. Adde quòd bene disserere non tantùm Logicæ, sed Rhetoricæ quoq; competat. Nam & Rhetorica habet suos locos proprios, nempe honestum, necessarium, utile, jucundum &c. ex quibus ad impellendos animos differit & argumentatur. Quomodo itaq; finis Logicæ à Ramæis sit constitutus, manifestum est. Pueriliter autem objicitur: veritatem propterea finem Logicæ esse non posse, quòd non semper obtineatur: ac si τὸ εἶναι finis in eo consistat, ut sit aliquid, quod semper acquiratur, & non potius ut sit aliquid οὗ ἕνεκα. Finis enim est, cujus gratiâ res est: unde finis, quam diu illius gratiâ aliquid fit, sive actu acquiratur sive non, finis est. Deinde distinguatur inter Logicum & Logicam, quemadmodum inter artem piscatoriam & piscatorem. Vt enim non sequitur: Piscator non semper capit pisces: Ergo piscatoriæ artis finis ultimus & generalis non est captura piscium: ita quoq; nulla consequentia est: Logicus interdum à veritate aberrat: Ergo Logicæ artis finis nō est veritas: quādoquidem

Benè disserere competit etiam Rhetoricæ.

Distinctio inter Logicum & Logicam.

quidem vitium artificis arti non imputandum est. Manet igitur, verum & ultimum finem Logices, & per quem illa definiri debeat, esse veri cognitionem, & ejus à falso discretionem. Vt ita Logica rectè definiatur: quod sit habitus intellectus instrumentalis, secunda noëmata in conceptibus rerum fabricans, ut sint instrumenta, quibus in omni re verum cognoscatur, & à falso discernatur. *Atq; hactenus de habitibus intellectualibus.*

Logices definitio.

Habitus voluntatis.

Habitus voluntatis est, quo voluntas exercitata, constanter & sine ingratijs vult id, ad quod ab habitu inclinatur. Habitus sensuum sunt virtutes morales.

Cum duplex in homine sit appetitus; Rationalis, qui voluntas dicitur; & Sensitivus: duplices quoq; sunt virtutes appetitum informantes: Aliæ voluntatis, aliæ appetitus sensitivi. Esse autem tales virtutes, quales jam descripsimus, in voluntate, manifestum est. Nam habitu informatam & exercitatam voluntatem constanter & tum delectatione velle; rudem verò & minus exercitijs domitam, reluctari, creberrimè experimur. Quocirca virtutes morales, quæ voluntati vulgo ascribuntur, non ad voluntatem, sed sensitivum appetitum propriè referuntur, ut ita rectè docuerit Theages Pythagoræus, referente Stobæo S. 1. sapientiam rationi, virtutes

tutes verò facultati irascendi & concupiscendi deberi: quod idem etiam Eustratius in fine lib. 1. Eth. *ex Aristotele annotavit. Perturbationes enim cùm in appetitu sensitivo existant, nec non in eodem continentia & tollerantia, prodromi virtutum, locum habeant, ibidem & virtutes hærere necesse est: quemadmodum illud ab Aristotele* lib. 1. Eth. cap. 13. lib. 2. eor. cap. 5. lib. 3. eor. c. 10. lib. 6. eor. cap. 1. *& alibi satis ostenditur & docetur. Vt ita merito rejiciatur opinio Scoti.* 3. d. 33. *in voluntate virtutes morales collocantis, eamq́ sententiam Aristoteli attribuentis: cùm Philosophus contrarium ubiq; doceat & inculcet. Includimus etiam hic Iustitiam: cùm omnes morales virtutes in eodem sint subjecto* Thom. 1. 2. q. 56. a. 6. *Atq; hi sunt habitus animi: sequuntur corporis.*

Habitus corporis est, quo corpus animalis informatum & exercitatûm, constanter & sine molestiâ agit id, ad quod ab habitu inclinatur. Habitus corporis.

Habitus supra fuit divisus in habitum animi & corporis. De animi habitibus hactenus: sequitur nunc, ut de corporis quoq; paucis agamus. Vbi tenendum, quod nonulli & potissimum Suarez disp. Metaphys. 44. s. 1. 2. *habitus corporeos negent, ducti hac ratione, quòd potentiæ corporum non sint liberæ, sed determinatæ ad unum. Verùm ratio hæc* Habitus corporis an dentur.

nullius est ponderis. Eodem enim modo etiam dispositiones in corporibus negari possent, quas nihilominus ipse Philosophus in Categor. qual. nominatim ponit: Esse verò habitus corporeos, manifestum est hoc argumento: in quodcunq́ue, difficultate sublatâ, nova potest induci habilitas, in eo etiam potest generari habitus: Atqui ita se habent potentiæ corporeæ, ut in illas, difficultate sublatá, nova introduci poßit habilitas: Ergo in potentijs corporeis, sive in corpore, esse potest habitus. Minor probatur: *qui enim saltare aut fidibus canere discit, licet potentiam ad illud habeat naturalem; tamen in operationis initio quandam sentit difficultatem, quæ postquam crebris exercitationibus mediantibus est amota, quis neget habitum succeßisse? Tales sunt saltatorij, digladiatorij &c.* Interim concedimus, quod *habitus proprijßimè & strictißimè sumptus potius animo quàm corpori, adeoq́ue illi πρώτως tribuatur. Cùm corpori, quatenus corpori, habitus inesse nequeat, sed tantùm, quatenus animatum est. Vnde in definitione dicimus, corpus animalis esse subjectum horum habituum: quod tamen de perfectioribus animalibus intelligendum est, in quæ cadit disciplina* lib. ά. Major. Metaphys. cap. 1. *ut canes docentur venari, explorare & ferre. Quemadmodum scribit Hieronymus Cardanus* de subtilit. lib. 10. mihi p. 318. C. *se semestri spacio temporis sic canem erudijsse, ut nec puer docilior videri potuerit, aut ad mandata promptior, cùm nutus ipsos intellexerit.* Et paulo post de Elephante *subjicit.*

Canis Cardani.

Elephan-

Elephantem vidisse se refert Arianus, qui cùm in auribus bina haberet cymbala, promuscide alternatim ea tangebat ad rythmum, saltabatq; pro rythmi ratione, cæteris eum imitantibus, choreamq; ducentibus. Item vidimus nos Elephantem Mariæ reginæ Bohæmorum, filiæ Caroli Quinti Cæsaris, juvenculum, annum scilicet agentem decimumtertium: nam florent circiter annum LX, vivunt ad CC. certè: referunt plurimi ad CCC. quod verum existimo, sed rarò: Is igitur adeo docilis erat, ut sessorem suum plane non secus, quàm homo alius intelligeret. Imperabat, admonebat, uno verbo tantùm opus erat. Inter reliqua, cum ascendere vellet, dextrum crus flectebat, utq; sensim ascenderet, illud elevabat: baculum, quo regebatur, ubi excidisset, promuscide arreptum porrexit sessori, quem adeo diligebat, ut ab illo admonitus, quòd absconditurus esset se in cœnaculo majore, cum quispiam diceret, sessorem tuum quærito, ad illum rectâ ivit, invenitq;: invento mirum in modum blandiebatur: Vbi Archiepiscopus Mediolanensis adesset, monitus, illum anterioribus cruribus inclinatis & capite salutavit. Vbi ille diceret: effare aliquid, mugivit. Sic habitus in equos videtur cadere. Docentur enim dum pulli sunt, fame domiti, ut idem habet Cardanus ibidem circa finem. Memorantur autem duo fuisse egregij equi, optimè edocti, in historijs: alter Alexãdri Magni, cui nomen Bucephalus, seu quòd magno esset capite, seu eleganti (βȣ enim vox apud græcos utrumq; significare videtur): cui mortuo in Indiâ cum Poro rege pugnanti, urbem Bucephalam equi nomine condidit.

Elephantis docilitas.

Elephantis vita.

Equorum docilitas.

Equus Alexandri.

didit: tantùm Rex maximus vel illius meritis tribuit, vel quantùm in equo Principi repositum sit, intelligere se ostendit. Alter unguibus humanis, qui C. Iulij Cæsaris Dictatoris cum esset, orbis imperium illi portendit. Neq; tamen ungulas cum digitis habuisse credendum est: nam sessorem ferre nequivisset: sed discrimina in ungulâ absq; divisione sub digitorum imagine fuerunt. Bucephalus neminem admittebat tergo, præter vnum Alexandrum, non tàm ferocitate, quàm ambitione, quæ illi equo inerat, unde ambitiosissimo regi charissimus fuit. Card. pag. 356. D. *Sic Psittacus edoctus miro artificio, humanam vocem exprimit. Fuit Psittacus Ascanij Cardinalis Romæ, aureis centum comparatus nummis, qui articulatissimè continuatis perpetuò verbis Christianæ veritatis symbolum integrè pronunciabat, perinde ac vir peritus enunciaret.* Cælius. *Quando instituitur, ferreâ clauiculâ caput, cujus magna duritia est, tunditur, imperium magistri, ut persentiscat, hæc ferula discenti est. Discit autem statim pullus usq; ad duos ætatis suæ annos, dum facilè os, ut conformetur, cum tenerâ linguâ uti velit, convibretur. Senex autem captus & indocilis est & obliviosus. Vnde proverbium:* Senex Psittacus negligit ferulam. *Apulejus* lib. 2. Plin. lib. 10. cap. 42. Varr. lib. 3. de re rust. cap. 9. *Extat Statii epicedion in psittacum Melioris Atedij Sylvarum lib. 2. item carmen elegans in mortem Psittaci legitur apud Ovidium lib. 2. Elegiarum Eleg. 6. Hactenus de Habitu, sequitur Dispositio.*

Equus C Iulij Cæsaris.

Psittaci docilitas.

Quali-

Qualitas potentialis introducta imperfecta dicitur dispositio, quæ talis motus est determinatio, quæ facilè mutari & ad contrarium vergere potest. Dispositio.

Vox hæc dispositio διάθεσις, *ambigua est. Nam sumitur pro omni aptitudine ad aliquid, vel etiam ineptitudine: in quo significatu Aristoteles, etiam Habitum dispositionem vocat, & calorem, frigus, sanitatem, morbum &c. dispositiones dicit* lib. Categ. c. 8. §. 4. c. 9. §. 6. lib. 2. Top. c. 2. lib. 7. Phys. c. 3. lib. 7. Pol. c. 1. lib. δ. Metaph. c. 10. *significat etiam* οἰκονομίαν *& ordinem partium* lib. δ. Meta. *atq; adeo Methodum sive adumbrationem ejus in tractatione: ut dispositio concionis, orationis. Sumitur tertio pro cujuscunq; accidentis gradibus, ut docet Damascenus* c. 51. Dial. *ut, quando intepuit aqua, dicimus id dispositionem ad calorem habere. Tandem in strictâ significatione sumitur, ut modo definita est. Atq; dispositio hæc semper præcedit habitum, tanquam gradus aliquis ad eum, & est habitus nihil aliud, quàm perfecta & elaborata dispositio. Hinc Boëtius dispositionem confert ætati puerili: Habitum verò virili: atque hoc modo quando sumitur, non distinguitur specie ab habitu: ut latius id explicat Tittelmannus* lib. 2. Dial. c. 42. *Distinguitur tandem dispositio ab Habitu, quod illa facilius amittatur, quàm habitus: Quemadmodum hanc comparationem & distinctionem* Dispositio est vox æquivoca.

nem eleganter tradit Philoſophus lib. Categ. c. 8. §. 4. *Habitus, inquit, à diſpoſitione differt, quòd ſit aliquid* χρονιώτερον καὶ μονιμώτερον: *diſpoſitio enim eſt quiddam* εὐκίνητον καὶ εὐμετάβολον. *Atque hactenus de primâ Qualitatis ſpecie.*

Theorema IV.

Secunda ſpecies qualitatis.

Secunda qualitatis ſpecies eſt naturalis potentia & impotentia ad aliquid agendum vel patiendum.

Potentia non uno modo accipitur.

Sequitur nunc altera qualitatis potentialis ſpecies, nempe congenita, & dicitur δύναμις φυσικὴ καὶ ἀδυναμία. *Vocem primùm quod attinet;* δύναμις *ſive potentia juxta Thomam* Opuſculo 48. cap. 3. *ſumitur vel tranſcendentaliter vel prædicamentaliter.* Tranſcendentaliter *ſumpta opponitur actui, & de illa actum eſt ſupra* lib. 1. *Prædicamentaliter accepta in hoc Qualitatis prædicamento explicatur. Diviſio hæc bene notanda eſt, ne cum Zabarella* lib. 1. de materiâ prima cap. 9. *Omnem omnino potentiam ad hoc prædicamentum referamus. Potentia prædicamentalis alias accipitur generaliter, pro quâvis aptitudine, ut habitum ſimul includat :* lib. Jota Metaph. c. 2. & 5. *atque in hâc ſignificatione accipitur, quando qualitatem potentialem dividimus in introductam & congenitam*, præcedente th. 3. *item pro indeterminato* lib. περὶ ἑρμ. cap. 13. §. 9. & lib. 1. Rhet.

Rhet. c. 3. & lib. 5. Eth. c. 1. *Tandem, ut hoc loco, propriè & strictè accipitur pro viribus naturalibus, & dicitur* δύναμις φυσικὴ, *qualitas congenita, à naturali complexione indita alicui, per quam redditur illud ipsum naturaliter potens, ad aliquid agendum, vel alicui resistendum. Ex quâ homines dicuntur dociles, ingeniosi, apti ad Musicam.* δύναμις φυσικὴ quid sit.

Ἀδυναμία *est, quâ redditur aliquid naturaliter impotens ad aliquid agendum, vel alicui resistendum. Ex quâ homines dicuntur indociles, valetudinarij, inepti ad Musicam. Atq; referuntur ad Qualitatis hanc speciem vires orbium cœlestium, siderum, elementorum, lapidum, stirpium; corporis, ut alacritas; animæ vis alia maris, alia fœminæ, alia pueri, alia viri, alia cholerica, alia phlegmatica. Repetatur hoc loco, quod supra monuimus* th. 2. *nempe per impotentiam hic non intelligi potentiæ privationem, cùm ea in nullâ Categoriâ locetur; sed debilem quandam imbecillitatem sive diminutam potentiam, adeo ut eruditis unicum sufficiat potentiæ nomen, pro secundâ specie, quod & impotentia, quatenus hic collocatur, rationem potentiæ habeat:* Vide Zabarellam in tab. Log. *Est autem tantùm illa potentia, quæ principium est substantiæ superadditum, disponens illam ad agendum vel patiendum. Philosophi eam vocant (ut ex præcedentibus patet) prædicamentalem, quæ quia sub transcendentali quoq; continetur, atq; propterea supra, ubi de potentiâ & actu egimus, explicata est, tantùm breviter hic principales ejus divisiones subnectemus.* ἀδυναμία. Impotentia quid hoc loco significet.

Poten-

1. Potentiæ divisio.

Potentia primùm dividitur in activam, & passivam.

Activa quid sit.

Activa est, quâ substantia ad agendum potens est & apta.

Passiva.

Passiva est, per quam substantia ad aliquid patiendum seu recipiendum est apta. De interpr. cap. 13. §. 9.

2. Potentiæ divisio.

Deinde Potentia naturalis dividitur in primam, & secundam.

Potentia prima.

Potentia naturalis prima est, quæ proximè & immediatè ex formâ subjecti fluit.

Talis potentia in corpore naturali est potentia ad motum & quæ immediatè fluunt à natura: in animali est potentia ad sentiendum, immediatè emanans ab anima sensitiva: in homine est potentia ad intelligendum, loquendum, ridendum, dependens ab anima rationali. Atque hæc potentia est speciei perfectæ propria, adeoq; ab illa non potest tolli.

Potentia secunda.

Potentia naturalis secunda est dispositio certa temperamenti & organorum, per quam prima illa producitur in actum.

Verbi causa: in homine, ut videat, non tantùm requi-

requiritur prima illa videndi potentia animæ sensitivæ, nempe quæ proximè ex forma hâc fluit, quamque retinet anima perpetuò; sed etiam necesse est, ut adsit certa quædam oculi dispositio, per quam alius alio clarius videt, & quæ amitti potest. Referuntur itaq; ad hanc speciem virtutes & dotes naturæ, ut nobilitas sive generositas naturæ, prout accipitur pro clara & excellenti dispositione animi & corporis ad virtutem omnem. Item ingenium, quod ab Aristotele lib. 8. Top. c. 14. §. 3. & lib. 2. Elench. c. 5. *finitur* εὐφυΐα *ad doctrinam facilè apprehendendam, diciturq; inesse naturis temperatè Melancholicis.* Probl. 30. part. 1. *& mollibus carne,* lib. 2. de anim. cap. 6. *Atque hactenus de Qualitatibus potentialibus.*

Theorema V.

Tertia species Qualitatum illarum est, quæ vocantur passiones & passibiles Qualitates.

Tertia species qualitatis.

Qualitates potentiales fuerunt; sequuntur Actuales. Actuales sunt vel afficientes ut παθητικαὶ ποιότητες καὶ πάθη lib. Cat. c. 8. §. 10. lib. δ. Meta. c. 20. Tittelman. lib. 1. Dial. c. 16. *vel conformantes ut* σχῆμα καὶ ἡ περὶ ἕκαστον ὑπάρχουσα μορφή: *figura, & circa quamq; rem consistens forma* lib. Categ. c. 8. §. 16. *Dividuntur etiam in internas & externas: internæ vocantur passibiles Qualitates & passiones. Nam licet quidem nonnullæ in extima quoq; superficie spectentur, ut color:*

Actuales qualitates duplices.

color: tamen & intus sunt, aliæ in corporibus, ut pallor ex motu subito; aliæ in animis, ut lætitia gestiens, ægritudo mentis. Dicuntur hæ qualitates afficientes, quia scilicet sensus afficiunt: appellantur à Philosopho παθητικαὶ: quia in sensibus, & præsertim exterioribus, ut visu, auditu &c. efformant species sensiles: & quia etiam ab ejusmodi qualitatibus passiones quædam & affectus animalibus per medios sensus imprimuntur, ut mel gustatum efficit hilares propter dulcedinem, aloë tristes propter amaritudinem. Passio itaq; ut hoc loco accipitur, est qualitas transiens, quæ sensui passionem infert, aut quæ à passione infertur: ut rubor ex verecundiâ, excandescentia ex ira &c. Passibilis Qualitas dicitur qualitas permanens, quæ sensui passionem infert, aut quæ infertur à passionibus, ut dulcedo, amaritudo &c. Est itaq; inter passiones & passibiles Qualitates ea differentia, quæ est inter habitum & dispositionem ratione durationis.

Passio quid sit.

Passibilis qualitas.

Passio (alias perturbatio quæ brevis est,) alia est animi, ut libido, lætitia gestiens, ægritudo mentis: alia corporis, ut pallor ex metu subito, rubor ex pudore. Passibilis qualitas, quæ diuturna est, alia est orta à perturbationibus in animo, ut odium, invidia; & in corpore, ut pallor ex morbo: alia est subjecta sensibus, ut colores, soni, odores, sapores, tactiles Qualitates, quibus moventur aspectus, olfactus, gustus, tactus.

Passionis divisio.

Passibilis qualitatis divisio.

Theorema VI.

Quarta species Qualitatum est forma & figura.

Quarta species Qualitatis.

Confor-

Conformantes qualitates sequuntur ultimò, quæ sunt formæ & figuræ: & ita dicuntur, quia configurationem rei superaddunt. Dicuntur etiam externæ, quia in extimâ tantùm consistunt & spectantur superficie. Cæterùm distinguunt nonnulli inter formam & figuram. Boëtius ait figuram esse rerum inanimatarum quandam circumscriptionem: formam autem animatarum. Damasc. c. 51. Dial. *figuram attribuit animatis simul & inanimatis: formam animatis tantum: quam distinctionem pleriq; amplectuntur: Alij statuunt formam viventium esse, figuram pictorum, juxta versum vulgatum:*

Formæ & figuræ discrimen.

Formam viventis, picti dic esse figuram.

Nicephorus, Murmelio citante, statuit figuram esse linearem expressionem; Formam extrinsecus prominentem colorem. Atq; hæc sententia proximè ad veritatem accedere videtur: ita enim eadem qualitas diverso respectu & restrictione, modo figura, modo forma dici potest, tam in animatis quàm inanimatis: Figura quidem dicitur respectu lineamentorum seu partium, situs & terminationis: Forma autem respectu coloris & lucis. Quare pulchritudo, quæ κατ᾽ ἐξοχὴν etiam forma nuncupatur (unde formosus) utrumq; comprehendit, nempe amabilem proportionem partium corporis, cumprimis faciei, & deinde εὐχροίαν id est, coloris suavitatem, sive εὐταξίαν; ut docet Aristoteles lib. 3. Top. c. 1. §. 13. lib. 1. de part. anim. c. 1. lib. poët. c. 7. lib. μ. Meta. c. 3. Aug. lib. 22. de civit. Dei c. 19. Fons. super 5. Metaph. c. 14. q. 1. sect. 14. Scaliger Exerc. 307. dist. 27. & li. 4. de re Poët. Titelm. lib. 2.

lib.2.Dial. c.64. *Etsi quidem in illâ distinctione forma & figura rectè considerantur; melius tamen rem intelligi autumo, si dicatur, quod forma sumatur pro figurâ corporis Physici, sive pro limitatione quantitatis, corpori inhærentis, quæ eadem, mathematicè abstracta, vocetur figura.*

Formæ & figuræ divisio.

Forma & figura hæc aut est naturalis, aut artificialis.

Naturalis.

Naturalis forma sive figura est, quã ipsa natura rei attribuit: ut est forma & figura equi, forma & figura bovis, hominis &c.

Artificialis.

Forma & figura artificialis dicitur, quæ ab arte est, sive ab artifice in materiam introducitur: *ut forma & figura templi, lecti, mensæ, poculi, annuli &c. Videatur de artificialibus erudita disputatio apud Fonsecam* ad 5. Metaph. c. 8. q. 7. sect. 2. ut & cap. 7. q. 5. sect. 6.

Theorema VII.

Qualitatum proprietates.

Qualitatum proprietates sunt 1. inter se sunt contrariæ 2. recipiunt magis & minus 3. secundùm illas res dicuntur similes & dissimiles.

Tandem

Tandem hæ tres proprietates Qualitatum numerantur à Philosopho, quarum ultimam solam agnoscit genuinam, non quod priores duas ab hoc genere rejiciat, cùm propriè quoq; ad Qualitates spectent: sed quoniam ita generales non sunt, ut omnibus, sub hoc genere contentis, accommodari queant. Contrarietas certè in alio prædicamento non est, nisi fortaßis per & propter Qualitatem; nihilominus tamen non omnibus competit Qualitatibus. Sunt enim medij colores, odores, sapores. &c. Sic magis & minus formæ & figuræ non convenire ait Philosophus; quod tamen de figuris perfectis acceptum volumus. Tertia itaq; proprietas quòd secundum Qualitates res similes & dißimiles dicantur, solis & omnibus Qualitatibus convenit, quod inductione manifestum est. De Qualitate hactenus.

EXERCITATIO DECIMA
DE RELATIONIBUS.

Typus hujus Exercitationis.

Relata (th. 1.) sunt vel secundum

- Dici: quibus adduntur Relata transcendentalia. th. 1.
- Esse. Hæc dividuntur vel ratione
  - Fundamenti. (th. 2.) quæ sunt vel
    - Mutua: & fundantur vel in
      - Quantitate, ut æquale.
      - Qualitate, ut simile.
    - Non mutua & vel
      - Fundantur in Mensura
      - Ipsa sunt Mensura.
  - Dignitatis. Et sunt (th. 3.)
    - vel
      - Æquiparantiæ.
      - Disquiparantiæ.
    - Vel comparationis
      - Majoris
      - Minoris

Adduntur proprietates. th. 4.

Theo-

Theorema I.

Relata sunt, quæcunq; hoc ipsum, quod sunt, aliorum sunt.

Absoluta fuerunt genera: sequuntur relata: quorum ab Aristotele duplex constituitur species: Quædam enim sunt Relata secundùm dici, quædam secundùm esse. **Relata duplicia.**

Hæc autem divisio non ponitur à Philosopho propter rei veritatem, sed propter antiquorum Philosophorum errorem, qui etiam relata κτ̀ τὸ λέγεσθαι, *secundùm dici, inter quæ relatio non datur, sed tantùm cogitatur, ut est relatio inter genus & speciem, inter polum arcticum & antarcticum, confuderunt cum veris relatis. Quem errorem Philosophus corrigit & tollit, dum ita relata definit, ut complectantur tantùm ea, quæ verè secundùm esse referuntur. Nec verò omnes respectus reales hoc prædicamentum ingrediuntur: alias enim omnia accidentia, quia habitudinem quandam & respectum ad subjectum habent, huc essent referenda; sed ij duntaxat, qui inter duo consistunt, tanquam terminos, qui inde etiam respectus prædicamentales cognominantur, dum cæteri vocantur transcendentales, qualis est respectus creaturæ ad creatorem, materiæ ad formam, accidentis ad subjectum &c.* Cajet. de Ente q. 15. Suarez disp. Metaph. 47. sect. 3. *imò & ipsa relatio subjectum requirit, adeoq; respectum illum ad suum subjectum habet cum cæteris accidentibus communem. Verùm quemadmodum relatio hæc prædicamentalis propter respectum, qui inter duo, tan-* **Non omnis respectus est Relatio.**

quam terminos,consistit, non propter habitudinem ad substantiam sive subjectum dicitur relatio, ita neq; reliqua accidentia propter eundem respectum pro relatis sunt habenda. Vbi etiam obiter notandum est,quòd quidem relatio subjecto insit, non tamen per se, sed κατ᾽ ἄλλο, *per intermedium, scilicet accidens absolutum, Quantitatem, Actionem, Qualitatem quoq;, quando ingenium Quantitatis induit. Est enim relatio omnium entium debilissimum. Non enim est per se Ens reale: sed per suum fundamentum. Vnde etiam Nominales ut* Ocham 1. d.30.q 1.ibid.Gabr. Greg.d.28.q.2. a.2. & ex Thomistis Hervæus 1.d.30. a.1.inQuodl. 7.q.15.Ægid.quoq; 1.d.26.q.4. Suarez disp. 47.sect.2. *Relationem tantùm secundùm rationem à fundamento differre statuunt: interim tamen adhuc alij sunt ut* Capreolus 1.d.30. q.1. Cajet.1. p.q.28.a.2.Ferar.4.contra gent. c.14. & fortasse etiam Scotus 2.d.1.q. 3. & 3. d.8. q.1. *qui reale discrimen hic agnoscunt. Certè valde intricatas habet hæc res difficultates. Mediâ autem viâ hic incedendum esse statuimus, ut neq; rationis, neq; reale agnoscatur discrimen, sed formale sive modale: quæ sententia probatur* Scoto in Qual. Iavel.5.Metaph.q.22.Fons.c.15.q.2. *Si enim in reipsa non aliquo modo distingueretur relatio à fundamento,non utiq; distingueretur à cæteris prædicamentis,adeoq; peculiare quoddam & distinctum Entis genus non constitueret.*

Relatio subjecto non per se inest.

Distinctio inter fundamentum & ipsam relationem.

Relata itaq; κατὰ τὸ λέγεσθαι *secundùm dici, sunt,quæ per se primò absoluta, secundariò verò & ex com-*

Relata secundũ dici quid sint.

ex consequente respectum & ordinem ad terminum afferunt, vel omninò à ratione in rebus excogitantur, ut scientia, habitus &c. Item genus, species &c. Aristoteles lib. Categ. c. 7. §. 1. & seqq. usq; ad §. 26. De quibus ita Damascenus c. 50. Dial. rectè monens ait: Oportet ea, quæ ad aliquid dicuntur, ad aliud prædicamentum reducere.

Relata secundùm esse dicuntur, quæ totâ suâ essentiâ relata sunt Arist. ibid. §. 27. ut sunt paternitas, filiatio, dominium &c. Nam hæc & similia solùm secundùm formalem & essentialem eorum rationem, hoc ipso quod sunt, & quidem primò sunt, ad aliquid aliud respectum habent, sine quo neq; esse, neq; intelligi commodè possunt. Vndè & tale relativum secundùm esse rectè dicitur à Metaphysicis, ὂν ὄντος, πρὸς ὄν, Ens entis, ad Ens, quia est illud Ens alicujus Ens, id est, in subjecto sustentatur, & ipsum ens, sive subjectum ad aliud quid ordinatur. Relata secundum esse quid sint.

Dari adhuc tertia potest Relatorum species, quam transcendentalem diximus, atq; hujus loci non est; cujus tamen breviter mentionem injicere volumus, ut distinguatur à prædicamentali. Sunt autem relata transcendentalia, quæ in omnibus generibus rerum inveniri possunt, atq; non tantùm in illis rebus, quæ in prædicamentis continentur, sed etiam in ijs, quæ supra omnia prædicamenta sunt. Talia relata sunt materia & forma, potentia & actus, caussa & effectus. Sic rectè dici potest, quòd in personis Trinitatis sit relatio transcendentalis, quippe quæ in hoc prædicamento locum habere nullo modo possunt, licet Relationes transcendentales.

per analogiam quandam ex hâc Categoriâ explicentur. Missis igitur relatis transcendentalibus, utpote quæ huc non pertinent, nec non relatis secundùm dici, nempe quæ revera relata non sunt; de relatis secundùm esse, de quibus etiam tantùm definitio, in theoremate posita, & modo paucis mutatis verbis repetita, loquitur, hic agendum est. Quo autem hujus relationis essentia meliùs investigetur & intelligatur, oportet sex istos terminos, relata constituentes, explicare. Primùm *est concretum sive Totum, nempe id, quod refertur, ut Socrates pater, vocaturq; illud relatum & correlatum. Deindè est absolutum, quod sustinet relationem, vocaturq; externum, sive subjectum, ut Socrates. Tertiò sunt termini, nempe ad quos proximè & immediatè definit relatio, ut pater & filius. Quartò est ipsa relatio, quæ nihil aliud est, quam ipse respectus inter duos istos terminos, ut paternitas. Quintò, quia hic respectus propter debilem suam Entitatem Enti absoluto in se sumpto inesse nequit, requiritur fundamentum, quod est accidens quoddam, ad sustentandam relationem subjectum disponens, idq; quadruplex datur: Quantitas, Qualitas, Actio, Passio. Quolibet enim illarum & quidem solâ in substantiis positâ, ponitur relatio, & destructâ, eadem quoq; destruitur. In adducto exemplo fundamentum est vis generativa, quâ alter potuit generare, alter generari. Sextò & ultimò, si unum illud accidens non suffecerit, sed præterea alia requiratur conditio (quod tamen non ubiq; evenit) vocatur illa ratio fundandi.*

Sex termini Relata constituentes.
1. Concretum.
2. Subjectum.
3. Termini.
4. Relatio.
5. Fundamentum.
6. Ratio fundandi.

di. Vt

di. Vt vis ista generativa fundamenti rationem paternitatis non absolvit, nisi accedat ratio hæc fundandi sive fundamentum proximum, quod est applicatio facultatis generandi. Quando itaq; δύναμις illa conjungitur cum hac applicatione, quæ in ἐνεργείᾳ consistit, oritur perfecta actio, quæ hujus relationis fundamentum verum constituit & absolvit. Vt autem rectè inter relationem realem & relationem rationis distinguatur, tria documenta à Iohanne Parentino secundùm Scotum circa dist.31.prim. sent.& q.6.quodl.disp. constituta, observanda sunt. 1. Oportet extrema & fundamenta quoq; realis relationis esse realia. Cùm enim accidens habeat suum esse per subjectum, non potest fieri, ut reale sit accidens, quod tale subjectum non habeat. In omni igitur reali relatione, ad ingenium cæterorum accidentium, requiritur reale subjectum inhæsionis. Quia autem propter debilem suam Entitatem relatio non possit esse in substantiâ, nisi fundamenti loco aliquid aliud accidens absolutum interveniat, requiritur etiam ad realem relationis constitutionem adhuc medium aliquod accidens reale, ut fundamentum. Ex quo documento intelligitur, quòd oppositio contradictoria sit relatio rationis, & non realis, quia unum contradictorium nihil ponit, sed potius aliquid privat & negat. Idcoq; non ex utrâq; parte sunt extrema & fundamenta realia. Eodem modo se res habet in oppositione privativa, verbi gratiâ, cæcitatis & visus. 2. Oportet realia extrema esse inter se reali-

Distinctio inter Relationem realem & rationis.

Tria documenta Scoti.

1.

2.

realiter distincta, vel omninò ex naturâ rei: quia alias relatio in re non existeret, sed à mente nostrâ effingeretur. Ex quo apparet, quod relatio ejusdem ad seipsum non sit realis, sed rationis. 3. *Oportet, ut ex naturâ extremorum sequatur talis relatio absq; operatione intellectus comparantis unum ad aliud, vel ut illa extrema à se invicem realiter dependeant. Ex quo manifestè liquet, relationem creatoris ad creaturam realem non esse: quia creator non dependet realiter à creaturâ: sic etiam relatio divinæ naturæ ad humanam in unione personali; quamvis relatio creaturæ ad creatorem eo modo realis censeri possit, quòd illâ à creatore realiter dependeat: sic etiam in mysterio incarnationis. Sic neq; relatio scibilis ad scientiam realis est, quia scibile non dependet à scientiâ: sed benè hæc ab illo. Atq; hinc facilè est intelligere, quomodo vera sit Aristotelis definitio* τῶ πρός τι, *quâ definit relata, quorum natura vel essentia est referri ad aliud. Nec enim relatis à mente nostrâ debet affingi relatio, sed talis debet esse eorum natura, ut absq; ope mentis sive intellectus se invicem respiciant. Petrus Fonseca* 5. Met. c. 11. *recenset quinq; documenta, quibus relatio realis à relatione rationis distingui debeat & poßit.*

Documenta Fonsecæ.

1. *Primum: non potest relatio actu exerceri inter duo extrema, nisi ambo sint realia, re omninò distincta & verè existentia. Vbi tria requisita relationis realis conjūguntur.* 1. *quòd debeant ambo extrema esse realia: inter privationes itaq; nulla datur realis relatio, ut inter cæcitatem & surditatem. Neq; etiam inter entia rationis, ut inter relationes prædicat-*

dicati & subjecti, generis & speciei: neq; inter entia ficta Chimæram & Erin: neq; inter Ens & non-Ens, ut inter hominem & ignorantiam, quæ cum ipso nascitur; & in summa, ubi non sunt entia realia. Defectu secundæ cōditionis intelligimus, identitatem numeralem relationem realem non esse: item inter unitatem specificam, genericam, analogicam, non esse realem relationem: quia quæ in inferioribus sunt unum, sunt etiam in superioribus unum, & proinde realiter non distincta, ut idem homo, qui est Grammaticus, & qui est Dialecticus. Defectu deniq; tertiæ conditionis non est relatio realis inter entia realia, quæ actu non existunt: verbi gratiâ, inter Iudam & aliquem hominem gignendum. Sic inter homines jam mortuos & adhuc existentes nulla est relatio realis. Secundum documentum est: 2.
nulla relatio potest esse realis, nisi fundamentum sit reale & re distinctum à fundamento relationis, ex alterâ parte respondentis. Hinc percipimus, quod nulla aptitudo, quæ sit non repugnantia, sit fundamentum relationis realis; proindeq; illa nec ens est reale. Quocirca vis generandi respectu paternitatis non significat potentiam non-repugnantiæ, sed suppositam aliquam qualitatem realiter in subjecto hærentem. Eodem modo intelligitur, parietem album & albam ejus superficiem, non esse similes reali aliquâ relatione; quia albedo, quæ est fundamentum similitudinis, non realiter distinguitur in utroque, sed una eademq; est numero. Tertium documentum 3.
est: ut relatio sit realis, non opus est, ut ratio fundandi sive fundamentum proximum sit ens reale,

vel ut sit in eâdem re, in quâ est relatio; sed sufficit, ut non pendeat ab operatione intellectus. Atq; ex hoc fundamento colligitur, non esse mirum, quòd similitudo, æqualitas, unio, distantia, paternitas, dicantur relationes-reales, etiamsi rationes fundandi harum relationum aut non sint Entia realia, aut non existant in rebus, in quibus sunt relationes ipsæ. Nam ratio fundandi similitudinis est unitas qualitatis: æqualitatis verò, unitas quantitatis; Vnionis autem unitas composita: quæ non sunt ὄντα realia. Paternitatis fundamentum proximum est actio gignēdi præterita, quæ jam amplius non existit, & tamen
4. *efficit, ut paternitas sit relatio realis. Quartum: Relationes, quæ æquè conveniunt rebus cùm actu non existunt, atq; cùm existunt, non sunt reales, sed rationis saltem. Hinc relatio boni non est realis, sed tantum rationis, quia esse bonum, est proprium Entis, & convenit ipsi tam si actu existit, quàm si non*
5. *existit actu. Vltimum: nulla relatio DEI ad creaturas est realis, ut creatoris ad creaturam &c. Quomodo igitur relatio realis sive vera, à relatione rationis sive apparēte distinguatur, manifestum est.*

Theorema II.

Relationis divisio.

Relatio alia est mutua & fundatur in Quantitate & Qualitate, & in actione, & passione: aut non est mutua, & fundatur in mensurâ, vel ipsa est mensura.

A definitione ad Divisionem progedimur.

Divi-

Dividuntur autem relata vel ratione fundamenti in positas species: vel ratione dignitatis. *Divisio hæc Aristotelis est, qui* lib. δ. Metaph. c. 15. *relationum distinctionem adducit, non quidem ex proprijs earum formis, sed ex fundamentis, in quibus relationes fundantur. Facit autem ibi triplicem relationem per se: primam, quæ fundatur in Quantitate; secundam, quæ fundatur in actione & passione; tertiam, quæ fundatur in mensurâ. Ita enim species hæ numerantur à Philosopho loco allegato. Quibus addimus relationem fundatam in Qualitate. Deinde mensuram cũ Quantitate in theoremate conjungimus, quòd majorem cum Quantitate cognationem habeat, quàm actio & passio. Quæ super Quantitate fundantur, in duplici sunt differentia: vel fundantur in continuâ Quantitate, ut æquale inæquale: vel in discretâ, ut duplum, triplum, sextuplum &c. Huc etiam omnes proportiones pertinent & comparationes. Nam, quod notandum est, Aristoteles non tantùm intelligit per quantitatem ea, quæ in prædicamento Quantitatis sunt: sed omnia quæ modum Quantitatis induunt. Nam & qualitates quatenus unitatis modum induunt, ad hoc prius membrum possunt revocari. Vt simile, dissimile. Deinde supra actionem & passionem fundantur illa, quæ à vi quâdam agendi & patiendi dependent, voculis illis latè sumptis, non tantùm pro mutatione reali & sensibili, sed pro quâcunq; excedendi tam activâ quàm passivâ facultate, ut pater filius, Dominus servus. &c. Tandẽ mensura, quæ ut testatur Iavellus, hic pro perfectionali sumitur, adeoq;*

in di-

in diversis prædicamentis locum habere potest, fundat relationes, vel ipsa est relatio: ut scibile est mensura scientiæ, intelligibile intellectus, sensibile sensus. Illis enim, ut objectis mensurantur & perficiuntur habitus & potentiæ. Priores itaq; relationis species mutuas relationes complectuntur, posteriores non mutuas.

Relata mutua.

Relata mutua sunt, quæ inter se habent æqualem respectum & ordinem: ut pater, & filius.

Relata non mutua.

Relata non mutua sunt, quorum respectus est inæqualis: ut scientia, scibile: Scientia enim per se & suâ naturâ refertur ad scibile; sed scibile ad scientiam non nisi relationem accipiat à mente comparante. Suarez disp. Metaph. 47. s. 15.

Theorema III.

Relata sunt vel æquiparantiæ, & disquiparantiæ: vel majoris & minoris comparationis.

Porrò ratione dignitatis Relationes ita dividũtur:

Relata æquiparantiæ.

Relata æquiparantiæ dicuntur, quæ sunt æqualia dignitate, idemq; nomen obtinent: ut similia, æqualia.

Relata disquiparantiæ.

Disquiparantiæ, quæ sunt inæqualia dignitate & diversum nomen habent. Vide Suarez ibidem.

Majoris comparationis.

Majoris comparationis relata sunt, in quibus dignius est relatum correlato; ut Dominus, servus.

Minoris.

Minoris comparationis sunt; quando relatum correlato indignius est, & vocatur hæc relatio à Scholasticis suppositionis ut Dominus est servi Dominus.

Theo-

Theorema IV.

Proprietates Relatorum ſunt, 1. Relata generaliter dicta inveniuntur inter ſe contraria. 2. magis & minus recipiunt. 3. omnia relata converſim alia eorum eſſe dicuntur. 4. Relata propriè & ſtrictim ita appellata, ſunt ſimul naturâ: & 5. ſi quis definitè noverit relatum, etiam determinatè noverit ejus correlatum.

Ad primam quod ſpectat affectionem, duo ibi ſunt tenenda. 1. illam veram eſſe in relatis ſecundùm dici & non ſecundùm eſſe. Relatum enim propriè ita dictum, licet opponatur ſuo correlato, nunquam tamen dicuntur correlata contraria. Nam relativè & contrariè oppoſita diverſæ ſunt oppoſitorum ſpecies, ut ſupra libro primo Ex. 14. *probavimus & cùm Philoſophus* lib. Categ. cap. de Quanto, *nihil contrarium eſſe poſſe iis, quæ ad aliquid referuntur, perſpicuè doceat, manifeſtum eſt, Philoſophum hâc proprietate tacitè refellere definitionem Platonis, quæ omnibus reſpectibus tribui poteſt, & primo loco* in cap. de Relatis *à Philoſopho ponitur. Deinde vera eſt hæc proprietas non ratione ipſorum reſpectuum, ſed ratione fundamentorum, vel quòd abſolutis accidat quædam relatio. Virtus* 1. Relatorum affectio.

enim

enim & vitia contraria sunt & dicuntur, non quoad relata, sed quatenus Qualitates sunt. Quando itaq; fundamentum tale est, quod contrarii sit capax, tum relatio quoq; hujus contrarietatis capax erit: Altera affectio est, quod relata generaliter sumpta recipiant μᾶλλον κ̀ ἧττον: ut simile, dissimile; æquale, inæquale &c. Oritur autem & hic dubium, an affectio hæc competat relatis ratione relationis, an ratione fundamenti. Neutrum affirmari posse videtur: Si enim ratione relationis, quæ sit major ratio de uno relativo, quàm de alio, non apparet: si verò ratione fundamenti, sequitur, quòd fundamentum magis & minus recipiat; atq; tum quoque relatio affectionis hujus capax sit; alias verò non. Falsum autem hoc esse apparet: nam æquale & inæquale suscipiunt magis & minus, non verò Quantitas, horum fundamentum. Hoc dubio moti nonulli interpretes, exemplum hoc de æquali & inæquali ab aliis hic insertum esse, neq; Aristotelem id statuisse suspicantur. Sed respondemus suscipere magis & minus competere relatis ratione fundamenti, idq; dupliciter accipiendum esse: Uno modo quando propter fundamentum, cui propriè competit magis & minus, hoc quoq; dicitur de relatis: ut in relatis, in Qualitatibus fundatis. Alio modo, quando ex varietate & ἑτερότητι fundamenti dicuntur relata magis & minus suscipere. Sic quantum, prout fundamentum relationis est, variatur secundùm magis & minus, ut videre est in lineis, quarum una digitum longa, altera duos digitos, tertia tres, Hæ duæ inæquales sunt primæ:

2. Affectio.

tertia verò magis inæqualis primæ, quàm secundæ, & secunda magis æqualis primæ, quàm tertia rectè dicitur. Hoc etiam modo simia dicitur animal magis simile homini, quàm asinus: non quòd animal propriè suscipiat magis & minus: verùm propter varietatem animalis secundùm diversos modos essendi in hoc & in illo. Tertia affectio est, quòd omnia relata conversim dicantur, ut servus est Domini servus, & Dominus est servi Dominus: Duplum est dimidij duplum, & dimidium est dupli dimidium, & majus est minore majus, & minus est majore minus. Docet autem hæc affectio, neutrum altero esse latius vel angustius, sed per se invicem definiri & explicari, ut ex positis exemplis est manifestum. 3. Affectio.

Tria autem sunt conversionis hujus impedimenta, quæ illam, si non planè impediunt; tamen difficiliorem reddunt. Primum est, quando aßignatur correlativum non per se, sed per accidens: ut si pro correlativo Alæ sumatur avis, inconveniens est, & impeditur conversio: cùm quædam reperiantur, quæ alas habent, neq; tamen aves dici possunt, ut muscæ, Scarabei &c. Dicendum itaq; alam esse alati alam, & alatum esse alæ alatum. Secundum impedimētum est, quando correlativum nomine caret, & fit relatio ad quoddā absolutum: ut si clavo aßignetur navis, est inconveniens aßignatio & impeditur reciprocatio. Clavus enim cum navi non convertitur; cum quodlibet navigium clavum non habeat. Removetur hoc impedimentum, quando ὀνοματοποιοῦμεν & dicimus clavum clavati

Tria conversionis relatorum impedimenta. 1. 2.

clavum

clavum & clavatum clavi clavatum. Tertiò interdum varia relatorum accidentia relationem obscuram reddere possunt. Oportet itaq; omnia illa accidentia secerni & per intellectum abstrahi, verbi gratiâ, Dominus & servus sunt correlata, accidit utriq; esse hominem, esse bipedem: quòd si quis servum referat ad bipedem vel ad hominem, ut relatio fiat hoc pacto: servus hominis vel bipedis servus, item homo vel bipes est servi bibes vel homo, jam manifestò apparebit, relationem nullius momenti esse. Omnia itaq;, quæ in re sunt, propter relationem amputanda sunt, & duntaxat relinquenda, quæ relationis gratiâ inter se opponuntur: cætera enim

4. Affectio omnia accidentia sunt. Quarta affectio, quæ competit relatis propriè ita dictis, est, omnia relata sunt simul naturâ: ut posito duplo & servo, ponitur dimidium & Dominus: posito dimidio & Domino, ponitur duplum & servus: sublato duplo & servo, tollitur dimidium & Dominus: sublato dimidio & Domino, tollitur duplum & servus. Circa proprietatem hanc hoc movetur dubium: An omnibus relatis ex æquo hæc affectio insit: contrarium enim esse manifestum videtur in scientiâ & re scibili, item in sensu & sensibili. Circuli enim quadratura scibilis est, licet nondum ejus sit scientia. Et scibile sublatum tollit scientiam: scientia verò sublata non tollit scibile, & animali sublato etiam tollitur scientia, scibilibus interea multis restantibus. Sic in sensu & sensibili: sensile prius est quàm sensus: quandoquidem sensile sublatum tollit sensum; quia tollit id, quod est subjectum sensus. Sensus verò sublatus

non

non tollit sensile, quia sublato animali, non restant sensus, & tamen multa restare possunt corpora sensilia, & sensus non existit ante sentiens, quod est animal: multa autem sunt corpora priora animali, ut elementa, ex quibus animal componitur: Ergo omnia correlata simul naturâ esse non videntur. Respondemus: *omnia relata esse simul naturâ formaliter sumpta, hoc est, in quantum relata sunt.* Excipis: *Quare igitur Aristoteles tam accuratè partem falsam prosecutus fuit, & absq; veritatis decisione reliquit?* Responsio est expedita: *Diximus enim proprietatem hanc omnibus omninò relatis inesse formaliter, non materialiter: quia itaq; rationes Aristotelis non concludunt, nisi de relatis materialiter consideratis, illorum solutiones non curavit: tum quia vel rusticis notum est, relata materialiter considerata, non simul naturâ esse, quando patrem, quatenus pater est, simul cum filio, quatenus verò persona filio longè priorem esse asserunt: tum quia relata materialiter sumpta, relata non sunt. Vanum itaq; & puerile esset, relatorum naturam & proprietates scrutando illa relata asserere. Tenendæ ergo hic sunt duæ regulæ.* Regulæ.

1. Omnia relata, si verè ac propriè assignentur, sunt simul naturâ. 1.

2. Quædam relata non sunt simul naturâ, quia non sunt propriè assignata: *ut scibile & scientia.* 2.

Prioris probatio manifesta est ex præcedentibus, omnia nempe relata, rectè assignata, ἀντιστρέφοντα λέγεται: Ergo sunt simul naturâ. Consequen-

tia est manifesta. Quodlibet enim relatorum dicitur πρὸς ἀντίστροφον ejus, ad quod refertur & dicitur: posito itaq; quocunq; relatorum, ponitur id, ad quod refertur, & dicitur, & non solùm ponitur, sed etiam suâ relatione ad illud convertitur. Deinde unum relatorum continetur in ratione & definitione sui proprij correlati & contra. Ergo sunt simul naturâ. Consequentia firma est. Definitum enim non potest esse absq; definientibus: contrarium autem fieret si relata non simul naturâ esse dicerentur. Ad evidentiam alteræ propositionis tenendum est, defectum in aßignandis relatis provenire, quando ea, quæ dicuntur secundùm potentiam, referuntur ad ea, quæ in actu & habitu sunt, & contra: cùm potius æqualia ad æqualia, hoc est, potentia ad potentiam, habitus ad habitum, actus ad actum, referri debeant. Vnde scibile secundùm potentiam non rectè refertur ad scientiam, quæ actu est, atq; adeo scientia & scibile non revera relata sunt. Penuria autem vocabulorum hujus erroris, nempe quod nonnulla relata correlatis suis priora videantur, caussa est: quia enim deest vocabulum, significans scibile in actu, & scientiam in potentia; scibile refertur ad scientiam, & scientia ad scibile: cùm potius scibile ad id, quod scientia est potestate, & scientia ad id, quod actu scitur, referri debeat. Hoc verò quando fit & relata ita rectè aßignantur, scientia cum eo, quod actu scitur, & scibile cum eo, quod potentia scientia est, convertitur, & simul naturâ esse rectè dicuntur.
5. Affectio. Tandem dicitur, quòd cognito vno relatorum, cognoscatur & alterum. Proprietas hæc ex pro-

priâ illorum definitione fluit. *Cùm enim relatorum esse nihil aliud sit, quàm alterius esse; sequatur necesse est, uno eorum cognito, etiam alterum cognosci, idq; non tantùm cognitione actualis existentiæ, sed etiam definitivæ, id est, non solùm quod sit, sed etiam quid sit.* Atq; hactenus de Relatis.

EXERCITATIO VNDECIMA

Typus hujus Exercitationis.

- Secundaria accidentia (th. 1.) vel oriuntur ex adjuncto substantiæ accidente
  - Absoluto: nẽpe vel ex
    - Qualitate ut
      - Actio. th. 1.
      - Passio. th. 2.
    - Quantitate
      - Quando. th. 3.
      - Vbi. th. 4.
  - Relato, ut
    - Situs. th. 5.
    - Habere. th. 6.

Supra Exercit: 7. th. 2. Accidentia tributa sunt in Primaria & Secundaria. De primarijs hactenus: Secundaria sequuntur, quæ ibidem definivimus ejusmodi accidentia, quæ ex complicatione substantiæ & simplicium accidentium oriuntur. *Recentiores nonnulli accidentia hæc vocant* Absoluto-relata, *de caussâ quæri potest.*

Nonulli in eâ sunt opinione: Entia hæc, in suâ naturâ includere relationem prædicamentalem,

cum videantur semper dici ad aliquid. Vnde etiam Averroës 3. Phys. text.18. *actionem & paßionem vocat relatè opposita. Statuendum verò esse censemus, quòd neq; ad absoluta neq; ad relata sint referenda. Non ad absoluta, cùm manifestum habeant respectum & sine eo esse nequeant. Non ad relata. Nam actio non respicit patiens ut terminum, sed ut subjectum aliquod externum in quod agat. Quare propter hanc caussam neq; relatio, neq; relatum esse potest. Si verò quis dicat omnia accidentia suum respicere subjectum, respondemus non esse hunc respectum de quo hic agimus. Nam eo quoq; respectu actio suum respicit subjectum, in quo est, non in quod agit. Sic Petrus quando verberat Paulum, in Petro est actio, tanquam in subjecto, sed insuper actio illa agit in Iohannem, tanquam in subjectum extrinsecus. Imo si verum esset actionem & paßionem, nec non reliqua genera, relata esse, ab illis quæ in relatione sunt non constituerent genus distinctum, sed sub illorum ordinem cogi deberent. Habent igitur hæc* ὄντα *mediam quandam naturam, nempe absolutam cum respectu transcendentali in gradu excellenti, nempe sine quo neq; sunt, neq; intelliguntur. Nam licet quidem & in alijs accidentibus habeatur respectus transcendentalis, ut scientia refertur ad suum objectum, virtus quoq; & similes habitus: qui tamen novum prædicamentum constituere nequeunt. Verumenimvero maxima hic est distinctio in gradibus. Nam in scientiâ & similibus habitibus adeo debilis est hic respectus, ut in habitu constituti & sumpti, etiam sine isto esse & existere poßiât. Vt in dormienti*

miente est scientia, est quoq; virtus &c. Verùm ibi non est respectus ad objectum. Unde dicitur, & verum etiam est, quòd aliquid poßit sciri in habitu, quod in actu ignoretur: quod certè fit, quando habitus per incogitantiam non refertur vel applicatur ad suum objectum. Hoc verò de actione & reliquis sequentibus generibus dici nequit. Nam actio prout actio est, & suam essentiam habet, & in aliquo est; semper refertur ad suum subjectum patiens. Sic Quando absolutè nunquam est: quandoquidem in suâ naturâ est aliquis respectus inter rem, quæ in tempore est, & inter ipsum tempus. Sic res se habet in Ubi, Situm esse, & Habere, ut ex definitionibus illorum id manifestum est. Quia itaq; transcendentalem illam relationem in suâ essentiâ ubiq; exprimant, & quidem talem, quæ proximè ad prædicamentalem accedit, rectè dici potest, quòd mediam quodammodo habeant naturam, adeoq; nomen hoc Absoluto-relata sorciantur. Convenientius tamen adhuc videtur esse nomen, quo secundaria accidentia indigitantur: tum quòd transcendentalis relatio omnibus prædicamentis attribui queat; tum, quòd hoc nomine, illarum natura melius exprimatur, ut illud ex definitione manifestum est.

Secundaria accidentia vel resultant ex adjuncto substantiæ accidente absoluto, vel relato.

Ex absoluto, nempe, vel ex Qualitate, vel ex Quantitate cum substantiâ conjunctis. Ex

Ex Qualitate substantiæ junctâ, est actio & passio.

Theorema I.

Actio est, secundùm quam in id, quod subjicitur, agere dicimur: ut calefactio in igne, quando subjectum aliquod calefacit, puta aquam.

Definitio hæc est Gilberti Porretani in lib. de 6. princ. *Dicimur autē agere vel effectivè, secundum animam tanquam Principium: vel directivè, secundum artem: vel formaliter, secundum potentiam agentis: vel instrumentaliter: idq; rursus aut separatim, ut per securim; aut conjunctim, ut per manum. Hervæus* quodl. 7. q. 14. quodl. 1. q. 9. *unâ cum Iavello* 5. Metaphys. q. 23. *actionem facit formam quandam absolutam in subjecto. Sed tum actio diversum prædicamentum non constituet: sed tot ingredietur prædicamenta, quot sunt diversitates genericæ, formarum per actionem productarum. Considerantur in actione hæc quatuor: agens, patiens, actio, & ἐνέργεια, quæ ab actione proficitur. Vt in igne quando calefacit aquam, ignis est agens, aqua patiens, calor est ipsa actio. Calor autem in aqua ea est ἐνέργεια, quæ ab actione proficiscitur.*

Actio vel dividitur in genere, ratione suæ naturæ & essentiæ, vel in specie, ratione agentium.

Actio ratione suæ naturæ & essentiæ considerata & divisa, est vel immanens vel transiens lib. 9. Metaph. t.16. 1. Actionis divisio.

Immanens est, quæ nullam evidentem mutationem extrinsecus inferre potest. Actio immanens quid sit.

Actio immanens est duplex: Alia formaliter manet in eâdem potentiâ proximâ, à quâ elicitur, quæq; ex suo genere talis est, ut nunquam in alio subjecto fieri possit: ut intellectio, volitio &c. sensus &c. Quæ enim intelligimus, volumus, sentimus &c. à nobis nihil patiuntur. Vt cum astra intueor, realiter nihil patiuntur, sed duntaxat visui meo objiciuntur. Zabarella spiritalem appellat actionem lib. 1. de nat. Log. cap. 8.

Alia actio immanens non quidem in eâdem potentiâ, sed tamen in eodem subjecto, manet: ut motus gravium & levium, actus vitales &c. Ex actionum genere *actiones hasce immanentes sustulit Soncinas* lib. 5. Metaphys. q. 36. *quòd termino careant. Alij ut* Ferrar. 1. Cont. gent. cap. 53. Capreol. 1. d. 27. q. 2. Cajet. 1. p. q. 27. a. 1. dub. 1. & 3. *hanc rationem sufficientem esse negant, cùm de ratione actionis non esse videatur.*

deatur, habere terminum. Nos verò *cum* Gabr.1.d. 27. q.2. & Scoto ibid. q.3. *concedendum esse utrumq́3 existimamus, actionem immanentem & terminum habere, & ad hoc prædicamentum referendum esse. Terminus enim est qualitas in subjecto recipiente producta. Inquis: cur itaq3 Aristoteles* lib. 9. Metaph. t.16. *dicit, actionem immanentem non desinere in opus. Respondemus, intelligere ibi Aristotelem vel Opus externum, vel quòd necessariò post actionem remaneat. In tale enim opus, quod etiam propriè opus dicitur, non necessariò hujusmodi actio desinit.*

Transiens quid sit.

Transiens est, quæ mutationem extrinsecus infert: hoc est, Actio transiens formaliter accepta est, quæ initium ducit ab agente externo & recipitur in passum. Nam propriè actio non inest in agente, sed in patiente, ut verberans actionem suam non recipit, sed incutit illam externo subjecto. Anton. Andr. lib.9. Metaph. q.4. Gilbert. q.9. Scotus 4.d.13.q.1.& quodl.11. *dum statuunt actionem revera à passione distingui, actionem quoq3 in ipso agente esse tradunt: adeoq3 nullam transeuntem formaliter: Ita verò dici quoad efficaciam. Verùm & fundamentum hujus opinionis & ipsa assertio falsa est. Fieri enim nequit, ut actio sit efficax in eo subjecto in quo non est. Cùm omnis actio Physica fiat per contactum.* lib.7. Phys. t.9.10. *Huc pertinent motus Physici, imprimis alteratio, quæ patiens mutat, ut calefactio est actio transiens: realem enim passionem & immutationem infert ignis in aquam, dum calefacit. Atq3 de actione hâc principaliter loquitur posita definitio.*

Actio

Actio ratione agentium divisa & generalissimè sumpta 1. alia est DEI, alia creaturæ. 1. Divisio actionis.

Actio DEI est vel interna, quæ personalis est: vel externa, quæ refertur ad creaturas.

Actio creaturæ vel spiritualis est, vel corporea.

Actio spiritualis vel est angelorum, vel animæ humanæ:

Angelorum vel bonorum vel malorum.

Actio bonorum angelorum vel est DEI celebratio, vel executio mandatorum DEI apud creaturas reliquas & præcipue apud pios & fideles.

Actio malorum angelorum est creaturarum & hominum imprimis varia tentatio & afflictio, idque permittente DEO.

Actio animæ proprie ea est, quam exerit à corpore separata: ut intellectio.

Actio corporea est varia & distinguitur secundùm arborem Categoriæ substantiæ.

II. *Alia actio est naturalis, alia voluntaria, alia fortuita. Naturalis est, quæ naturali instinctu suscipitur. Vt est nutritio, augmentatio, diminutio & multæ aliæ actiones tam brutorum, quam hominum. Voluntaria est, quæ consilio & deliberatione*

suscipitur, ut docere, secundùm normam virtutis agere &c. Fortuita est, quæ à fortunâ oritur, ut invenire thesaurum per foßionem.

Affectiones tandem Actionis recensentur duæ: prima est, quòd actiones contraria recipiant: *ut calefactio, frigefactio: quod tamen per se intelligendum non est, sed propter duarum qualitatum contrarietatem, quæ per actionem agentis suscipiuntur in subjecto patiente: ut calefactio, frigefactio, contraria sibi invicem dicuntur, eò, quod per calefactionem patienti subjecto imprimatur calor, & per frigefactionem, frigus: quæ sunt inter se Qualitates contrariæ. Omnibus quoq; actionibus propter hanc caussam non competit, quæ videlicet non habent contrarietatem contrariarum Qualitatum: ut circulum describere. Altera affectio est, quod* actio recipiat magis & minus. *Quæ etiam non omnibus propter eandem rationem inest: circuli enim delineatio non recipit magis & minus. Addunt & alij alias notas Actionis: nempe quod omnis* actio certo fine suscipiatur & terminetur. *Nam omne agens suo appetitu ad agendum commovetur, alias non ageret: unde & finis dicitur principium actionis* lib. 6. Eth. c. 5. Et lib. 2. de cœlo c. 3. *Vnumquodq; est propter suam operationem. Deinde omnis actio paßione prior est ordine naturæ & dignitatis* lib. 3. de anim. c. 5. *Vnde etiam intelligitur, quòd semper sit præstantius dare, quàm accipere: cùm dare magis sit agere, quàm accipere.*

Theorema II.

Paßio est, secundùm quam

id,

id, quod ſubjicitur, pati dicimus.

Velut eam definit Gilbertus: Paſſio eſt effectus illatioq; agentis, ſecundùm quam hæc quidem patiuntur magis, illa minus. *Alij huc referunt definitionem Ariſtotelis, ex 3.* Phyſ. *ubi dicitur actus moventis in mobili ſive mutatio patientis ab agente. Alias terminus hic, paſſio, æquivocus eſt. Interdum enim accipitur pro qualitate illâ, quæ ſub ſenſum cadit, quam in prædicamento Qualitatis explicavimus, & hujus paſsionis effectus eſt: aliquando pro Qualitate à principiis alicujus rei fluente, ut docile in homine: aliquando pro notione ſive conceptu ut* cap. 1. lib. de Interpr. *aliquando pro pœna ſive juſtè ſive injuſtè inflictâ: aliquando pro paſsione, quæ effectus eſt actionis ab eâ emanans; ut verberatio: atq; ita hoc loco ſumitur, & modo definita eſt.* Paſsionis vox æquivoca eſt.

Paſsio alia eſt transmutativa, alia intentionalis, alia perfectiva, alia defectiva ſive privativa.

Paſsio transmutativa eſt, quâ fit realis quædam mutatio in patiente: *ut frigefactio efficit paſsionem in aqua. Reſpondet hæc actioni tranſeunti, & propriè paſsio dicitur.* Paſsio transmutativa.

Paſsio intentionalis eſt, cùm tantùm fit actionis terminatio, nulla verò realis mutatio. Paſsio intentionalis.

Talis passio oritur ab immanente actione circa externa objecta. Sic res colorata dicitur aliquo modo pati, quia terminat & excipit visum. Vocant nonnulli talem passionem spiritualem & Logicam.

Passio perfectiva.

Perfectiva est, qua subjectum perficitur, *ut calefactio, nutritio, auctio.*

Defectiva est, per quã subjectũ aliquo vel quibusdam privatur: *ut Eclipsis in lunâ, morbus &c. Dividi etiam potest passio in passionem animi & corporis. Passio corporis est, quæ in corpore fit, ut calefactio passiva. Passio animi est, quæ fit in animo. Posset hic etiam quæstio moveri: an duo sint prædicamenta Actionis & passionis, an unus duntaxat sit motus: Prædicamenta dicuntur genera inter se maximè discrepantia. Si autem unus & idem est motus in actione & passione, sequitur quòd res in duobus hisce prædicamentis contentæ, non realiter inter sese differant, & sic nec summa sint genera. Maxima hac de re controversia est inter Thomistas & Scotistas. Nam hi statuunt realiter actionem & passionem differre. Thomistæ contrarium: atq; ad illa, quòd prædicamenta sint genera inter se maximè discrepantia, de prioribus quatuor prædicamentis potissimùm intellectum volunt. Et omninò statuimus, sufficere ad descriptionem prædicamentorum, si res formaliter differant: licet realiter non distinguantur. Passio itaq; non est quippiam revera ab actione distinctum, quemadmodum* lib. 3. Phys. c. 3. *Aristoteles satis docet ac ibid. defendunt* Simpl. Philop. Themist.

Themist. Thomas Averr. t. 20. Jandun. q. 5. Ferrar. q. 4. Tolet. q. 2. Conimbr. c. 3. q. 1. Perer. lib. 13. c. 7. Hervæus quodl. 4. q. 4. Suarez diſp. 49.

Affectiones paſsionis ſunt 1. paſsio quidem per actionem infertur, non tamen recipitur tam per conditionem agentis, quàm diſpoſitionem ſive modum patientis. Vel ut alias exprimitur hæc maxima: Receptivum non recipit per modum imprimentis: ſed per modum receptivitatis. *Unde contingit, ut à vehementiſsimo turbine quercus impetita, tamen non moveatur. Non enim ſemper ita neceſſarium patiens ſubjectum patitur, ut agens agit:* conferatur Scalig. Exerc. 16. ſect. 2. *2. paſsiones recipiunt contrarium. 3. paſsiones recipiunt magis & minus. Hæ duæ affectiones quomodo ſint intelligendæ, ex actione manifeſtum eſt, nempe ratione qualitatum, quibus mediantibus fit paſsio. Sic calefactio in aquâ modo minor, modo major eſt.* Paſsionis affectiones.

Theorema III.

Quando eſt, quod ex adjacentia temporis relinquitur in re temporali.

Genera, quæ ex qualitate ſubſtantiæ junctâ oriuntur, vidimus: ſequuntur ea, quæ ex Quantitate ſubſtantiæ junctâ originem trahunt, nempe Quando & Ubi.

Quando definimus id, quod ex adjacentiâ temporis Quando quid ſit.

poris relinquitur in re temporali, quatenus ea mensurantur tempore in quo est, fuit & erat.

Quando igitur, prout prædicamentum & genus seorsim ab aliis constituit, non sumitur interrogativè, ut quando venit Messias? neq; definitivè, ut quando venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum: neq; est tempus simpliciter, alias reduceretur ad prædicamentum Quantitatis: sed est respectus temporis ad substantiam, quæ inesse intelligitur: ut hoc die, hoc anno, item hodie, heri, cras, perendie, pridie, Calendæ, Idus, nonæ, deinde, Iamdudum. Verùm hora, dies, mensis, annus &c. non sunt Quando: sed ad tempus pertinent. Sunt enim distinctiones ejus & certam temporis mensuram denotant. Rectè itaq; dices secundùm hoc genus sive prædicamentum: Petrus olim fuit, Petrus est hodie, Petrus erit aliquando, Petrus est hoc anno; non verò hunc annum, sive annus. In tempore enim potest esse Petrus, ipsum verò tempus non est.

Quando est duplex. Simplex. Dividitur à nonnullis in Quando simplex & compositum. Illud est habitudo rei ad tempus impropriè ita dictum, nempe indivisibile: ut angeli, qui in ævo sunt, item esse hominis, quod in hoc momento temporis est.

Compositum. Quando compositum est habitudo rei ad tempus propriè ita dictum & divisibile: ut esse in hoc anno, in hoc die vel horâ. Quemadmodum enim præter æternitatem duæ sunt τοῦ Quando mensuræ; tempus & ævum: ita duplex est habitudo essendi: vel sub ævo, vel sub tempore: hoc est, duplex est Quando, ut jam explicatum est.

Affectio-

Affectiones hujus sunt : quando neq; contrarium inest, neq; magis & minus suscipit. Nam neq; alius alio magis vel minus in tempore esse dici potest: neq; etiam esse hodiè, contrarium est, heri vel ante annum fuisse. Affectiones.

Theorema . IV.

Ubi est circumstantia corporis à circumscriptione loci proveniens. Vbi quid sit.

Quemadmodum Prædicamentum Quando non simpliciter significabat tempus; sic neq; ubi simpliciter Locum denotat. Hic enim ad Quantitatem refertur; sed quatenus significat in loco aliquid esse locatum, verbi gratiâ, esse in foro. Sensus itaq; definitionis est: Vbi est habitudo quædam, quæ in corpore locato provenit, quia isto loco circumscribitur. Alias vox Vbi tribus sumitur modis: Interrogativè, ut Vbi est Elias? indefinitè, pro ipso loco, quatenus locus est continuum quid: ita accipitur in Quantitate: tandem relativè pro comparatione loci ad rem locatam. Et sic hoc loco.

Dividitur etiam in simplex & compositum.

Vbi simplex est habitudo ad locum indivisibilem, & analogicè ita dictum: quia eo ipso, ut in præcedente Tempus, locus esse non potest, nisi analogicè: ut esse angeli in puncto. Non enim habet partes extra partes diversas, diversis loci partibus respondentes.

Vbi compositum est habitudo corporis locati ad

locum divisibilem & divisibiliter se habentem, ut singulæ partes singulis loci partibus correspondeant: ut in corpore humano & similibus est manifestum. Atq; huic Ubi posita Gilberti definitio propriè competit. Vocatur illud in loco esse circumscriptivè; alterum definitivè.

Affectiones τȣ Ubi. *Ubi quoq; non recipit contrarietatem. Nam quemadmodum locus loco nō est contrarius: ita quoq; in loco esse non recipit contrarietatem. In foro enim esse, non est contrarium illi, esse in hypocausto. Deinde non recipit magis vel minus, quia locus non recipit: Ubi verò est locus quodammodo.*

Theorema V.

Situs est positio partium in toto, habito tamen respectu simul ad Locum.

Secundaria accidentia ex adjuncto substantiæ accidente absoluto orta fuerunt hactenus: sequuntur, quæ ex accidente Relato substantiæ juncto originem trahunt, & sunt: Situs & Habere.

Situs itaq; est ipsa partium positio & generationis coordinatio, secundùm quam dicuntur stantia vel sedentia, aspera vel levia, vel quomodolibet aliter dispositа. Additur autem in Theoremate habito respectu ad locum simul. *Rectè enim Crellius:* Ubi, *inquit*, est circumscriptio corporis: positio verò, situs & circumscriptio partium corporis. *Illud igitur rectè intelligenti neq; hoc obscu-*

obscurum est, cum reipsa non differant; sed tantùm hoc modo, quod ubi ordinem totius locati ad totum locum significat, nullâ partium ratione habitâ; positio verò ordinem partium locati & ad totum & ad partes loci. Quemadmodum enim totus locus toti loco; ita quoq; singulæ partes loci, singulis locati partibus respondent.

Positio est vel voluntaria vel naturalis. Positionis divisio.

Voluntaria est, quæ à voluntate nostra est, ut stare, jacere, genu flexo adorare. Voluntaria.

Naturalis est in generatione ordinatio. Ita autem natura ordinat, ut partes inter se comparatæ, & etiam ad totum, diversum habeant situm: patet hoc in capite, humeris, pectore, ventre, & pedibus humanis. Ipsorum autem situs in generatione ita ordinatus est: atq; propterea naturalis dicitur. Naturalis.

Affectiones duæ sunt. 1. Non recipit contrarietatem. 2. Non recipit magis & minus. Eadem illarum hic ratio est, atq; in prædicamento Vbi. Affectiones.

Theorema VI.

Habere sive habitus est corporum & illorum, quæ circa corpus sunt, adjacentia. Habere quid sit.

Vltimum prædicamentum est Habere sive Habitus. *Quod vocabulum æquivocum est. Præter illas enim significationes, quæ recensentur* lib. Categ. cap. ultimo, *Habere tripliciter dicitur: formaliter, caussaliter seu effectivè & exempla riter. Habere formaliter est, quando est subjectum illius,*

quod habet: ut album albedinis. Habere caussaliter est, quando habens potest effectivè producere quod habet. Habere exemplariter est, quando quis intelligit seu cognoscit id, quod habet. Prout verò singulare prædicamentum constituit, sumitur in eâ significatione, in quâ per definitionem descriptum est, quæ innuit, Habere hoc loco significare quandam habitudinem in corpore, quæ in illo ex applicatione alterius cujusdam corporis oritur, verbi gratiâ, vestitum esse, tunicatum esse.

Habitus est duplex: naturalis & artificialis.

Naturalis: *ut habere capillos in capite, ut in homine: habere squammas, ut in piscibus: habere lanam, ut in ovibus; habere plumas, ut in avibus. &c.*

Artificialis: *ut vestitum esse, tunicatum esse, hastatum esse.*

Artificialis est vel ornamenti vel indumenti.

Illius generis est esse coronatum, annulatum. &c.

Indumenti habitus est duplex: domesticus & bellicus.

Illius est togatum esse: hujus loricatum, hastatum: sed manifesta hæc sunt & longiore explicatione non egent.

Atq; hæc totius hujus divinæ scientiæ rudis esto in præsenti delineatio. Veritatem quidem & perspicuitatem secuti sumus, assecu-

assecuti forsitan usquequaque (quæ ingenij nostri tenuitas) non item. Quod si non puduit Aristotelem, confecto absolutissimi Organi sui opere, veniam precari, quantò justius nos eandem & petere & obtinere par est?

Tu æterne Deus, omnis sapientiæ autor & fundus, fac, ut veritatem ubiq; sequamur, certa, solida & utilia amemus, veneremur, amplectamur, omnesque præstigias, fraudes & imposturas fugiamus, falsa & inania odio habeamus, errores corrigamus, tollamus, execremur. Cui laus & gloria seculis nunquam terminandis.

FINIS.

IUL. CÆS. SCALIGER

De Ariſtotele.

NE perge, ne viator: hîc ſiſtas gradum.
Vltrane promovere poſſe te putas?
Hic meta mundi, hic finis orbis ultimus,
Ariſtoteles, haud totus, haud ſemis, neque
Tantilla tanti portio miraculi.
Magnine dicam interpretem clarum poli,
An æmulũ alterasq; Naturæ vices?
An ſuper & hæc, & omnia alibi poſſumus
Quæ dicere, & quæ dicere hîc non poſſumus?
Apprende mẽte: ſi tamen mentẽ Dei
Qui comparem par prendit, hunc ſolers capis.
Vnus ſuper omnes, ſingulis qui omnes fuit:
Penes Deos homo, penes homines Deus.

Index cùm verborum tum rerum in Exercitationibus hisce Metaphysicis cumprimis notatu dignarum.

Ægyptij

Caussa-

Con-

in Con-

vir-

ctum

Enti-

Imme-

Lappi

Mate-

ordi-

Non

cui

Sup-

FINIS.



Corrigenda.


Litera P. Paginam. L. lineam ſignificat.

P.3. l.9.th.3.)p.6.l.8. ὀρεκτικ. p.9.l.22.τέχνη.p.12.l.18. σοφὸς. p.16.l.21.Catoptrica.p.17.l.9. Theorema.p.18.l. penult. conformatione.p.21 in tabula lege: Theoria.p.24.l.13.generaliter. l.15.exponantur.p.27.l.14.affectionibus illis. p.49. l.6. σκέψει. p.57.l.ult.prædicari.p.64.l.5.eam.l.ult.bonam.p.66. l.antep.pro C.7.lege.c.8.p.108.l.23.tex.10.p.124.l.6.effectus. p.151.l.8.q.46.p.153.l.18. Vicom.2.de.p.210.l.19. Quantitatis & fig.p.218.l.9.utrumq;.219.l.antep. latitaſſe dele punctum.l. pen.lacrymoſa.p.220.l.1.ne virilis.p.237.l.4.lib.ί.cor. p.249. l.2. πολλῶν. l.8. ὅπερ. l.19. οὐ. l.20. ἐκληπτέον. p.254.l.25 κολοβὸν.p.291.l.1.frigidum.p.303.l.21.c.43. p.334. l.25.q.7.p.366.l.11.lib.r.p.381.l.21.habet. p 382. l.1. ſupereminentiã.p.384.l.24.fruũtur.p.401.l.17.c.10.p.405.l.3.c.9.p.466 l.12. αὐταγαθὸς. ἀγαθὸς. 493.l.16. ὕπαρξις.p.495.l.13. δεόμενον. p.499.l.2. ἰδιοϋπός.p.501.l.12.τοῦτο.l.25.lib.ζ. ἐνὸν.p.504.l.14.ἐφετόν.p.526.l pen.ἀμέγεθες.p.530.l 22.ἃ ſe ſeorſim p.534.l.ult. μοι τῇ. p.538. l.27. eadem. p.540. l.13.fœmina p.541.l.5. καθορᾶται p.542.l.4.temerè.p.544. l.ult.Et Origenes.p.554.l.ult.elicit.p.576.l.8.fine.p.580.l.antep.αἰῶνος. p.582.l.23.permanentiam.p.597.l.7.regatur. p. 602.l.23.Bion.p 603.l.2.falsè.p.606.l.13.videtur.p.629. l.11. non ſint.p.631.l.antep. ἄφθονος.p.634.l.4.cum teſtatur illum.p.638.l.11.ſerm.51.p.646.l.17.fieret.p.647.l.3.Ranuncule.650.l.16.dicimus.p.652.l.24. ἀνέργητα, vel ἐνεργητικά. 659.l.10.quæq;.p.674.l.22.manducatio. p.679. l.12. text.41.l. penul.

penul. Aristocratiæ.p.684.l.2.Abeona.p.691.l.2.cap.1.p.694.
l.4. ἀμήτορα. l.5. ἀπάτορα.p.696.l.5 H1.p.703.l.24.rex.
p.704.l.17. Ἀσθενέες. l.23.πολιῆς.p.706.l.6. εἰς.p.723 l.
23.1.part.p.732.l.20. ἐμερίσθησαν. p.738 l.9 τούτῳ.p.744.
l. 8.πάντα.766.l.21.lib.18.de civ.p.768 l.27. μουσῆς.p.770.
l.22.συνδιέτριψαν.781.l.8.nullam.p.782.l.ult.Dardanum.
p.789.l.14. ναίεις. p.822.l.16.ἐνεργητικόν. l.19. ἐνεργητικὸν. p.832. l.17. Exerc. 307. p 837 l.24. ἐννοίας. p.849.l.18.
πρόσφορον. 868. l.8.religio.p.874.l.14.vobis. l.17. quid nil
p.878. l.22.Monembasiæ.p. 882.l.28.blando risu. p. 885. l.18.
ὁμόσης. p.891.l.13.in oculos incurrit.(dele Non).l.27.honestarum actionum instituto. p.892. l.15.cupiant.l.27 hæccine.
p.893. l.12.impotente.898.l.10 habendi. p.900. l.5. sive subjecto. p. 925. l.23. sed.p 926.l 23.quà.p.926.l.5.unitatem.p.972.
l.1.conficient p.984.l.penult. qualitates.ult. naturales.1000.
l.ult. ἡ αἴσθ. 1006.l.1. ἀμετάπειστον. p. 1042.l.22.rubor.
p.1072.l.22.pro:ad illa:lege,illud.l.26. distinctionem. dic.
p.1074.l.2. mensuratur.







METHAPHIm
caz: Exercitatum
libri 2

